13
11 D
17

13-20, g i 3-4

Digitized by Google

C. 14. f

PRIVILEGIORUM

IN PERSONA

SANCTI PETRI

ROMANO PONTIFICI

A CHRISTO DOMINO

COLLATORUM

VINDICIÆ

In duas Partes, & quinque Tomos diſtributæ

A F. HIEREMIA A BENNETTIS

CAPPUCCINO

PARS I. TOMUS I.



ROMÆ MDCCLVI.

TYPIS HÆREDUM JO: LAURENTII BARBIELLINI

SUPERIORUM FACULTATE.

CARMELITANI SCALZI DI S. MARIA DELLA SCALA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

APPROBATIONES.

OPus, Cui Titulus: *Privilegiorum in Perſona S. Petri Romano Pontifici a Chriſto Domino collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque diſtributæ a* R. P. F. Hieremia a Bennettis noſtri Ordinis Cappuccinorum Prælectore, ac Guardiano, ſumma vi, acri ingenio, ordinata methodo, ac luculentiſſimo ſtylo elaboratum, attente, nec non jucunde perlegi, jubente Reverendiſſimo P. Seraphino a Capricolle meritiſſimo Generali. Et quia nil Catholicæ fidei diſſonum, nil Chriſtianis moribus adverſum in eo offendi, ideo publicis Typis dandum nedum exiſtimo, imo peropto: in hac etenim ſum ſententia: Polemicum Armentarium iſtud eſſe, quo ſive gladios ad feriendum, ſive ſcuta ad hoſtilia tela retundenda Studioſi cuncti deſumere poſſunt, ac præcipue debent S. Franciſci Filii, pro illius nimirum Cathedræ defenſione, ac munimine, cujus infallibili veritati, ac conceſſæ divinitus poteſtati Seraphicus S. Pater illos ſubditos eſſe ſpeciali lege devovit.
Romæ hac die 21. Januarii 1756.

F. Hilarion à Feroleto Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Cappuccinorum Ex-Provincialis, ac Definitor Generalis.

QUod de Privilegiis Romani Pontificis a primis uſque ſæculis ſenſit, tenuitque ipſa univerſalis Eccleſia a Reverendo P. Hieremia a Bennettis Concionatore, ac Philoſophiæ, & Theologiæ Exlectore, nec non Guardiano Cappuccino in opere, cui Titulus: *Privilegiorum in Perſona S. Petri Romano Pontifici a Chriſto Domino collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque diſtributæ*: de mandato Reverendiſſimi Patris Seraphini a Capricolle totius noſtri Ordinis Miniſtri Generalis, ſumma animi mei voluptate perlecto, mira eruditione in lucem prolatum, plurimiſque undique petitis argumentis confirmatum, conſtabilitumque ſum admiratus. Ea propter quum nihil, quod vel mores, vel fidem lædat, offenderim, quo Romani Pontificatus, vel Heterodoxis Oſoribus, vel Orthodoxis Cenſoribus omne præcludatur effugium, atque ad eorum omnium utilitatem, qui ad capeſſendam veritatem optime ſunt inſtituti, ac comparati, publica luce dignum cenſeo.
Romæ apud Immaculatam Conceptionem die 15. Januarii 1756.

F. Joſephus Maria a' Savorniano Ordinis Minorum S. Franciſci Cappuccinorum Ex-Provincialis, & Definitor Generalis.

NOS F. SERAPHINUS CAPRICOLLENSIS

Totius Ordinis Fratrum Minorum S. FRANCISCI Cappuccinorum Miniſter Generalis (licet immeritus).

Reverendo in Chriſto P. F. Hieremiæ a Bennettis Concionatori, & Prælectori noſtræ Provinciæ Cappuccinorum Pedemontanæ ſalutem, & omne bonum.

CUm juxta Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones per duos idoneos, ac Definitores Generales, veluti Theologos Cenſores reviſum fuerit quoddam a te Opus compoſitum, cui Titulus: *Privilegiorum in Perſona Sancti Petri Romano Pontifici a Chriſto Domino collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque diſtributæ* &c. Tenore præſentium ad ſalutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus, ſervatis ſervandis, pro utilitate publica Typis mandare poſſis.

Datum in noſtro Conventu Urbis die 24. Menſis Januarii anno 1756.

F. SERAPHINUS, *qui ſupra.*

Opus

A. M. D. G.

Opus hoc Rev.admodum Patris Hieremiæ de Bennettis ex Ordine Minorum Cappuccinorum juſſu Reverendiſſimi Patris Joſephi Auguſtini Orſi S. P. A. Magiſtri accurate, cogitateque a me lectum *Omnia Privilegia B. Petro Apoſtolorum Principi, in ejuſque Perſona Romano Pontifici a Chriſto collata* ita copioſe, & orthodoxe explicat, ita erudite, ſolideque confirmat, ut non immerito pulcherrimum, abſolutiſſimumque Opus appellari poſſit; ac dignum mihi propterea viſum ſit, quod ad majorem Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem Typis edatur; quum in eo nihil offenderim, quod a Fide Catholica, aut bonis moribus abhorreat.

Ex Aracæli 16. Kalend. Junii anno 1756.

F. Johannes de Luca Venetus Epiſcoporum Examinator.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Pal. Apoſtol.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinopolit. Viceſg.

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius Elena Ordinis Præd. Reverendiſs. Patris Mag. Sacri Pal. Apoſt. Soc.

Digitized by Google

CATALOGUS
ROMANORUM PONTIFICUM

Ad Scheleſtratii, Papebrochii, Pagii, Blanchinii, & Cenni calculos exactus.

Anni	obitus	Anni	obitus
1 S. Petrus	65, aut 66	32 S. Euſebius	310
2 S. Linus	67	33 S. Melchiades	314
3 S. Clemens	76 ab., ob. 100	34 S. Silveſter	335
4 S. Cletus	83, aut 84	35 S. Marcus	336
5 S. Anacletus	95, aut 96	36 S. Julius	352
6 S. Evariſtus	108	37 S. Liberius	366
7 S. Alexander	116, aut 117	38 S. Felix II.	358, aut 359
8 S. Sixtus	126, aut 127	39 S. Damaſus	384
9 S. Teleſphorus	137, aut 138	40 S. Siricius	398, aut 399
10 S. Hyginus	141, aut 142	41 S. Anaſtaſius	401
11 S. Pius	150, aut 151	42 S. Innocentius	416, aut 417
12 S. Anicetus	161	43 S. Zoſimus	418
13 S. Soter	170, aut 171	44 S. Bonifacius	422, aut 423
14 S. Eleutherius	185	45 S. Cæleſtinus	432
15 S. Victor	197	46 S. Sixtus III.	440
16 S. Zephyrinus	217	47 S. Leo M.	461
17 S. Calliſtus	222	48 S. Hilarus	467, aut 468
18 S. Urbanus	230, aut 231	49 S. Simplicius	483
19 S. Pontianus	235	50 S. Felix III.	492
20 S. Anterus	235, aut 236	51 S. Gelaſius	496
21 S. Fabianus	249, aut 250	52 S. Anaſtaſius II.	498
22 S. Cornelius	252	53 S. Symmachus	514
23 S. Lucius	253, aut 254, aut 255	54 S. Hormiſdas	523
24 S. Stephanus	257	55 S. Johannes	526
25 S. Sixtus II.	258	56 S. Felix IV.	529, aut 530
26 S. Dionyſius	268, aut 269	57 Bonifacius II.	532
27 S. Felix	274	58 Johannes II.	535
28 S. Eutychianus	283	59 S. Agapitus	536
29 S. Cajus	295, aut 296	60 S. Silverius	537, aut 538
30 S. Marcellinus	304	61 Vigilius	554, aut 555
31 S. Marcellus	310	62 Pelagius	560, aut 561

63 Jo-

Anni		obitus
63	Johannes III.	573, aut 574
64	Benedictus	578, aut 579
65	Pelagius II.	590
66	S. Gregorius M.	604
67	Sabinianus	606
68	Bonifacius III.	607
69	S. Bonifacius IV.	615
70	S. Deodatus	618, aut 619
71	Bonifacius V.	624, aut 625, aut 626
72	Honorius	638
73	Severinus	640
74	Johannes IV.	642
75	Theodorus	649
76	S. Martinus	654, aut 655
77	S. Eugenius	657
78	S. Vitalianus	671, aut 672
79	Adeodatus	676, aut 677
80	Donnus	678, aut 679
81	S. Agatho	681, aut 682
82	S. Leo II.	683, aut 684
83	S. Benedictus II.	685, aut 686
84	Johannes V.	686, aut 687
85	Conon	687, aut 688
86	S. Sergius	701, aut 702
87	Johannes VI.	704, aut 705
88	Johannes VII.	707
89	Siſinius	707, aut 708
90	Conſtantinus	715
91	S. Gregorius II.	731
92	S. Gregorius III.	741
93	S. Zacharias	752
94	Stephanus	752
95	Stephanus II.	757
96	S. Paulus	767
97	Stephanus III.	772
98	Hadrianus	795
99	S. Leo III.	816
100	Stephanus IV.	817
101	S. Paſchalis	824
102	Eugenius II.	827
103	Valentinus	827
104	Gregorius IV.	844
105	Sergius II.	847
106	S. Leo IV.	855
107	Benedictus III.	858
108	S. Nicolaus	867
109	Hadrianus II.	872
110	Johannes VIII.	882
111	Martinus II.	884
112	Hadrianus III.	885
113	Stephanus V.	891
114	Formoſus	896
115	Bonifacius VI.	896
116	Stephanus VI.	897
117	Romanus	897, aut 898
118	Theodorus II.	898
119	Johannes IX.	900
120	Benedictus IV.	903, aut 904
121	Leo V.	903, aut 904
122	Chriſtophorus	904, aut 905
123	Sergius III.	911
124	Anaſtaſius III.	913, aut 914
125	Lando	914, aut 915
126	Johannes X.	928, aut 929
127	Leo VI.	928, aut 929 aut 930
128	Steph. VII.	930, aut 931, aut 932
129	Johannes XI.	935, aut 936
130	Leo VII.	939
131	Stephanus VIII.	942
132	Martinus III.	946
133	Agapetus II.	956
134	Johannes XII.	964
135	Benedictus V.	965
136	Johannes XIII.	972
137	Benedictus VI.	974
138	Donnus II.	975
139	Benedictus VII.	984
140	Johannes XIV.	985
141	Johannes XV.	996
142	Gregorius V.	999
143	Silveſter II.	1003
144	Johannes XVI.	1003

145 Jo-

Anni		obitus	Anni		obitus
145	Johannes XVII.	1005	186	Innocentius V.	1276
146	Sergius IV.	1012	187	Hadrianus V.	1276
147	Benedictus VIII.	1022, aut 1024	188	Johan. XX, vel XXI.	1277
148	Jo. XVIII. vel XIX.	1033	189	Nicolaus III.	1280
149	Benedictus IX.	1044, aut 1045	190	Martinus IV.	1285
150	Gregorius VI.	1045, aut 1046	191	Honorius IV.	1287
151	Clemens II.	1047	192	Nicolaus IV.	1292
152	Damaſus II.	1048	193	S. Cæleſtinus V.	1294
153	S. Leo IX.	1054, aut 1055	194	Bonifacius VIII.	1303
154	Victor II.	1057	195	B. Bened. X, vel XI.	1304
155	Stephanus IX.	1058	196	Clemens V.	1314
156	Nicolaus II.	1061	197	Johannes XXII.	1334
157	Alexander II.	1073	198	Benedictus XII.	1342
158	S. Gregorius VII.	1085	199	Clemens VI.	1352
159	Victor III.	1087	200	Innocentius VI.	1362
160	Urbanus II.	1099	201	Urbanus V.	1370
161	Paſchalis II.	1118	202	Gregorius XI.	1378
162	Gelaſius II.	1119	203	Urbanus VI.	1389
163	Calliſtus II.	1124	204	Bonifacius IX.	1404
164	Honorius II.	1130	205	Innocentius VII.	1406
165	Innocentius II.	1143	206	Gregorius XII.	1409, aut 1415
166	Cæleſtinus II.	1143, aut 1144	207	Alexander V.	1410
167	Lucius II.	1145	208	Johannes XXIII.	1415
168	Eugenius III.	1153	209	Martinus V.	1431
169	Anaſtaſius IV.	1154	210	Eugenius IV	1447
170	Hadrianus IV.	1159	211	Nicolaus V.	1455
171	Alexander III.	1181	212	Calliſtus III.	1458
172	Lucius III.	1185	213	Pius II.	1464
173	Urbanus III.	1187	214	Paulus II.	1471
174	Gregorius VIII.	1187	215	Sixtus IV.	1484
175	Clemens III.	1191	216	Innocentius VIII.	1492
176	Cæleſtinus III.	1198	217	Alexander VI.	1503
177	Innocentius III.	1216	218	Pius III.	1503
178	Honorius III.	1227	219	Julius II.	1513
179	Gregorius IX.	1241	220	Leo X.	1521
180	Cæleſtinus IV.	1241	221	Hadrianus VI.	1523
181	Innocentius IV.	1254	222	Clemens VII.	1534
182	Alexander IV.	1261	223	Paulus III.	1549
183	Urbanus IV.	1264	224	Julius III.	1555
184	Clemens IV.	1268	225	Marcellus II.	1555
185	B. Gregorius X.	1276	226	Paulus IV.	1559

Anni		obitus
227	Pius IV.	1565
228	S. Pius V.	1572
229	Gregorius XIII.	1585
230	Sixtus V.	1590
231	Urbanus VII.	1590
232	Gregorius XIV.	1591
233	Innocentius IX.	1591
234	Clemens VIII.	1605
235	Leo XI.	1605
236	Paulus V.	1621
237	Gregorius XV.	1623
238	Urbanus VIII.	1644
239	Innocentius X.	1655
240	Alexander VII.	1667
241	Clemens IX.	1669
242	Clemens X.	1676
243	V.Innocentius XI.	1689
244	Alexander VIII.	1691
245	Innocentius XII.	1700
246	Clemens XI.	1721
247	Innocentius XIII.	1724
248	Benedictus XIII.	1730
249	Clemens XII.	1740
250	BENEDICTUS XIV.	17..

Digitized by Google

ELENCHUS
PARTIS PRIMÆ
VINDICIARUM.

Diſſertatio.	*De Romani Pontificis Privilegiis.* a pag.	1
Prolegomenon.	*De Privilegiis S. Petro a Chriſto Domino collatis.*	9
§. I.	*De Romano S. Petri Pontificatu.*	10
§. II.	*De Romano Pontificatu a ſolo S. Petro abſque S. Pauli conſortio geſto.*	22
§. III.	*De S. Petri in Eccleſia univerſa Primatu.*	43
Propoſitio.	*De Privilegiis Romano Pontifici in perſona S. Petri a Chriſto Domino collatis.*	75
Probationes.	*Ex ratione fundamentali.*	76
Articulus I.	*Ex Sacra Scriptura.*	95
Articulus II.	*Ex Oecumenicis Eccleſiæ Orientalis Conciliis.*	124
Prolegomenon.	*De Auctoritate Conciliorum Generalium.*	124
§. I.	*Ex Nicæno I, Sardicenſi, & Conſtantinopolitano I.*	140
§. II.	*Ex Epheſino, & Chalcedonenſi.*	160
§. III.	*Ex Conſtantinopolitano II, & Conſtantinopolitano III.*	179
§. IV.	*Ex Nicæno II, & Conſtantinopolitano IV.*	218
Articulus III.	*Ex Oecumenicis Eccleſiæ Occidentalis Conciliis.*	243
Prolegomenon.	*De Poteſtate, varioque poteſtatis uſu Romano Pontifici in celebratione Conciliorum frequenti, qua Primati, qua Patriarchæ.*	243
§. I.	*Ex Lateranenſi ſub S. Martino I, Lateranenſi I. ſub Calliſto II, & Lateranenſi II. ſub Innocentio II.*	259

§. II. *Ex*

§. II.	*Ex Remenſi ſub Eugenio III, Lateranenſi III. ſub Alexandro III, & Lateranenſi IV. ſub Innocentio III.*	271
§. III.	*Ex Lugdunenſi I. ſub Innocentio IV, Lugdunenſi II. ſub B. Gregorio X, & Viennenſi ſub Clemente V.*	285
Articulus IV.	*Ex Piſano, Conſtantienſi, & Baſileenſi.*	303
Prolegomenon.	*De Auctoribus, qui ſub eorum Conciliorum tempus de Romani Pontificis poteſtate in utramque partem diſputarunt.*	303
§. I.	*Ex Concilio Piſano.*	341
§. II.	*Ex Concilio Conſtantienſi.*	356
§. III.	*Ex Concilio Baſileenſi.*	424
Articulus V.	*Ex Florentino, Lateranenſi V, & Tridentino.*	477
§. I.	*Ex Concilio Florentino.*	477
§. II.	*Ex Concilio Lateranenſi V.*	494
§. III.	*Ex Concilio Tridentino.*	507
Articulus VI.	*Ex Conciliis Particularibus Eccleſiæ cum Orientalis, tum Occidentalis.*	533
Prolegomenon.	*De neceſſitate, & ratione cum Romana Eccleſia communicandi, & conſentiendi.*	533
§. I.	*Ex Conciliis Particularibus Eccleſiæ Orientalis.*	561
§. II.	*Ex Conciliis Particularibus Eccleſiæ Occidentalis.*	572
Articulus VII.	*Ex Traditione SS. Patrum Eccleſiæ Orientalis.*	1
Prolegomenon.	*De Auctoritate SS. Patrum.*	1
§. I.	*Ex SS. Patribus, aliiſque Scriptoribus Græcis.*	176
§. II.	*Ex aliis Auctoribus Eccleſiaſticis, & Epiſcopis Eccleſiæ Græcæ.*	211

Digitized by Google

Articulus VIII.	*Ex Traditione SS. Patrum Eccleſiæ Occidentalis.*	252
Prolegomenon.	*De vera S. Cypriani ſententia circa Privilegia Romani Pontificis.*	252
§. I.	*Ex SS. Patribus, aliiſque Scriptoribus Latinis.*	294
§. II.	*Ex aliis Auctoribus Eccleſiaſticis, & Theologis Scholaſticis Latinæ Eccleſiæ.*	356
Articulus IX.	*Ex Imperatorum, Regumque dictis, & geſtis.*	409
§. I.	*Ex Imperatoribus qua Orientis, qua Occidentis.*	413
§. II.	*Ex Regibus, Viriſque Principibus Occidentis.*	456
§. III.	*Ex Regibus, Principibuſque aliis Orientis.*	491
Articulus X.	*Ex Doctrina veteri, & nova Eccleſiæ Gallicanæ.*	516
§. I.	*Ex Conciliis Eccleſiæ Gallicanæ, nec non Comitiis Gallicani Cleri.*	519
§. II.	*Ex Regum Francorum Teſtimoniis.*	544
Articulus XI.	*Ex doctrina ejuſdem Gallicanæ Eccleſiæ.*	564
§. I.	*Ex SS. Patribus, & Doctoribus Eccleſiæ Gallicanæ.*	564
§. II.	*Ex Epiſcopis, Scriptoribus, ac Theologis Gallicanis.*	591
Articulus XII.	*Ex rationum Theologicarum delectis momentis.*	664

PRÆ-

PRÆFATIO.

DE Controverſiæ ſpecie , cauſsa , ſcopo ; conſilio, & ſerie præludere ejuſdemque ſpecimen , & ſummam præmittere in more poſitum eſt , curæque pretium , ideo , ut loco ſuo , atque in bono lumine , quoad liceat ; collocetur ; quaſque offundi deinceps, inferrique contingeret, ſive tenebræ, ſive moræ undeunde removeantur . Ad argumenti, quod tractandum aſſumpſi , genus , amplitudinem , & gravitatem quod attingit , plurimis , antequam appellam , ut præloquar non eſt opus , ac prolixiori , quam oporteat , affluam oratione , quippe quanti momenti ſit , & quam maximi per ſe ſe patet utique attendenti pertractari non minus , quam de Chriſti D. in terris Vicarii , Sancti Petri velut ex aſſe legitimi Succeſſoris , Eccleſiæ Univerſæ adſpectabilis Capitis , Summi ſcilicet Pontificis Romani Privilegiis , quæ ſi ſemel, quo ſtant , in loco ſtabiliantur , Eccleſiæ bono apprime proſpectum iri nemo,opinor, non perſpicit, ut de ea proinde officio ſuo ſe optime meritum,(quod ejuſdem filiis equidem in optatis eſſe maximopere oportet,) qui ad id operis præſtandum,omnem,qua potis eſt,opem ſuam conferat,eiliceat adblandiri.Eo autem magis,quod ea jam ſit ingeniorum ætatis improbæ noſtræ intemperies,effreniſque in licentiam omnem effuſa libertas , ut ſibi per fas, & nefas de re quantacumque , vel ſanctiore , vel ad Religionem ſpectante intendendi litem , & injiciendi ſuſpicionem arrogent facultatem ; (quodque peſſimi faci-

noris

Digitized by Google

munionis noſtræ homines, qui adverſam, præruptamque ineunt viam, atque præpoſteris incedunt veſtigiis, quatenus a partium ſtudiis, a præjudicatis opinionibus, a pravis affectibus abſtracto paulliſper animo, pendant, atque απαθεισ perpendant: ſiquidem ſummorum Pontificum dictis pronas accommodaſſent aures Schiſmatici, Hæretici, Græci, Latini, ubique gentium Chriſtifideles, nonne jampridem fuiſſent extincta ſchiſmata? Quin imo nunquam excitata: nonne antehac tumulatæ hæreſes? Quinimo nunquam enatæ: nonne jamdudum in Germania, in Anglia, in Gallia, in Belgio ſedatæ turbæ? Quinimo nunquam ſubortæ.

At (os hominum quid obtendunt?) habent, Scripturas, inquiunt, quas perſemet ſcrutentur: Patres, quos obviam adeant: Eccleſiam, quam ultro audiant. Subſtine, ſerio ne, dic ſodes, an joco iſta jactantur? Experimento proprio, aut plurimo exemplo edoctus quis ignoret adhuc S. Scripturæ ſenſum abſque Judice, qui legitime interpretetur, aut difficillime aſſequi, aut facile aliorſum inflecti? SS. Patrum traditionem abſque PP. Patre, qui propius judicet, pro ingeniorum ſive imbecillitate, ſive nequitia, aut non patere ſatis, aut ſiniſtræ intelligentiæ pronum locum præbere? In Eccleſia autem cui auſcultent demum, ſiquidem Eccleſiæ Caput deſpicatui habeant? Anne in Conciliis congregatæ? Sed abſque Capite non Eccleſia Chriſti eſſet. Sed congregari, ſi unquam, iniquiori tempore iſto, voto quidem fingi poſſe, factu tamen difficillimum affore quis approbe non perſpiciat? Fac attamen congregetur: quis fide jubeat ſua, ſi non in unam omnis coiret ſubinde ſententiam, nec interea ejus in poteſtate eſſet poſitum, qui præeſſet, omnes intra orbitam coercere?

cere ? Potius ad Epiſcopos ſingulos appellere præſtabit ? Præſentiſſimo emergentia quotidie mala, atque exundantia remedio egent: quis autem probe non percipit medium iſtud nec ſatis divinæ Providentiæ decens, nec ſatis humanæ infirmitati congruum, nec ſatis afflictis Eccleſiæ rebus accommodum ? Quamquam etſi pateret, ob diverſitatem opinionum, in quas eos diſtrahi facile obtingeret, nec ſuis careret periculis, nec indigentibus operam præſtare numeris abſolutam poſſet cunctis, confeſtim, ubique, & ſemper. Paret itaque, & adparet a D.O.M. ea demum optima, ac compendioſiori ratione Eccleſiæ Univerſæ fuiſſe proſpectum, ut in ea præſentiſſimus adeſſet ſacrorum Præſes, Sacerdotiiſque Præfectus Romanus Pontifex, ad quem Chriſtifideles ex tempore confugerent, utque diſcipulos decet, ſummiſſam ad auſcultandum mentem apponerent. Qui interea auſcultarent, integreque adquieſcerent, certo certiores evaderent ſe recta in via chriſtianæ Religionis incedere, nec tranſverſum unguem a Chriſti D. veſtigiis (eadem nempe jugiter ipſius Vicario indicante) aberrare, & abſcedere.

Quæ quum ita ſe habeant, animo hinc alacer ad hancce provinciam aleæ quidem plenam, & arduam, ſed ob rerum utilium redundantiam, voluptatiſque refertarum jucundam quam maxime, & adſpectabilem, exornandam, peragendamque acceſſi. Ut accederem, meique pro ingenii modulo perficere adniterer, præterquam quod argumenti genus, amplitudo, gravitas, conjunctaque cum utilitate, & voluptate cauſſa, eoque major, quo melior vehementer urgerent, potiſſimum, quod ajebam, in cauſſa fuit, temporis nequam, quo exigimus, conditio: qua factum, ut hujus genus profligati

fligati

ſligati homines, projectique ad audendum, quos libere cogitandi, agendique inſana invaſit, & pervaſit cupido, vel juſtos intra terminos a Pontificibus Maximis præſtitutos cohiberi dedignantes, obſiſtere illis, & obtrectare non deſinant. Inde itaque aſperrimæ adverſus Pontifices pugnæ: inde propterea mihi pro virili portione inſtruendæ ex adverſo Vindiciæ: ideo videlicet, ut ab infenſa hoſtium invidia liberarem; non etiam veluti hominum opera, qua confirmentur, indigerent illorum jura divina inſtitutione fundata.

Hæc de conſilio operis. Quid de cenſuris? Interea dum inſtarent viri docti, inſiſterentque, ut publici opus juris facerem, nec defuit, qui mihi inſuſſuraret moroſior neſcio quis νησόφος: ſiquidem a tot, tantiſque claris Scriptoribus provincia iſta præoccupata jam ſit, multorumque manu res multumque verſata, & reverſata, quid tu ex promiſcua, infimaque Litteratorum hominum plebe rem actam agere, atque, velut ajunt, labore ſupervacaneo, lapides in acervum congerere adgrederis? Scilicet ea ſors, & conditio eſt ſcribentium, ut diverſas, & adverſas hominum experiri opiniones cogantur; ſtudioque ſuo, quod illis probetur, horum ferre debeant delicatum provocari faſtidium. Ego equidem (ſuperbe non extollam me ſuper me) hominem me infimi ſubſellii inficias ægre non ibo, eſſeque profecto eum, qui in litterariæ Reipublicæ caſtris merere nullo valeam, etſi vellem, modo fatear, & profitear. Is eram proinde, qui de vulgando opere ne cogitarem quidem, ſimque num ipſe, qui vix quidem opus publicam adſpicere lucem adhuc patiar, quod luci ea lege demum adactus ſuppoſui, ut ſi non utilitati, ſaltem nulli cederet oneri, liceretque per me legere, cui per otium fas

afforet, aut pro ingenio allubeſceret. Quandoquidem *Quod ſcriptum habetur, ſemper vacat ad legendum, quum vacat legenti, nec oneroſum ſit præſens, quod quum voles, ſumitur, quum voles ponitur*, ajebat S. Auguſtinus in epiſt. 1. ad Voluſianum. Quid nihilominus, quod tot, tantoſque adſpicio quotidie, ſive ex iis, qui in Novatorum caſtra concedunt, ſive (quod demirari magis ſubit, magiſque dolere) ex iis, qui catholico alioqui cenſeri nomine volunt, homines proclives ad improbam indolem, propriis indulgentiores impendiis, felle infectos, atque ad æquam indeflexos frugem, intento nervo in id totos incumbere, ut Pontificum divinas prærogativas, lædant, & laceſſant, ita ut per ipſos non ſtet, quominus, quo ſtant, gradu detrudantur, & dejiciantur, cur, inquam, in crimen, invidiamque vocor, quod pro viribus, quibus valeo, totus, etſi tantillus, erecta in adverſum fronte offendam, in partem optimam pugnem, contra qui moliuntur amovere lapidem, cui Eccleſia univerſa eſt innixa, manum attollam meam, utque per me loco ſubſiſtat, ut poſſum, adnitar, atque quidem eadem quotidie reponentibus eadem quoque, ego ex adverſo reponam? Id ſiquidem, id ſummopere tum mea ſpeciatim, tum noſtra omnium intereſt: mea utique, qui ab initio Inſtituti a Seraphico Patriarcha mandatum hocce de Summo Pontifice ſummiſſe colendo, ipſiuſque honori impenſe ſtudendo accepi tamquam teſſeram, qua verus, probuſque Minorita internoſcerer: noſtra quoque omnium, ſi nos verus afficit Religionis amor, cui rem omnem bene, optimeque ceſſuram nemo non percipit, modo illius, qui Religioni præeſt, jura perſtent integra in tuto poſita.

Quorſum igitur illorum os vererer, qui, dixeris quod-

quodcumque, ſive, nive deſpiciunt? Atqui utor permiſſo. Quid? Argumentum eſt nullo non tempore tritum: utique nec ullo tempore non terendum, quatenus qui pro ingenio impetendi impune dogmata a Pontifice definita, Pontificem impudenter impeterent, nunquam defuere. Quid autem ſi argumento defuiſſent plerumque, qui applicuerunt, ut propterea ſiquidem grave admodum ſit, adeoque difficile, & arduum de eo digne, uti decet, agere, valde laudabile obtingat, & optabile multos ad id operis experiri, multam locari operam, multaſque ingredi vias, ut, ſi ſuperis placet, tandem multam poſt operam, multorumque ope perficiatur? Quamquam, ſi dixerim, quin honoris cauſſa nomine nuncupem, quod legendo didici, ac obſtupeſcendo dolui, ab eorum plus quam paucis, quibus alioqui tantum abeſt, ut anteferam me, quinimo exæquare nec auſim, aut magna ex deſidia multa, ac genuina neglecta, quibus confici validiſſime res iſta potuiſſet, aut abſque delectu ex apocryphis congeſta multa, quibus cæteroquin optimam cauſſam Proteſtantium σαρκασμούς, & ſubſanationibus deridendam potius, dilacerandamque objecerunt. Hinc pertractate adeo, & perfunctorie cauſſam tantam, tamque gravem actitatam, ut pudere magis oportuiſſet, vix, ac ne vix quidem ſummis deguſtaſſe labiis; & digitis attigiſſe. Illinc perſtrictim ita, & præfeſtine attactam, & delibatam rem, aut rei ordinem perverſum adeo, & perturbatum, ut ignores, unde initium facias, aut finem. Alia ad Critices vel temperatioris regulas non ſatis cauta: alia ad hiſtoriæ vel in limine poſitæ leges nec admodum exacta: quod non animo carpendi aliena, ac laudibus alicujus obtrectandi, ſed unius amore veritatis, quo temperare mihi nequi-

vi, abs me dictum accipi volo: neque enim de me temere adeo ſuperbio, ut præ ſuperbia deſipiam potius, quam mihimet ſapiam, præſumamque ſpe ſtadium iſtud percurrere, ita ut unis ex meis vincam viribus. Cur itaque ſpartam iſtam ſuſceperim iſthæc quidem cauſſa fuit, ſed non una fuit. Acceſſit & altera, quæ properanti animos, ſtimuloſque adjecit, adoleſcentes nimirum noſtros adjuvandi, & ad Sedis Apoſtolicæ ſtudium accendendi, quod Seraphico Patri cordi inſediſſe, ſuisque quam maxime commendatum ab eodem non neſciunt: iis operam locavi meam perſuaſus conſore, quod ii potius quam extraneo, domeſtico facile exemplo allicerentur, nec facem veluti præferentem ſequi, nec præeuntis veſtigia relegere pro bona indole dedignarentur. Non vobis itaque, qui in litterariæ Reipublicæ palæſtris jampridem exigitis, quibuſque longe meliora ultro, citroque ſe offerunt, iſta conſcripſi, & compegi, ſed magis noſtris, iiſque a primo limine hiſtorico-dogmatico-theologicas diſciplinas ingreſſis, ut ſub uno veluti complexu habeant, quæ nonniſi apud multos, quos vel ignorant, diſperſa conquirerent, nec niſi multo laboris diſpendio conquirendo tandem offenderent.

Quamobrem poſtquam propoſuiſſem, ſi me Deus adjuvaret, pretioſi temporis, quæ religioſis muneribus quoquo modo perfuncto ſupereſſent, fragmenta in hoc blandi ſtudii genus impendere, meque Apoſtolicæ Sedis ſtudio toto cordis affectu devovere, (quamquam interea nunquam defuerint, quæ jam alioqui diſtentum animum aliò diſtraherent, in hoc vero ipſo poſt collatam operam forte pejus, quam quos peccati coarguo, ipſe peccaverim) Scriptores, quotquot de hoc argumento ſuppeterent, quoad ejus fieri potuit, impigre perquiſivi,

ſivi, perluſtravi, perlegi; quæque ab iis optime dicta fuiſſent congeſſi, ac in paginam derivavi, ideoque non nova dicerem ego, etſi nove dicere adorirer. Quia vero parum ingenui, quinimo ingrati animi vitio jure vertitur ex alieno velle, penu non indicato, diteſcere, nolim iſtiuſmodi nigra inuri nota. Quæ a probatæ doctrinæ hominibus mutuo accepi, ac in meam diſſertationem convaſavi, officio duxi ſuis locis eiſdem cum laude, & gratiarum actione referre accepta. Quæ vero ab illis veluti neglectas ex abundanti meſſe in agro ſpicas prætermiſſa, eaque quidem plurima, & præclara, qua potui diligentia, collegi, collectaque tanquam in manipulos confertas ſpicas ſuo ordine locavi, atque abunde multis adnexis, ſi meus non me fallit amor, ſupplevi, adeoque, ut potius quam ex alieno, ex proprio opus procuſum affirmare præfidenter auſim. Quæ hinc ab his pro libidine obloquendi, & Pontificum laudibus obtrectandi loca, quæ pravo eorum conſilio, peſſimæque cauſſæ nocerent, ſuſquedeque de induſtria fuiſſent perverſa; quæque illinc ab illis vel prætermiſſa, vel non in bona luce poſita, vel quæ objecta fuerant leviter diſpuncta, & diſpulſa, ſategi, ut omiſſa loco ſuo ponerem, obſcuriora luce perfunderem, objecta longe a provincia repellerem, e veſtigio appoſite retorquerem, alienum in ſenſum detorta integræ ſuæ interpretationi reſtituerem, eaque omnia ſive ſupplerem, ſive ſuppeditarem, quæ amicis in adjutorium venirent, contra inimicos ad internecionem valerent, atque ita in aciem inſtruerem, quibus pugnarent illi, oppugnarentur iſti: adeo ut labore nec inani, nec levi defunctus mihi videar. Nec vero videri audax velim, ſi ſæpius in ſcriptores magni nominis inſurrexero, atque mox hunc,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mox illum, tantoſque viros exagitavero tantillus ego: adjecit animos cauſſa, ne ullum venia donarem, quem minus in Pontifices æquum deprehendiſſem, quorum honori, vel cum aliorum diſpendio, conſulere opinor culpa omnino carere. Ad hæc ut proficerem, profectuſque meus alios juvaret, & qua fuiſſem ipſe inſtructus, ſupellectili alumnos noſtros inſtruerem, ad lectionem Patrum me contuli, Conciliorum acta perſcrutatus ſum, ad Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quæ litteris mandata ſunt, monumenta deſcendi, in Romanorum Pontificum dicta, geſta, jura diligenter quæſivi, nulli operæ, niſi me fallit opinio, peperci, nihilque prætermiſi eorum, quæ in rem propoſitam facerent, quæque conſilio meo apte congruerent, (ut propterea operam luſiſſe mihi non videar), congeſſi, atque in opus redegi, hac adhibita ratione, ſiquidem optimus ſit in re qualibet ordo, ut partito in duas Partes opere univerſo, in primam ea, quæ ex rei locis extrinſecis paterent, quæ vero ex locis intrinſecis profluerent, in ſecundam conferrem.

Itaque in I. Parte hunc ordinem ita diſponendum, & conſtituendum duxi, ut S. Petri Romanam profectionem, Pontificatum, Primatum loco, quo detrudere Proteſtantes adnituntur, ſtabilirem ſuo, cui dein veluti fundamento rato, fixoque Summorum Pontificum Privilegia ſuperſtruerem. Locum deinde primum dedi, ut par erat, Sacræ Scripturæ: ſecundum Conciliis cum in Oriente, tum in Occidente celebratis: tertium Eccleſiis mox Orientali, mox Occidentali: quartum SS. Patribus qua Græcis, qua Latinis: quintum Scriptoribus in re peritiſſimis ſive Theologica, ſive Canonica: ſextum feci piiſſimis ſæculi Principibus. Quia

vero

vero Gallicanam Eccleſiam accepi diverſimode a diverſis audire, nec deeſſe apud quos graviter laboret, e re eſſe celeberrimæ Eccleſiæ exiſtimavi in ejus modo veterem, modo novam ſententiam inquirere, ac ſi opus foret, a ſiniſtræ ſuſpicionis inuſta nota abſtergere, liberare, & abſolvere. Poſtremo quæ e penu Theologico peti poterant, quibuſque invictum robur ineſſet, ſatiſque ad vincendum virium, argumenta in aciem inſtruxi, atque itâ Partem 1. numeris abſolvi. Partem 2. quod attinet, hoc ordine donavi. Principio quia a nomine ad rem progredi oratio recta ſolet, a Romani Pontificis titulis exorſus ſum, gradum inde facturus ad eorumdem dicta, geſta, & jura: de iis ſummum ſuccurrit jus, iſtudque non unius generis in Concilia qua Generalia, qua Particularia. Item in Canones tametſi a Conciliis ſtatutos: iis univerſim jus cognoſcendi de cauſſis Pontificis, nec non audiendi a Pontifice appellantes ademi; quod Pontifici e converſo, nempe cognoſcendi iterato de cauſſis a Concilio jam cognitis, nec non in cauſſis appellationis judicium avocandi integrum adjudicavi. Pontificii juris particulam eſſe pro officio, quo fungitur, in devia raptos in ordinem redigendi, pœnaſque, quas opportuniores dijudicaverit, refractariis infligendi: multoque magis Patriarchas, Exarchos, Primates, Metropolitas, Epiſcopos, cujuslibet gradus Eccleſiaſticos Pontifici aſſurgere, faſces ſubmittere, præcipienti auſcultare oportere: in ipſos juriſdictionem immediate a Pontifice promanare, ipſiſque poteſtatis in eo pleniſſimæ factam particulam diminui, augeri, detrahi, amplificari doceo, defendo, demonſtro. Ordine ſuo decurrens oratio deinde oſtendit graviores cauſſas, in iiſque Eccleſiarum Præſulum, Religioſorum Ordinum, Sanctorum Cano-

Canonizandorum, factorum dogmaticorum, ac fidei controverſias ad Pontificem ſupremo finiendas judicio deferendas. Non deſuiſſe ex Acatholicis præſtantiori, aut mitiori præditos ingenio, qui veritati manus victas dantes de Pontifice recta putaverint, ad ipſius tribunal appullerint, judiciumque appellatione pulſaverint. Schiſmata compeſcere, hæreſes confodere, fidei regulas præfinire, infallibiles morum leges præſcribere unius eſſe Pontificis. Ex Pontificibus poſtremo neminem poſſe violatæ fidei poſtulari, qui tam vere, quam facile a labe quacumque aſperſa non ſtatim abſtergatur, ac liberetur ab omni, qua vel leviter ſuſpicione laboraverit. Hic ſcopus, hoc ſpecimen, hæc operis ſumma, quam magis, magiſque operi præfixus exhibet Elenchus, cujus ἀπόδειξις defunctoria hæc habeatur.

Interea nonnulla interveniebant, quæ quidem proxime ad rem haud facerent, illuſtrarent tamen, adjuvarent item, firmarent imo, eoque magis quod confiderem confore, ut eorum notio ſiquidem nec inutilis, nec injucunda a liberali Lectore haud flocci, naucique fieret, ea ne omnino dimitterem, in Prolegomena, veluti in locum non procul remotum, rejeci. In iis itaque Parte prima diſputationem ingreſſus de auctoritate Conciliorum, quo loco habenda ſit: de Auctoribus, a quibus de Conciliorum auctoritate in utramque partem diſceptatum, pugnatumque eſt: de auctoritate Pontificis, varioque ejus uſu in Conciliis qua cogendis, qua celebrandis: de neceſſitate, ac ratione cum Romano Pontifice communicandi, & conſentiendi, quæ cunctis Eccleſiis, & Conciliis incumbit: de SS. Patrum traditione, quanti apud æqui, bonique æſtimatores fieri oporteat: de germana S. Cypriani ſententia Pontificis Ro-

Romani prærogativis nihil derogante, multum imo deferente, ita, inquam, dilucide, & copioſe diſputavi, ut rem ingratam nemini me feciſſe, multoque minus cuipiam invidiam conflaſſe dubitaverim. Parte ſecunda de iis ſermonem inſtitui, quæ ſtatim oculis ſubjicio, ut uno intuitu comprehendas, quæ nonniſi copioſa ego oratione complector: quo gradu auctoritatis veterum Pontificum Decretales maneant: quæ jure divino, & canonico unius Pontificis judicio reſerventur. Quæ, & quando obedientiæ recuſatio licita, ac legitima: quo in pretio Romani Pontificis ſit habenda Communio: quantove ſtudio cavendum a ſchiſmate ei ſit, qui chriſtiano velit cenſeri nomine. Quibus olim Provinciæ Eccleſiaſticæ limitibus deſcriptæ, juribus diſtinctæ, nominibus decoratæ: a quonam Eccleſiaſticorum graduum dignitas, origo, diſcretio juriſdictionem, ordinem, inſignia nacta, adepta, mutuata: quæ, & quanta Eccleſiarum ſollicitudo Pontifici ex officio incumbat. Quæ, & quot, ſive ſub vetuſta, ſive ſub devexiori Eccleſiæ ætate Canonum Eccleſiaſticorum in cauſſis Eccleſiaſticis collectiones uſu venerint: quorum ſimilia interſerui multa nec inepta, nec ingrata, ut propterea orationem meam a propoſito, rectaque via plurimum deflexiſſe non reputaverim.

His itaque modis, fidem, quam obligaveram, meam liberavi, & ſpatioſam alioqui ſpartam abſolvi: num tamen numeris ſuis omnibus abſolverim Απαθεσ dijudicet Lector. Certe ut abſolverem, improbo labore adnixus ſum; atque interea id abs me quoquo modo abſolutum, fuerat admonendus, ne aliquando, ut non inſolens eſt, poſt improbum laborem mihi vitio deputetur, quod abſque cauſſa laboraverim. Quod ſi nihilo ſecius in tanta rerum copia pleraque adhuc me præterierunt,

runt, ex parte in culpa fuit ſæpe ſæpius librorum inopia, ut propterea illis non ſemper ſuppetentibus aliena fide aliquando ſuffultus pleraque ex aliorum officina protulerim, qui ſi deceperunt me, cum illis me deceptum ultro profiteor, non etiam voluiſſe quempiam decipere. Exinde quoque effectum, quum ſtato loco diu haud conſederim, mutare ſæpius domum ex obedientia, & munere coactus, ut librorum copia, eorumque editiones, quas illic non deſiderabam, heic deeſſent, ac proinde diverſis in locis domicilii exemplaria diverſa ſectari debuerim: quod utrumque monitum volui, ne mirari ſubeat, ſi eadem ſæpe diverſimode in diverſis laudem, nec mihi culpæ ſuperaddatur, ſi laudata aliquando ſuis non apprime cohæreant locis. Hæc, & alia qua lima, qua ſpongia indigere difficilis non diffiteor, ob quæ imo nec patiar admodum invitus primo ingenii minus quam mediocris, imbecilliſque coargui, modo æqui, bonique, quam attexui, excuſatio fiat, nec mihi affricentur quotquot aliena culpa in opus errores defluxerint. Quamquam & illos liberalis Lectoris humanitati dignandos venia magis dimiſerim non modo, ſed eruditioni imo, & charitati emendandos detulerim. Niſi ex Lectoribus ſunt etiam, atque etiam, ſive qui minus ſciunt, quos juvare, ac pro modulo meo inſtruere propoſitum mihi eſt: ſive qui ſibi magis, quam reapſe ſciunt, tumque tandem ſcire ſe oſtentant, quum neſcio qua prurigine affecti, vel ea, quæ eorum facile ſuperant captum, criminanda, vellicanda, rodenda capeſcunt, quos quidem νσαϖιός, ne vere ſapientibus ſe irridendos propinent, admonitos velim vere ſapientium propoſito exemplo, quibus hinc intime perſuaſum ad juris, & rationis amuſſim ſenſa exigere ſua, non qui ſe ſolos putant jure, &

cum ratione ſentire, quæ ſentiunt; ſed qui ſenſa ſua ex aliorum ſenſis expendunt; ſua, & aliena comparant inter ſe ſe; ſua ex alienis temperare apprime ſciunt: illinc perſpectum eſt approbe materiem iſtam difficultatibus, ne dicam de dogmatica, e re critica, hiſtorica, chronologica, antiquaria undique affluentibus implicatam adeo, circumſeptam, circumque ſcriptam, ut inoffenſo pede qui eam percurrat, quin unquam hinc, vel illinc deerret, aut hæreat, vix ac ne vix quidem ſit reperire, ac ſi pro Chriſtianæ reipublicæ bono reperiatur, quem adeo perſpicaci acie præditum horum nihil aut fallat, aut fugiat, is mihi eſto magiſter. Hæc fuere, quibus operi præludere, non affluere ante opus, oportebat.

Hactenus de operis ſpecimine: poſt quæ de Patrono cogitandum mihi vix fuit. Sub cujus enim auſpiciis potiſſimum illud poſuiſſem, quam ſub fauſtiſſimis Tuis SS. Appſtolorum Princeps, & Coryphæus glorioſiſſime Petre, qui cum in Tua ſanctiſſima, tum in Succeſſorum Tuorum perſona totius exiſtis ampliſſimum operis argumentum? Tui gratia opus delineatum, Te auſpicato opus inceptum, Tui ope perfectum, (atque utinam quidem Te, nomineque Tuo mei culpa non indignum evaſiſſet!) quem itaque alterum ab Te, aut Te alteri ab opere Patronum optarem? Sub acceptione iſta geminatam pro gratiarum actione ἀντίδωρον reddendi, quam pro abſoluto penſo ἀνάθεσιν inſcribendi opus ad aras Tuas appendo, haud dubia ſpe fretus, quin pro eo, quo polles ſummo in Cælis, terriſque ſuffragio, operi, quod Tibi proprium feciſti, eoque titulo Tuis ſiſtitur pedibus, ut quam mihi gratia clientelæ, tam ſit Tibi penſi loco, patrocinio defuturus unquam ſis, ſeu velis. Poſtremo

id mea potiſſimum intereſt pariter, ut eadem ipſa, quibus Summæ Apoſtolicæ Sedi impenſe ſtudeo, ejuſdem indefectibili, ſupremoque judicio corrigenda, & caſtiganda ſubjiciam, itaque ſtudeam, ut quæ mihi ſpiritualis eſt Mater, ſemper in cunctis ſtudiis meis ſit ipſa Magiſtra.

VINDI-

VINDICIARUM

PARS PRIMA.

DE PRIVILEGIIS S. PETRO,

In ejuſque perſona Romano Pontifici a CHRISTO DOMINO collatis, nimirum

Primatu, Infallibilitate, & Poteſtate

DISSERTATIO.

PRaenotandum primo, quæ hic a nobis inſtituitur de Pontificis Romani privilegiis,nimirum Primatu, Infallibilitate, & Poteſtate, quæſtionem cum juris eſse, tum facti. Quandoquidem quum aliis plerumque tractatoribus hanc Controverſiam in bona luce, optimoque loco ab ſe conſtitui viſum ſit, ſatis ſuperque arbitratis rem abſolutam, ſi Romanis Pontificibus jus ſuum integrum faciant, ſartatectumque ſervent, de facto interea nihil inquirendum ſuſcipiant: quando nihilominus hacce tempeſtate id neceſse plane ſit; quandoquidem a reliquo Theologorum vulgo hacce in doctrina abſcedendum ſibi Theologi nonnulli autumarint: quorum (quod pejus eſt) conſilium non certe ſanum video plurimis aliis cujuſque conditionis placuiſse. Quod igitur juris eſt, ſtatuemus invictis undequaque, nempe ex Sacra Scriptura & traditione, ex Auctoritate, & Ratione conquiſitis momentis

Digitized by Google

1. Romanum Pontificem in definiendis rebus, conſtituendiſque regulis tam circa fidem, quam circa mores, ſi id peragat Pontificia auctoritate, ſeu ex Cathedra, ut ajunt, pronuntians, eſse omnino fallere, & falli neſcium, ſeu indeffectibilem, infallibilemque: atque proinde Romanum Pontificem Univerſalis Eccleſiæ Caput viſibile, Chriſtifidelium omnium Patrem, & Magiſtrum, Sancti Petri Apoſtolorum Principis Succeſsorem, Chriſti Domini in terris Vicarium Concilio Generali præeminere, ac Prælatum eſse. Quod vero facti erit collectis pariter, ea, qua par eſt, diligentia Eccleſiaſticis monumentis evincere ſatagemus 2. Eccleſias omnes, Græca, & Gallicana nequidem exceptis, a priſcis ævis, ſequioribuſque in ea doctrina permanſiſse integras, qua illud jus Romanis Pontificibus adſeritur. Ad hæc animadvertemus in eam Cleri Gallicani declarationem, qua anno 1682. avitæ doctrinæ nonnihil detrahi viſum eſt. Neque vero Concilium Conſtantienſe quidpiam decreviſse eidem Pontificio juri diſsonum. Sed neque ex Baſileenſi quidquam extundi poſse, quo Pontificis Romani infallibilitas, ſupremaque Poteſtas everti non modo, ſed nequidem concuti poſſit, evincemus, in eorundem tamen Conciliorum ætatem conjiciemus Epocham, qua cœptum eſt in Pontificem Romanum inſoleſcere, ejuſque jura effræni inverecundia violari: quandoquidem ante illud infelix, nequiuſque tempus nil tale in Eccleſia audierit inter Orthodoxos; ſoliſque in Romanam Eccleſiam debacchandi Schiſmaticis, & Hæreticis prava libido relicta eſset. Quia vero ab iis, quæ facti, ea quæ juris ſunt, & ab iis, quæ ad indefectibilitatem ſpectant, ea quæ auctoritatem ſupra Concilia concernunt, ſecernere difficile admodum eſt, propterea uno ſermonis contextu, ſub eadem propoſitione utraque complectemur.

Prænotandum ſecundo, quod in præſenti quæſtione Pontificem ex Cathedra pronuntiantem falli, & fallere neſcium Orthodoxi ferme omnes adſtruunt, tantumque eum, quum tamquam privatus Doctor ſententiàm ſuam profert, eo inerrantiæ privilegio pollere negant. At hic ambago eſt dolis, ac fraudibus a viris plerumque ſubleſtæ fidei ſtudioſe implicata, quid rei ea voce *ex Cathedra* intelligi oporteat. Dupinus, cui adſtipulatus eſt Boſſue-

ſuetius, deſpicatui habet diſtinctionem illam, quaſi novitiam, ac inauditam, qua Romanus Pontifex bifariam veluti ſcinditur, eique qua Doctori ſingulari ea infallibilitatis nota denegatur, quæ ipſi, qua Doctori ex Cathedra docenti adſeritur. Verum non erat ſane cur viro delicati ſaporis diſpliceret ea diſtinctio, quæ Theologorum cohorti univerſæ arridet; idque animadvertere debuerat ſenſui obvium, in iis omnibus, quæ Romanus Pontifex loquitur, ſcribit, dictat, reſpondet, agit, non agere ſemper ex munere univerſalis Eccleſiæ Magiſtri; nec ſemper fidem, ac mores fidelibus cunctis, qua late patet orbis, præſcribere. Hanc ſane diſtinctionem in Romano Pontifice innuit Ruſticus Eccleſiæ Romanæ Diaconus in diſput. adv. Acepholos ajens: *Dei Eccleſia familiaribus non intendit, neque hypomniſticis, neque iis, quæ ad unum & domeſticum fiunt, ſed his, quæ ad Synodos, ſeu a Synodis dogmatice, & pubblice, & deffinitive de his, quæ in quæſtionem veniunt, deſcribuntur*. P. Bagotius Soc. Jeſu in apologetico fidei lib. 4. diſp. 3. cap. 10. ſect. 3. Pontificem ex Cathedra tum edicere cenſet, quum audito Concilio aliquo, quod ab illo audiri vult, pronuntiat. Sane olim Romanis Pontificibus ſolemne erat Synodos indicere, auditiſque Epiſcoporum votis rem deffinire, cujus moris frequentia exempla in Synodis Romanis hiſtoria Eccleſiaſtica ſuppeditat. Aliquando Romani Cleri adhibitis conſiliis id præſtabant; unde idem Clerus Romanus in epiſt. ad S. Cyprian: inter Cyprianicas 30, alias 31. primas quidem de rebus Eccleſiaſticis decernendi partes Romano Pontifici tribuit, frequentatum tamen morem fuiſſe, ut non ante adhibitum Cleri conſilium quidpiam decernerent, ſcribit. Quo quidem loco peſſime abuſos Chamierum, & Spanhemium jure optimo arguit doctiſs. Mamachius orig. & antiq. criſt. lib. 4. p. 2. tom. 5. pag. 46. not. 1. S. Siricius poſtquam Jovinianum diris cunctis devoviſſet, ad S. Ambroſium ſcribens, *facto*, inquit, *Præſbiterio omnium noſtrum, tam Præsbiterorum, quam Diaconorum, quam etiam totius Cleri una ſuſcitata ſententia eſt, ut Jovinianus, & incentores novæ hæreſis inventi Divina Sententia, & noſtro judicio in perpetuum damnati extra Eccleſiam remaneant*. S. Auguſtinus quoque lib. 2. de peccat. orig. Capp. 8. & 17. innuit S. Zozimum in Pelagii, & Cæle-

Cæleſtii damnatione conſilium, ac ſenſum adhibuiſſe Eccleſiæ Romanæ. Hiſce Synodis, atque Romani Cleri Officiis ratione optima ſuffecta ire cum Cardinalium Conſiſtoria, tum S. Congregationes, quæ jure optimo perennes Synodos, ac præſto ſemper Romano Pontifici adſtantes, quis nuncuparit, harumque ope, votiſque cuncta fieri non nemo noſcit. Verum nefas eſt inferre exinde Romanum Pontificem e gradu indeffectibilitatis excidere illico, atque quum inconſulta Romana ſua Eccleſia quidquam in fide, & moribus fuerit molitus. Namque ita, non Pontifici, ſed Romano Clero privilegium illud foret adjudicandum; ita Petri perſonam gereret, ac privilegium teneret Romana Eccleſia, non Romanus Pontifex; ita in Pontificem ipſum Eccleſiæ Romanæ, non e converſo, juſdicundi eſſet auctoritas; ita ſupra cæteros orbis Epiſcopos Romanus Pontifex peculiari aliquo non frueretur privilegio. Sane, ut infinita omittam ex dicendis facile colligenda, illud hic dicam: S. Leonem procul dubio Eccleſiæ Romanæ adjutorium non adhibuiſſe, quando tamquam fidei regulam ſuam Epiſtolam dogmaticam ad Flavianum legendam, ac recipiendam a Concilio Chalcedonenſi miſit, & mandavit, nec indicium eſt Romæ prius, ac poſtea Conſtantinopoli, & Chalcedone fuiſſe publici juris factam. Hiſce ſimiliter, & ſequentibus evertitur Launoii, & Serrii, diſſert. de Rom. Pontifice in ferendo de fide, moribusque judicio falli, & fallere neſcio, ſubdola plane ſententia privilegium hocce Pontifici adſerens, ſi tamen conſenſus acceſſerit Eccleſiæ ſpecialis Romanæ: hac ſcilicet conditione Pontificiam infallibilitatem, quam ædificare ſimulat, prorſus evertit, atque á Pontifice in Clericos; a Magiſtro in diſcipulos, a Capite in membra, ab Paſtore in oves nefaria juris, ac rationis inverſione transfert. Natalis Alex. Hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. 7. diſſert. 2. Schol. 2. vir alioquin elaboratiſſimi ingenii, critices exquiſitiſſimæ, & omnimodæ eruditionis, ut Pontifex fidem noſtram obliget verbis ſuis, vult illum in anteceſſum attendentem ad Scripturam, & traditionem Eccleſiæ Romanæ, per Theologos expendiſſe controverſias, adhibuiſſe vicinorum Epiſcoporum, & Cardinalium ſententiam, fudiſſe ad Deum preces, tum demum ejus decreta roborari accedente Eccleſiæ conſenſu: Natali ſuffragan-

gantur omnes ferme Pontificiæ infallibilitatis oſores, vel potius ille eorundem ſenſus, qui ipſum non præterierant, expreſſit. Neæ vero ii turpiter nugantur, eaque clauſula Pontificiam infallibilitatem enervant, & extinguunt non modo, ſed ad privatum cujuslibet Epiſcopi gradum deprimunt. Enim vero nonne Epiſcopus quilibet in cauſis fidei, vel morum ſententiam dicens, cui dicendi ſane omnino jus vindicant illi, ſi accedat conſenſus univerſæ Eccleſiæ, infallibilis prorſus evadet? Quid ergo præferet privilegium alioquin peculiare conceſſum Petro, & per Petrum Romanis Pontificibus? Quid adſtruent SS. Patrum voces, Romanos Pontifices præ cæteris vel de fide inquirentium, vel de fide locutos demiſſe excipientium, vel eorundem fidem immaculatam, & integram prædicantium? Sed de his mox. Præſtat ergo dicere Romanum Pontificem tunc loqui ex Cathedra, quando perſonam gerendo Magiſtri, & Doctoris Eccleſiæ in cauſis fidei, & morum ad Eccleſiam univerſam ſententiam dicit, cui ita dicenti refragari ſummum ſit piaculum, quum id credere, vel id agere, quod Pontifex ita credendum, aut agendum docuerit, neceſſe ſit, ut multis oſtendemus. Ita autem credendum, vel agendum tum demum Pontificem qua Pontificem docere dixerim, quum ſive in Concilio, ſive extra Concilium, ſive verbo, ſive ſcripto Chriſtifidelibus univerſis Chriſti vice, aut SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli nomine, ſeu Apoſtolicæ Sedis auctoritate, aut ſimilibus aliis modis quidpiam, Anathematis pœnis ſive adjectis, ſive prætermiſſis credendum, aut agendum præcipit, aut prohibet. Atque quidem antequam ita pronuntiet in more poſitum eſt præmitti, imo præmittenda ex munere eſse tum exquiſitum rei examen, tum diligentem cum verbo Dei ſcripto, aut tradito collationem, tum doctiſſimornm hominum conſultationes, tum demum apud Deum effuſas preces exiſtimo, ea ratione nimirum, quod divinæ res digne diligenterque ſint pertractandæ, Deique operibus coaptari quoque hominum operam deceat, & oporteat: nihilominus conditioni huicce, quam ex illis unam cenſeo, quarum defectus quidem culpa non vacet, effectu tamen non fruſtrentur ſuo, illigatum inerrantiæ privilegium minime putaverim: ut enim ita non putem id efficit, tum quod in bonum Eccleſiæ, ne videlicet de fide

unquam

unquam periclitetur, privilegium illud collatum ſit: Eccleſiæ autem bonum hocce a Pontificis humana opera pendere, ita quod illa diſcrimini obnoxia continuo evadat, ſi iſtius operam deſiderari aliquando contingat, non arbitrarer: tum quod humana opera quum latos neque ſtatutos fines habeat, majorque, aut minor poſſit pro libitu hominum adhiberi: eidem videlicet rei variæ, indiſtinɫte illigata abſque injuria Spiritus S. adſiſtentia dici vereor an poſſit: ſed & ſubdubitandi inde ſemper locus eſſet, num ſufficiens adhibita diligentia fuerit; exindeque anſam facile arriperent Pontificiorum decretorum contemtores eadem poſthabendi, cauſantes non adhibitam, ut fuiſset par, diligentiam. Quomodo plane dubitare pronum eſt de Pontificibus nonnullis, qui ſæculo 9. & 10. Apoſtolicam Sedem nonnulla labe dehoneſtarunt, eaque potiſſimum ex præcipiti, peſſimoque aliquando agendi conſilio: tum quod ex Dei verbo ſive ſcripto, ſive tradito, ex quo privilegium iſtud Pontificibus vindicandum aggredimur nuſpiam adparet veritatis adipiſcendæ gratia prærequiſitam ejuſmodi operam: difficileque pariter probaretur veterum Pontificum germana procul dubio decreta, ut mox de Epiſtola S. Leonis ad Flavianum dicebam, omnia omnino ad eam incudem adornata ſemper fuiſſe: quamquam prætermiſſa non fuiſſe probe reputandum ſit, ex ea præſertim Romanæ Eccleſiæ Sacra conſuetudine, qua rebus difficilibus dirimendis congregare Synodos Pontificibus olim ſolemne erat, quarum jam nunc loco ſunt Cardinalium Conſiſtoria, Sacræque Congregationes. Fac tamen exempli gratia, prætermiſſa fuiſſe, quidpiam nihilo ſecius fide divina credendum proponi: quid agendum Chriſtifideli eo in caſu erit? Hærebit ne anceps, an adhærebit? Quid ſi hic hæreat, adhæreat ille? Ecce tibi ex diſcordia fidem in diſcrimen adductam?

Prænotandum 3. quod ſub hac noſtra acceptione, Pontificis ſcilicet pronuntiantis, aut qua Doctor ſingularis eſt, aut qua Doctor publicus Eccleſiæ univerſæ dicens, admitti, atque ratione optima conciliari poteſt celebris illa Romanum Pontificem inter, & Sedem Apoſtolicam diſtinctio, quæ alioquin prorſus exſufflanda, aut riſu excipienda foret, ut quæ ab ejuſdem Sedis oſoribus invecta ad Romanos Pontifices illudendos, aut eludendos. Primus

mus, quem ſciam, qui hanc diſtinctionem inter Apoſtolicam Sedem, ac Pontificem in ea ſedentem adinvenerit, fuit Auxilius Præsbyter ſæculi 10. Auctor. ita namque lib. 2. inſcripto *Infenſor, & Defenſor*, quo non ſecus ac 1. Ordinationes a Formoſo Papa factas contra Stephanum VII. defendit cap. 18. ita ſcribit: *aliud ſunt Pontificales Sedes aliud Præſidentes. Proinde honos, & dignitas unius cujuſque Sedis obſervanda ſunt: Præſidentes autem, ſi deviaverint, per devia ſequendi non ſunt, hoc eſt ſi contra fidem, vel Catholicam Religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam ſequi debemus*. Atque ita quidem in opinione Auxilii lib. 1. capp. 25., & 27., & lib. 2. cap. 4. Liberius hæreticus, & apoſtata fuit: Stephanus vero VII. reiterari jubens ordinationes a Formoſo factas per devia abreptus fuit. Auxilii vero hærentes veſtigiis Romanorum Pontificum convitiatores ea adhibita diſtinctione, Apoſtolicæ quidem Sedi debitum conſervandum honorem profitentur, eamque prorſus ab errore immunem prædicant, in Pontifices vero infrunite infræneque debacchantur, nec uni, nec unam erroris perſonam imponere abſterrentur, uti obſervatum rite a doctiſſimo Joanne Morino eſt præfat. in laudatos duos Auxilii libellos, quos ſuo commentario de Sacris Ordinationibus intexuit. Verum enim vero Sedis Apoſtolicæ nomine quid aliud potiſſimum intelligi oportet, quam in ea ſedentes Romanos Pontifices, dum perſonam gerunt Magiſtri Eccleſiam univerſam edocentis? Ita plane intellexere Galliarum Præſules præſtantiſſimi, quamvis inane diſcrimen illud ab Gallis nonnullis invectum non ignorarent; ſub Sedis, inquam, Apoſtolicæ nomine Pontifices in eadem præſidentes dum e Cathedra, ideſt, ut Doctores Eccleſiæ univerſæ pronuntiant. Ita (ut illos nunc omittam quorum laudes ſuo loco erunt celebrandæ) in Romano Pontifice Sedis Apoſtolicæ, ſeu Romanæ Eccleſiæ auctoritatem vigere apertiſſime declararunt Epiſcopi Gallicani an. 1653. ſcribentes ad Innocentium X, Epiſcopi Provinciæ Rhemenſis an. 1699. ad Innocentium XII; Epiſcopi Pariſiis congregati an. 1682. ad Innocentium XI; *quantum olim* ajentes *a majoribus noſtris Apoſtolicæ Sedi delatum eſt, tantum nos veſtræ ſanctitati debere ſolemniter profitemur*. Vide Memoire du Clergè tom. 1. edit. Pariſ. an. 1716

Ita

Ita anno 1699. in cauſa libri Gallice inſcripti: *Explication des Maximes*, ad Inncentium XII ipſe Auctor Illuſtriſs. D. De Fenelon ſcribens; & Epiſcopi an. 1700. Pariſiis congregati. Ita Epiſcopi Pariſienſis, Meldenſis, & Carnotenſis ad Innocentium XII. ſcribentes: atque in eadem cauſa Epiſcopi Provinciarum Rhotomagenſis, Pariſienſis, Nàrbonenſis, Rhemenſis, Cameracenſis &c. an. 1699. Ita rurſus in cauſa Janſenii in litteris ad Clementem XI, Epiſcopi Pariſiis an. 1705. collecti; & in cauſa Queſnelli in litt. ad eundem Pontificem Epiſcopi e Cœtu Pariſiis habito an. 1713., & 1714; ſpeciatim vero Languetius Archiepiſcopus Senon: in monito ad ſuæ Diœceſis refractarios an. 1718; Cardinalis de Biſſi Epiſcopus Meldenſis in docum. Paſtor. contra appellat. a Conſtit. *Unigenitus* an. 1728; Cardinalis de Tencin Archiepiſcopus Lugdun. in epiſt. ad Epiſcop. Sanitienſem an. 1729; Cardinalis de Noallies in mandato pro Conſtitution. *Vineam Domini* an. 1705. Boſſuetius Epiſcopus Meldenſis in docum. Paſtorali *de promiſſionibus Eccles.* an. 1729; de S. Albin Archiep. Cameracenſis in docum. Paſtor. adverſus conſultat. advocat. an. 1730; De la Farre Epiſc. Laudun. in docum. Paſtor. *de obedientia debita Conſtit. Unigenitus* an. 1730; docentes Sedis Apoſtolicæ judicium ab Epiſcopis coarctari non poſſe, & appellationem a dogmaticis Sedis Apoſtolicæ Judiciis nullam eſse; De Colongue Epiſcopus Aptenſis in ſuo mandato an. 1717; ubi diſtinctionem illam Pontificem inter, & Sedem Apoſtolicam, vocat *abſtractam, ab hæreticis inventam, & veteribus Eccleſiæ Patribus ignotam*, imo ab ipſis proſcriptam, De Mailii Archiep. Rhem. in mandato part. de Conſtit. *Unigenitus* an. 1718. illum detrahere Sedi Apoſtolicæ ajens, qui Pontificis diffinitionibus reſiſtit: Anonymus Epiſcop. in epiſt. ad Epiſcop. Antiſiodor., qui S. Petri Damiani Teſtimonio probat a Sede Apoſtolica non diſtinguendum Romanum Pontificem. Eadem, quæ Epiſcoporum ſententia, Theologorum Pariſientium eſt: Ita enim cenſuit S. Facultas Pariſienſis an. 1729. adverſus Queſnelli Sectatores eam diſtinctionem obtrudentes; Thomaſſinus diſſert. 20. in 6. Synod. n. 17. Tournellius de Eccleſ. Tom. 2., & Serrjus diſsert. de Rom. Pontif. cap. 10. Ratio denique id ſuadet: Nam quorſum a Sede Apoſtolica diſcriminatur in ea ſedens Pontifex?

ſex ? Numquid non ſtatim obtutibus occurrit, quod judicium inde manans a viro in ea ſedente manare oportet ? Numquid ſemel adſerto, quod in ea ſedens Pontifex erret, & a fide devia edicat, neceſſe eſt ſtatim errori Sedem ipſam ſubjectam intelligi ? Apage ergo diſtinctionem eo dolo adinventam, nimirum ad declinandam tum venerabilem Patrum auctoritatem, tum ad conflandam Pontificibus Summis invidiam. Adiſis virum doctiſſimum Soardum tom. 1. diſſert. prævia *de ſupr. Rom. Pontif. auctorit. hodierna Eccleſiæ Gallicanæ doctrina*. Quando igitur, ut repetam verbo, quidquam credendum, aut agendum Pontifex Romanus Eccleſiæ edixerit, id profecto credendum, aut agendum nobis proponi autumemus a Sede Apoſtolica, atque id credere, aut agere noſtra ſummopere intereſſe arbitremur. Confer Bailium ſumma Conc. tom. 1. in appar. tit. de verbo Dei definit: 8; Macedum lib. de Rom. Pontif.; Hurtadum Theolog. reform. quæſt. 18; Orſium lib. de infallib. & auctorit. Rom Pontif.; Matthæum Petit-Didier. tract. de auctorit. & infallib: Sum. Pontif., & diſſert. Hiſtor. Theolog. circa ſenſum Cocilii Conſtânt; Anonymum auctorem diſſert. duplicis De Rom. Pontif. privilegiis; Illuſtriſſimum Sommier Hiſtor. dogmat. Sedis Apoſt.; Anonymum auctorem obſervat. Theolog. hiſt. criticar. in hiſtor. Eccleſiaſt. D. De Fleurj; Eminent. Aguirræum tract. de Cathed. Petri; Cavalcantem in vindiciis Rom. Pontif.; Euſebium Amort in demonſtration. critica Relig. Chriſt. par. 1. quæſt. 4., aliosque ſuis locis laudandos. His præjactis antequam de Romani Pontificis privilegiis inſtituatur ſermo, e re eſt, ut de iiſdem privilegiis S. Petro a Chriſto Domino collatis agamus.

De Privilegiis S. Petro a Chriſto Domino collatis

PROLEGOMENON.

QUandoquidem Romano Pontifici adſerenda, vindicandaque privilegia ex eo fonte promanant, a quo in S. Petrum defluxere, eo quod S. Petri ſucceſſor ſit, Chriſti Domini-

Vicarius, & Eccleſiæ Caput, & Primas; operæ proinde eſt pretium eadem privilegia in S. Petro argumentis in anteceſſum fulciri, & firmare, oſtendendo videlicet 1. eum Romanum Epiſcopatum geſſiſſe: 2. ab eodem Romanum Epiſcopatum ſolitarie, absque S. Pauli conſortio geſtum: 3. eidem a Chriſto Domino collata cum Primatu cætera privilegia. Cauſam enim Romani Pontificis agendam adgredimur Orthodoxos alioquin adverſus non modo, ſed adverſus Hæterodoxos; e quibus alii quidem, ut Romani Epiſcopi Primatum a S. Petro derivatum evertant, ſeſſionem S. Petri Romæ inficias eunt: alii vero non id quidem inficiantur, bene tamen ejuſdem Primatum; aut cætera Primatum conſectantia privilegia

De Romano S. Petri Pontificatu.

§. I.

QUod ad primum igitur pertinet, S. Petrum Romam veniſſe, ibidem Epiſcopatum egiſſe, ibique fatis fuiſſe functum, multa ſuadent. 1. ejuſdem S. Petri Epiſtola 1. cap. 5., qua ait, *ſalutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus*; quibus verbis concluditur hanc Secundam Epiſtolam non ſecus ac primam, de qua in eadem fit ſermo, Romæ ſcriptam fuiſſe, quam Babylonis nomine deſignat. Cur Apoſtolus Babylonis nomine Romam deſignarit, & allegoriam hancce adhibuerit, ratio eſſe potuit; tum ne ubi moraretur indicaret; prudentiæ enim erat, ut tunc temporis, quo inimicorum perſecutionibus premebatur, ac fidelibus per Evangelium Eccleſiæ gignendis operam primam navabat, ſe ſe occultaret; tum quod ad Hebræos ſcribens ad fidem adductos, jamque hiſce allegoriis aſſuetos, quibus facile perſuaſum erat per Babylonem intellectam iri Romam idololatriæ, vitiiſque deditiſſimam, non ſecus ac ſatis compertum erat per Sodomam, Urbem turpibus vitiis depravatam, per Ægyptum, Regionem ſuperſtitionibus corruptam &c. intelligi, ea ratione Babylonis vocabulo Romam nuncupavit, ut qualis fuerat Parentibus captivis Babylon, intelligerent Judæis, & Chri-
ſtianis

ſtianis Romam eſſe. Quod vero Babylonis nomine Romam revera intellexerit S.Petrus,id negarunt plerique quidem ex Proteſtantibus præſertim,in diverſas opiniones diſtracti.Nam Ludovicus Capellus hiſt. Apoſt. Babylonis nomine Hieroſolymam intelligi vult, eo quod ea in Urbe poſt Chriſti necem in Chriſtianos ſævitum vehementer ſit. Joſephus Scaliger in Chr.Euſebii; Salmaſius de Primatu Pontif., Druſius, & Baſnagius in Contin. Joſephi Babylonem, de qua S. Petrus, eſſe Urbem Chaldeæ celebrem volunt, quam ſub id temporis non fuiſſe incolis omnino deſtitutam, neque omnes ex illa Judæos egreſſos contendunt. S. Petrum Antiochia Babylonem perrexiſſe, poſtquam in Provincias Euphrati ſatis proximas, ſcilicet Bythiniam, Galatiam, Pontum & Cappadociam, Evangelium intuliſſet. Alii ex adverſo pro Babylone Ægyptia pugnant, Babylonem Chaldeæ, e qua expulſi Judæi fuerant, tunc incolis deſtitutam fuiſſe aſſerentes; atque ex his Pearſonus oper. poſth. pag. 54., & 56., & Georgius Hornius hiſt. Eccl. part. 1. art. 1. Verumtamen Babylonis nomine a S. Petro non indicari Babylonem Ægypti, exinde ſuadetur, quod in ea commoratos fuiſſe Judæos nullus enarrat, nam erat non Urbs, ſed Caſtellum, ut nominavit eam Strabo lib. 17.; ab ullo in ea prædicatum Evangelium, in ea ullum per ſæcula plurima conſediſſe Epiſcopum, memoriæ nuſquam proditum eſt: Nam Epiſcoporum primus, qui Babyloni Ægyptiæ præfuerit, juxta Spanhemium diſſert. de temere credita Petri in Urbem Rom. profectione, fuit Cyrus, cujus nomen occurrit Act.1. Conc. Chalcedonen.; juxta Baronium ad an. 45. fuit Zozimus ſub Juſtino Juniore, ideſt Eccleſiæ 5. ſæculo. Neque eſſe Urbem Chaldeæ exinde ſuadetur, quod ſub id temporis lapidum potius congeries, quam Civitas videretur teſte Plinio lib. 6. cap. 26.; deſertam ferme ſcripſerit Strabo, & vix populo minimam ejus partem frequentatam memorarit Diodorus. Quin imo Caj Auguſti tempore Judæos, quotquot Babylone agebant, expulſos fuiſſe, & internecione deletos ſcribit Joſephus lib. 18. antiq. cap. 12. Non erat ergo cur hiſce, aliiſque hujuſcemodi argumentis Proteſtantium abſtracti, de ſenſu Babylonis a S. Petro commemoratæ dubitarent, Petrus De Marca, & Harduinus, nam Michaelem Cæſen par. & Marſilium

Patavinum; Joannem Aventinum; Joannem Lelandum; Carolum Molinæum; iiſque non abſimiles non moror. Babylonis ergo nomine Romam deſignatam fuiſſe a S. Petro ſuadetur ex eo, tum quod S. Joannes Apoc. 17. Babylonis nomine intellexerit pariter Romam; atque ita interpretati ſunt locum S. Joannis Tertullianus lib. adv. Judæos cap. 9., & lib. 3. còntra Marc. cap. 13; S. Hieronymus in Joan. 24. & 27., & lib. 2. contra Jovin:; S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. cap. 22., & interpretes in Apoc. 17.: tum quod locum S. Petri de Babylone pro Roma accipienda interpretati ſint Papias apud Euſebium lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 14., Euſebius ipſe; S. Hieronymus in Catologo &c.: tum quod ex Actibus Apoſt. cap. ultimo, & epiſt. ad Rom. cap. 1. conſtat Eccleſiam jam Romæ conſtitutam fuiſſe, antequam Romam veniſſet Paulus: Eam ergo conſtituerat S. Petrus: tum quod S. Marcus Romæ ſcripſerit Evangelium, prout ibi S. Petrum prædicantem audierat, ut teſtantur Clemens Alex. in lib. Hipotyp:; Euſebius lib. 11. hiſt. Eccleſ. cap. 15.; & S. Hieronymus in Catalogo: tum quod victoriam Romæ de Simone Mago a S. Petro relatam commemorent Arnobius lib. 2.; Hegeſippus lib. de excidio Hieroſolym. cap. 3., S. Cirillus Hieroſol. Cathech. 6., S. Ambroſius in tract. De Baſilicis Hæreticis &c., S. Auguſtinus de Hæres: cap. 1., Severus Sulpitius, Theodoretus, S. Iſidorus Peluſiota; V. Beda in epiſt. 1. S. Petri cap. 5., Oecumenius in eamd. epiſt. cap. 8., aliique plures. 2.

S. Petrum Romam veniſſe, ibique Epiſcopi munere perfunctum mortem occubuiſſe referunt Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici: ex Græcis S. Ignatius in epiſt. genuina ad Roman.; Papias apud Euſebium hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 15., quamvis vero Papiæ locum apud Euſebium recitatum, ſcilicet: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta* ſejungat Valeſius, exiſtimans non eſſe Papiæ; fatetur tamen a Ruffino, & Muſculo eum locum tribui Papiæ: & Euſebius ex Papiæ ſententia S. Petrum Romæ fuiſſe aſſerit. S. Iræneus lib. 5. adv. Hæreſ. cap. 33.; S. Dionyſius Corinth. Epiſcop. in epiſt. ad Roman. apud Euſebium lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 25., Clemens Alex. lib. 6. hipothyp. apud Euſebium lib. 2. cap. 15., Origenes in Gen., & apud Euſebium lib. 3. cap. 1., S[illegible]llus Hieroſol. cath. 6., Theodoretus epiſt. 113.

ad

ad S. Leonem Magnum, S. Epiphanius; S. Chryſoſtomus hom. 32. in epiſt. ad Rom., S. Athanaſius apolog., aliique. Ex Latinis vero Sanctus Clemens epiſt. ad Corinth., Cajus Præsbyter ſub Zephirino Papa diſcept. adverſus Proclum apud Euſebium lib. 2. cap. 25, Tertullianus de præſcript. cap. 32, & 36, de baptiſmo cap.4.,lib.4.adv. Marc.cap.5,& Scorp. cap.15, S.Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium, Firmilianus epiſt. inter Cyprian. 75, S. Ambroſius lib. 3. de Sacr. cap. 1, S. Hieronymus loc. cit.; & epiſt. 46, alias 17. ad Marcellam, S. Auguſtinus de hær. cap. 1, S.Optatus Millevit. lib. 2. cap. 2, Arnobius loco cit., Hegeſippus loc. cit., Lactantius lib. 4. inſtit. cap. 11, Paulus Oroſius lib. 7. cap. 4, S. Paulinus Nolan. in Nat. 11. S. Felicis, aliique plures, ut proinde, contra quam ſenſerint Guillelmus Vvicleffi præceptor apud Bellarminum lib. 2. de Rom. Pontif. cap.1, Lutherus, Uldaricus Velenus Lutheranus, Illyricus, Calvinus, Marcus Antonius de Dominis, Centuriatores, Salmaſius, Spanhemius, aliique apud Jodocum Coccium tom. 2. Theſauri Catholici lib. 7. art. 5, hac in parte Catholicis cohærentes exiſtimarint Petrum Romam profectum, Pearſonus aſſerens oper. poſth. a veteribus numquam in dubium revocatum, vel quod Petrus Romanam Eccleſiam erexerit, vel quod Pontifices ei ſuccedant: Grotius in 1. Petri 5, & Hammondus diſſert. 5. de Epiſcopis & Præsbyteris Babylonis nomen, de qua Petrus, a veteribus de Roma ſemper explicatum fuiſſe conſentientes: Uſſerius ad an. 66, & 67. Petrum Romae ſub Nerone ſupremum diem obijſſe, & Roma epiſtolas dediſſe ſecundam, & primam; Chamier lib.13. cap.4. magni faciens Patrum unanimem de Petri adventu Romam conſenſum; Blondellus de Primatu pag. 14, & 19. Romanam Eccleſiam a Petro, & Paulo erectam aſſerens; Franciſcus Junius, Scaliger, Caſaubonus, Petrus Molinæus, Samuel Petit, Seldenus, Vedelius, &c; qui S. Ignatii in epiſtolas ſcripſerunt, inter quas epiſtola ad Romanos habet: *Non ut Petrus, & Paulus præcipio vobis*: Petrum Romam profectum teſtantes: Patricius Junius in notis ad epiſt. S. Clem. ad Corinth. id in dubium abſque temeritate revocari nequire concludens: Joannes Clericus hiſt. Eccleſ. ad an. 68, Caveus hiſt. litt. par. 1. pag. 4, & par. 2. pag. 2,

Iſa-

Iſaacus Nevvtonus cap. 1. obſerv. in Apocalyp., Laur. Moshemius de rebus Chriſt. ante Conſtant., Thomas Ittigius hiſt. Eccleſ. Sæculi I. cap. 4, Herneſtus Grabbius annot. in cap. 1. lib. 3. S. Irænei, Samuel Baſnagius ad an. 64, aliique Proteſtantium apud Fogginium id aſſerere coacti: ut proinde ſi inconcuſſa manet critices regula illa: quod factum hiſtoricum, quod coævi, vel ferme coævi integræ fidei auctores referunt, quos vetuſtiores, vel peritiores non improbent; quibus Fideles omnes, quin Schiſmatici, & Hæretici per plura ſæcula fidem adhibuere; quodque factum hiſtoricum confirment publica monumenta, Sepulchra erectaq; Cathedra extans, Templa conſtructa, Diplomata &c. omnino certum eſt reputandum, indubius plane eſt Romanus S. Petri Pontificatus; ejuſmodi enim generis eſt hiſtoricum factum de Romana S. Petri profectione, & Pontificatu, cui univerſa mox recitata ſuffragantur, ut proinde vix etiam reperiri teſtatior hiſtoria poſſit, ut ait Vir Cl. Thomas Mamachius orig. & antiq. Chriſt. lib. 2. cap. 6. §. 2. not. 4. Legendi idem Mamachius ibidem, Baronius ad an. 44, Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 1, Natalis Alex. hiſt. Eccleſ. ad Sæculum I. diſſert. 13. prop. 1, Calmetius diſſert. de itinere Romano S. Petri ad 1. Petri 5. 13, Sandinus diſſert. hiſt. ad Vitas Pontif. diſſert. 3, ſed præſertim Petrus Franciſcus Fogginius exercit. 12. de Romano S. Petri itinere, Scheleſtratius diſſert. 3. tom. 2. antiq. Illuſtr. cap. 1. & 2, & Blanchinius in notis ad Anaſtaſium Biblioth. tom. 2. Videſis etiam Tillemontium tom. 1. monum. hiſt. Eccl. in S. Petro, de monumentis Romæ S. Petro erectis diſſerentem, & Fevardentium not. in cap. 1. lib. 3. S. Irænei.

Pleraque opponunt Velenus, Salmaſius, Spanhemius, Spalatenſis, Turretinus, & Baſnagius; inter quæ primo non conſtare de anno, quo Petrus Romam profectus fuerit; quot annis Romæ fuerit demoratus, quove anno vita functus. Secundo conjecturas pleraſque eſſe contra illam S. Petri Romam profectionem. Nam Petrus anno a Chriſti nece 20. circiter Hieroſolymitano interfuit Concilio. Paulus ad Romanos ſcribens varios ſalutat, Petri nequidem meminit, imo ait ſe prædicaſſe, nonniſi ubi Chriſtus prædicatus non fuerat. In actis cap. 28. Paulo adventante

te Romam dicitur Fideles omnes ad eum confluxiſſe, nec Petri fit mentio: dicitur etiam quod Judæi Romæ commorantes, eum inviſentes rogarint, ut illis de Religione Chriſtiana diſſereret, quod potius a Petro expoſtulaſſent, ſi Romæ fuiſset. Paulus rurſus Romæ ad Philippenſes, Colloſsenſes, Epheſios, & Timotheum ſcribens nominat varios Romæ exiſtentes, a quibus mittit ſalutem; nullibi a Petro. Sed & in epiſtola ad Galat. bis meminit Paulus habitæ cum Petro collocutionis, Hieroſolymis, nempe, & Antiochiæ, non meminit, quod Romæ cum eo contulerit. Petrus inſuper, & Paulus ita inter ſe convenerant, ut Evangelii laboribus ſibi ex compoſito diſtributis, Paulus Ethnicos, Petrus Judæos in fide erudiret. S. Lucas etiam in Actis hiſtoriam Apoſtolorum texens hujus profectionis Romanæ ne volam quidem habet. Sed acta Lini habent Petrum, & Paulum diverſo tempore paſsos; & S. Auguſtinus epiſt. 86. fabulis accenſet certamen Petri Romæ habitum cum Simone Mago.

Verumtamen hæc tanti non ſunt, ut noſtrum valeant aſsenſum extorquere, ac Patrum traditionem concutere. Quapropter reſpondeo ad primum, primo eſto Scriptores non conveniant de anno Adventus Petri, conveniunt tamen de Adventu: nonne de anno Chriſti Natali, & emortuali diſsentiunt Chronologi? attamen non dubitant de Chriſti Nativitate, & obitu: non ſecus ac convenientes Chriſtum obiiſse ſub finem hebdomadum Danielis, diſsentiunt tamen in Epocha, a qua illæ incipiant, an a Cyro, an a Dario, an ab Artaxerſe Longimano, an ab Artaxerſe Memnone. Reſpondeo ſecundo varias eſse Veterum, & Recentiorum ſententias de anno Adventus Petri Romam, quas integrum eſt cuique tueri; neque enim ullam ex his Epocham probat, vel improbat Eccleſia. Paulus Oroſius lib. 7. cap. 6, Petrum Romam veniſse exordio Regni Claudii ſcribit. Euſebius in Chron., S. Hieronymus de vir. Illuſtr. cap. 1, & Addo anno 2. Claudii aſserunt. Vvernerus Rollevvink in faſciculo temporum anno 4. Claudii: alii 7, alii 13, ut obſervat Honoratus a Sancta Maria tom. 1. animad. in reg. Crit. diſsert. 3. art. 1. Auctor libri de Mortibus Perſecut. Lactantio attributus cap. 2. ſub Neronis Imperio Petrum Romam veniſse ſcribit. Anaſtaſius quoque narrat Petrum ingreſ-

ſum

ſum in Urbem Romam ſub Neronis Imperio. Cui opinioni utroque pollice ſubſcripſere Scaliger in notis ad Chron. Euſebii, Baluzius tom. 1. Miſcellan. par. 1, Pagius in S. Petro. Ex Proteſtantibus vero Samuel Baſnagius ad an. 64, Joannes Fellus in præfat. ad opus lib. de Mort. Perſecut., Burnetius præfat. in idem op., Baudrius not. in cap. 2. ejuſd. libri, Dodvvellus diſsert. de prim. ſucceſs. Rom. Pontif. cap. 3, in append. ad Pearſon., & Caveus tom. 2. hiſt. litt. pag. 4. exinde anſam arripientes erroris accuſandi veteres S. Petro annos 25. Pontificatus adſcribentes. Verum non erat cur Lactantii, & Anaſtaſii locus hos auctores a communiori S. Hieronymi, & Euſebii opinione abſtraheret; nam locus ille facile intelligi poteſt de ſecundo reditu S. Petri Romam, ut exponunt Mamachius loco cit., & Blanchinius in notis ad loc. Anaſtaſii: unde veriſimilior eſt opinio S. Petrum anno 2. Claudii Romam veniſse, quam tenent Euſebius, S. Hieronymus, Addo, & S. Leo ſerm. 80, ubi ait: *numquid aut judicio Pilati, aut ſævitia Judæorum minor erat, vel in Claudio poteſtas, vel in Nerone crudelitas*? ubi ad marginem adiicit Paſchaſius Queſnellus: *Petrus ſub Claudio Romam venit, ſub Nerone moritur*. Eidem opinioni adhærent Spondanus ad an. 44. n. 6, & 10, Petavius Rat. temp. par. 1. lib. 5. cap. 3, Coriolanus in Brev. ad an. 33, Cabaſſutius not. Eccleſ. Sæculi I. in Synopſi, Natalis, Langletus, Fogginius, Mamachius, aliique. Annos igitur 25, quot nempe ab anno 2. Claudii, & Neronis 13 ſeu ultimum interfluxere, S. Petrum Romanam Eccleſiam adminiſtraſse conficiunt Scheleſtratius diſsert. 1. Antiq. Illuſtr. cap. 5. art. 4, Blanchinius in diſsert. de Antiq. Rom. Pontif. catal. cap. 4. ex Catalogo Bucheriano ſub Liberio Papa conſcripto, ut conveniunt cum Bucherio in can. Paſch. Vict., Petavius loc. cit. cap. 5, Lambecius lib. 4. comm. Bibl. Vindob., & Pearſonus diſſert. de ſucceſs. prim. Rom. Pontif. cap. 13. ex inſcriptionibus Parietinis Roman. Pontificum in Baſilica S. Pauli Via Oſtienſi S. Leonis I juſsu pictis imaginibus adjectis, & Catalogo Felicis IV, quibus quod ad numerum annorum attinet, conveniunt Catalogi Bergomenſis, Cavenſis, Farfenſis, Lucenſis, Belgicus Papebrochii, & Colbertini 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7: exinde cum Henſchenio exercit. 4. ad Chronolog.
Pon-

Pontif. calculum huncce conficiunt: anno 37 a Chriſti obitu, 40 Æræ vulgaris, ultimo Caji menſe Aprili S. Petrum Romæ Cathedram inſtituiſſe; tenuiſſeque uſque ad annum 65 Æræ vulgaris, 12 Neronis, diem 29 Junii. Monent autem mendoſum eſse Chronicon Latinum Euſebii, in quo S. Petrus Antiochiæ ſediſſe legitur annis 25, locoque 5 a Typographis Baſileenſibus oſcitanter, vel malitioſe exaratum n. 25. Nam Euſebii Codices MSs. Vaticani, Armenus, & Græcolatinus Scaligeri legunt 5; non 25. Major eſt diſsenſio in anno necis: nam Euſebius anno Chriſti 68 narrat affectum ſupplicio S. Petrum, cui adhærent S. Hieronymus, & Natalis; ſed Petrus Couſtant diſsert. prævia ad epiſt. Rom. Pontif. tom. 1. hanc Epocham improbat, ſcilicet ex eo quod, quum Nero eodem Chriſti anno 68 (14 ſui Imperii non exacto) ante 29 Junii interiiſse conſtet, minime accurata eſt Epocha Euſebii, & S. Hieronymi, ſi Petri Martyrium in eam diem 29 Junii conjiciamus, ſicuti celebrat Eccleſia. S. Hieronymus lib. de Vir. Illuſtr. cap. 22. alteram indicat Epocham, ſcilicet Senecam ante biennium, quam Petrus, & Paulus Martyrio afficerentur, a Nerone interfectum docet: at conſtat Senecam undecimo Neronis anno occiſum; igitur anno 13 Neronis, Chriſti 66. Petrum obiiſse neceſse eſt. S. Epiphanius hær. 27. S. Petri necem in annum Neronis 12, & Chriſti 66 iniicit, cui opinioni adhærent Tillemontius, Gravezonius, & Fogginius. Baronius, Spondanus, & Coriolanus in annum 69. Dupinus conjicit in annum 64. Pagius, Bollandus, & Blanchinius in annum 65, ſecuti Catalogum Rom. Pontif. ſub Liberio editum, quem edidit Bucherius: Mamachius in annum 65, vel 66. Æræ Chriſtianæ: Langletus, & Calmetius in annum 66 Æræ vulgaris. Obiiſſe S. Petrum die 29 Junii Catalogi omnes, & Romanæ Eccleſiæ traditio docent, ut oſtendit Fogginius exercit. 5. Nos illis adhærendum cenſemus, qui in annum 65, vel 66, S. Petri necem conjiciunt; exinde enim ad annum ulr: Caji, ſive 1, vel 2 Claudii, ſeu Æræ vulgaris 40, vel 41, vel 42 anni 25 præterfluxerunt, quot Petrus Romanam Eccleſiam adminiſtravit.

Neque vero huic ſententiæ id officit, quod opponit Pagius Brev. hiſt. crit. Rom. Pont. de S. Petro ſcilicet, quod ex Act. Apoſt.

conſtet Petrum in Judæa, & Syria ſemper manſiſse uſque ad ultimum Agrippæ Regis, qui Hieroſolymis Petrum in vincula conjecit, quique, teſte S. Luca, paulo poſt Cæſareæ interiit. At Agrippa anno 4 Claudii mortuus eſt; igitur ante annum 5. Claudii Romam proficiſci nequivit. Quin Petrus, quum præfuerit Concilio Hieroſolymitano, quod juxta Chronicon Alexandrinum anno 46 Chriſti celebratum eſt, ſequitur Petrum ante annum 7. Claudii non potuiſse Romam proficiſci. Denique Apollonius antiquus Theologus apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 17. auctor eſt Chriſtum Apoſtolis in mandatis dediſſe, ne Hieroſolymis ante annos 12 diſcederent; unde colligit Petrum annos 11 tantummodo Romanam Sedem obtinuiſſe. Non, inquam, iſta officiunt, namque Apollonii teſtimonium cum Actis Apoſtolorum, 9 præſertim non concordat, quibus conſtat Petrum, & Joannem ante illud tempus Samariam petiiſſe, Petrum Eccleſias viſitandas peragraſſe, & e carcere ſolutum Judæa ſtatim exceſſiſſe. Cum Actis vero Apoſtolicis, & Auctore Chronici Alex., qui creditur Gregorius Piſides 7 Sæculi Scriptor, optime cohærent, quæ opponit Pagius, ut ex ſequenti Epocha ſeſſionis Petri conſtabit: ſcilicet S. Petrus annis ferme 4 manſit in Judæa; anno Tiberii ultimo a Chriſti nece 4, non vero 7, ut cenſuit Petavius, Antiochiam ſe contulit Eccleſiam erigendam, ut conſtat ex Chronico Alexandrino: annis 7 Antiochenam rexit Eccleſiam, non ita tamen, quin interim peragraret alias Provincias, Pontum, Aſiam, Cappadociam, Bythiniam: Antiochia anno 11 a Chriſti obitu rediit Hieroſolymam, ibique ab Herode Agrippa in vincula conjectus eſt: paulo poſt ab Angelo liberatus eodem anno 11, & Claudii 2. circa 25 diem Aprilis (nam diebus Azymorum carceri mancipatus, e carcere liber abierat) Romam profectus eſt, ibique Sedem fixit. Anno 7 Seſſionis Romanæ Claudii 9, a Chriſti nece 18, Claudii edicto adverſus Judæos, Roma & ipſe Judæus exul abire coactus eſt; eodemque anno, non vero anno 20, ut Hæretici volunt, celebrato Concilio Hieroſolymitano interfuit. Claudio e vivis ſublato Romam repetiit, ibique anno 13 Neronis Martyr occubuit. Ex quibus Pagii argumenta corruunt, ſed & Onuphrii Panvinii in addition. ad Platinam corruit opinio, qua

cen-

cenſet S. Petri ſeſſionem Romæ anteceſſiſse ſeſſionem Antiochenam. Contra quam opinionem pugnant Patrum teſtimonia, præſertim S. Leonis ſerm. 1. in Nat. Apoſt., Canon Concilii Romani, tum ſub Damaſo, tum ſub Gelaſio an. 494, quo dicitur S. Petrum Antiochiæ primitus, quam Romam veniſſet, habitaſſe; & ratio ipſa, nam Antiochena Eccleſia, ubi primum credentes Chriſtiani ſunt nominati, jam erecta erat tempus ante illud, quo Romam S. Petrus profectus eſt: eam igitur erexerat Petrus, niſi dicatur, quod nefas eſt, alicui ex Diſcipulis Petrum ſucceſſiſse in Epiſcopatu Antiocheno. Poſtremo Antiochiam proficiſcens, vel dimiſit Romanam, vel retinuit, ſi retinuit ergo duas ſimul occupabat Sedes, ſi dimiſit, non ſedit ergo Romæ 25 annis contra omnium Scriptorum fidem, de quibus ſupra, videlicet Euſebii, Hieronymi, Proſperi in Chron., Caſſiodori in Chron., V. Bedæ de ſexta ætat. ad ann. 4007, Auctoris libri Pontificalis, Catalog. Rom. Pontif., de quibus legendi inter alias Scheleſtratius disſert. 1. cap. 5, & Lorinus in Act. Apoſt. cap. 9. 32. ex quibus facile.

Reſpondeo ad ſecundum, nam nihil prohibet quominus S. Petrus, Romæ conſtituta Sede, inde diſceſserit, & pluries modo in Orientem, ut docet Sophronius, modo in Occidentem, ut docent Innocentius I, & ex eo Baronius, Tirinus, & alii, qua de re legendus Hugo Etherianus lib. 3. cap. 17, iter inſtituerit, unde Concilio Hieroſolymitano interfuerit Claudii ann. 10, & anno poſt Concilium Antiochiam perrexerit, ibidem a Paulo redargutus, ac denique, vel 4, vel 7, vel dumtaxat 12, vel 13 Neronis anno Romam redierit, ut proinde bis, vel ter, vel ſæpius Romam venerit. Nec mirum quod Petri mentionem non fecerit Paulus, facile Roma abſens fuerat Petrus: ſed neque exinde liceret colligere Petrum Romæ non fuiſse, nam S. Paulus ad Epheſios ſcribens, nec meminit Timothei Epheſiorum Epiſcopi, neque S. Jacobi in Epiſtola ad Hebræos. Sane Theodoretus ex epiſtola ad Rom., qua cap. 1. S. Paulus uſus eſt verbo *Confirmandi*, colligit a S. Petro jam Romanos fuiſse fide imbutos. Judæi vero iccirco S. Paulum rogarunt, non ut ab illo de Chriſtiana Religione edocerentur, ſed ut reſcirent, quid ipſe, qui habebatur ejus Sectæ doctiſſimus, de ea re diceret. Nil mirum vero,

quod Paulus ad Galatas ſcribens non meminerit congreſſus ſui Romæ cum S. Petro, quia tum temporis nondum Paulus Romam fuerat profectus; nam Romam anno tantum 3. Neronis vinctus adductus eſt, juxta calculum Spondani, Coriolani, & Langleti, conſcripta quippe illa fuit ante epiſtolam ad Romanos, in qua teſte S. Chryſoſtomo præfat. in epiſt. ad Rom. S. Paulus illos videndi vehemens deſiderium promit. De S. Petri ad Judæos, & Pauli ad Gentes Apoſtolatu diſſerens S. Hieronymus in epiſt. ad Galat. cap. 2. ait quidem principale mandatum fuiſſe, ut Petrus Judæos, Paulus Gentiles in fide erudirent; in commune tamen hoc habuiſſe propoſiti, ut Chriſto ex cunctis gentibus Eccleſiam congregarent. Et ſane, ſi quos Petrus inveniſſet ex Gentibus, & Paulus ex Judæis, non eos adduxiſſent ad fidem? ſed & ſcimus a S. Petro baptizatum Gentilem Cornelium, & in Concilio dixiſſe ſe electum, ut per os ſuum audirent Gentes Evangelium; & Paulum in Synagoga Chriſtum Judæis ſæpe prædicaſſe. Confer S. Hieronymum in cap.2. epiſt. ad Galat. v.7. Denique ſub Cajo, & Claudio ingentem Judæorum numerum Romæ commorantium fuiſſe conſtat ex Joſepho lib. 17. cap. 12, Philone in legatione ad Cajum, & Dione libro 9; Judæis ergo Romæ degentibus prædicatum Evangelium Petrus ire potuit. Quod ſi S. Lucas Petri Romanum iter ſilentio præteriit, id in cauſſa fuit, quod non Sancti Petri, cujus poſt 16 caput videtur oblitus, ſed ſolius Pauli hiſtoriam referendam ſuſcepit. Neque enim eo in libro de aliis Apoſtolis verba facit S. Lucas; quin imo ejuſdem S. Pauli Hieroſolymitanum iter, & in Galatiam ſilentio obvoluit, ut proinde ex eo Lucæ ſilentio potius argumentum hauſerit S. Hieronymus loco mox citato probandi S. Lucam pleraque prætermiſiſſe, inter quæ S. Petri Antiochenum, & Romanum Epiſcopatum. Spanhemius diſſert. de temere credita Petri in Urbe Roma profect. plurimas vulgatas eſſe fabulas de Romano Petri itinere multis conatur oſtendere, plurima Romæ, & alibi monumenta, plurimos itineris ſui comites, plurimas locorum, & temporis circumſtantias, quibus omnibus fidem abnegandam contendit. At vero commenta, fabulas, & quaſdam quoque populares traditiones ea non eſſe concedimus, quibus continuo fidem adhibeamus: in eorum cenſum

ſum referimus Acta Lini, quibus hiſtoria Paſſionis cum Petri, tum Pauli attexitur: ea ſpuria procul dubio pronuntiamus, quis enim credat, ut alia omittamus abſurda, quæ in illis narrantur, Petrum Xandippem Albini Uxorem a viri ſui conſortio abſtraxiſſe? Quis credat S. Petrum ab Agrippa Urbis Præfecto invito Nerone interfectum? ut proinde pudere debuerit Velenum talia acta objeciſſe: at momenta a nobis allata ad vindicandum S. Petri iter Romanum Spanhemio talia eſſe debuerant, ut ejuſdem quoque extorquerent aſſenſum.

Habes ex his, quo Salmaſio ſatisfacias objicienti S. Clementis in epiſt. ad Corinth: ſilentium, quo laboribus, & Martyrio S. Petri commemoratis, iter Romanum, ejuſque mortem in Urbe præterit: Nam id adeo notum erat Chriſtianis, ut relato Martyrio ſatis intelligi eſſet Martyrii locum, neque ſcopus epiſtolæ id exigebat, cujus erat Corinthios ab invidia arcere, & ad patientiam incitare: unde Petri labores, & Martyrium ipſis propoſuit in exemplum, non erat vero cur Martyrii locum proponeret. Perperam denique S. Auguſtinus nobis opponitur: nam S. Petri certamen cum Simone Mago, quod lib: de Hæreſ. commemorarat, abſit, ut cit: loc: ep: 86. in dubium revocarit: ſed in incertum revocavit opinionem, quæ circumferebatur de conſuetudine jejunandi in Sabbatho in Eccleſia Romana, quam quidam ex jejunio Petri die Sabbathi, quæ certamen illius cum Simone Mago præceſſit, manaſſe ad poſteros jactabant. Sed multa nimis de hoc argumento, de quo conſulendi auctores in ſermone laudati. Ex his, quæ hactenus diſputata ſunt, tum demum cum doctiſs. Blanchinio loc. indic., & Blanco de polit:, & poteſt: Eecl ſ: tom. 3. lib. 1. cap: 3. §. 3., & 4. conficere quilibet poteſt, Romani itineris occaſionem S. Petro facile præbuiſse Cornelium Romanum Centurionem Legionis Italicæ in Syria tum degentem. Is a S. Petro baptizatus anno ab obitu Chriſti 8, Æræ vulgaris 36, in quo Tiberius in Imperio Cajum excepit, a Cajo vero adverſus Germanos, & Britones in Occidentem accitæ Legiones Romanæ ſunt, eo una cum iiſdem profectus eſt, ideoque cum Cornelio Romam pergendi S. Petro opportunitas facile arriſit. Conjecturam hanc ſuam confirmant ex veteribus monumentis, quæ etiam num ex-

extant in Titulo S. Pudentianæ; quibus efficitur domum Pudentis hoſpitium S. Petri fuiſse, quam domum juris fuiſse Corneliorum explorata res eſt apud Ciceronem in 1. Tuſculan:, & Baronium in notis ad Martyrolog: die 19.Maii. Igitur iſtum S. Petri itinerum calculum inſtituunt: Anno 40. Æræ vulgaris Romæ cathedram erexit: anno ſequenti 41., & 1. Claudii Alexandrinam Eccleſiam inſtituit opera S. Marci eo miſſi: anno 42., & 2. Claudii Hieroſolymam profectus eſt, Eccleſiis Aſiæ, Ponti, Palatiæ, Cappadociæ, & Bithyniæ peragratis: Hieroſolymis, poſtquam carcere fuiſset liberatus, Antiochiam perrexit, in Aſia minori uſque ad Claudii obitum manſit: ſub id tamen temporis, anno ſcilicet 9. Claudii, 49. Æræ vulgaris Concilio Hieroſolymitano circa legalia præfuit: ſub Nerone anno 55. Æræ vulgaris Romam reverſus anno ſequenti 56. Linum ordinavit Epiſcopum, ac Vicarium ſuum: Roma digreſsus Occidentis Eccleſias inſtituit; ac tandem anno 62. Romam redux, ibique demoratus anno 65. Neronis 12., die 29. Junii Martyrio cum S. Paulo affectus eſt. Confer etiam doctiſſi: Joannis Laurentii Berti diſsertationum hiſtoric: in hiſtor: Eccleſ. diſsert. 1. n: 6. Volum: 2.

De Romano Pontificatu ſolitarie, ideſt abſque S. Pauli conſortio

A S. Petro geſto.

§. II.

QUod ad ſecundum pertinet, ſcilicet ad Romanum S. Petri Epiſcopatum abſque S. Pauli conſortio: Marci Antonii de Dominis lib: de Repub. Eccleſ: lib: 1. cap. 4, qui ut Eccleſiaſticam Monarchiam, & Romani Pontificis Primatum concuteret, docuit S. Petrum non ſolum Eccleſiæ caput, ſed cum Petro in Eccleſiæ regimine ex æquo partes diviſiſse S. Paulum: Richerii Edmundi libro de Eccleſ: & Polit. poteſtate a Concilio Senonenſi an. 1616., & Aquenſi diris devoto, ac tandem a Romano Pontifice proſcripto, qui ut Papæ Primatum impeteret, docuit a Chriſto D.Clavium poteſtatem, non S.Petro, non Apoſtolis, non Epi-

Epiſcopis, ſed fidelium communitati, cui jus ſe immediatius gubernandi aſſeruit, fuiſſe traditas: quod Richerii Syſtema Quesnello apprime placuit, & prop. 90. adoptavit; Hexaplorum auctores tom. 6. ad præfatam 90. propoſit: accerrime propugnarunt: præterea Franciſco Courayero Pauli Sarpii defenſori adnot. in lib. 2.hiſt. Concilii Trident. tom.1.probatum eſt:ſed Richerius ab Spalatenſi non modo hauſerat, ſed imo a Confeſſione Annæ Burgenſis Calviniſtæ, qui poteſtatem Clavium, ligandi ſcilicet, & ſolvendi, ſe credere ajebat quidem, ſed a Domino datam, non uni, aut duobus, ſed Chriſtifidelium communitati: quamquam poſtea Richerium ad meliorem frugem receptum facti pœnituiſſe, Sedis Apoſtolicæ judicio librum ſuppoſuiſſe, revocaſſeque bis, ac ter, ac tandem prope jam moriturum doctrinam in eo traditam, auctores ſunt Duvallius, Petavius, Boſſuetius,Graveſonius, Argentreus in defenſ. Richer. tom. 1, Niſseronus, P. la Fontaine tom. 3. Conſtitutionis Unig. propugnatæ prop. 90., aliique; ut jure propterea optimo a doctiſs. Mamachio orig., & antiq. Chriſt. lib. 4. tom: 5. cap: 1. §. 4. vapulet Joannes Georgius Schelhornius, ut qui in epiſt. ad Card. Quirinum de conſilio de Emend. Eccleſ. unius Moriſoti fidei ſe committens Richerium in ſententia manſiſſe, ac demortuum commentus eſt. Auctoris libri Gallici *Teſtimonium veritatis in Eccleſia* inſcripti, qui, ſi fides eſt auctori Bibliothecæ Janſeniſt., Patri la Borde Oratorienſi adjudicatur, quique Cathedræ auctoritatem Chriſtifidelium populo tribuit, cujus auctoritatis delegati, & interpretes ſint dumtaxat Pontifex, & Epiſcopi, quam doctrinam ultro citroque amplexati ambabus ulnis ſunt 50. Pariſienſes Cauſidici, ut adverſus Conſtitutionem *Unigenitus* perfricta fronte pugnarent: Auctoris libri *de frequenti Communione* ſub Arnaldi nomine editi, cui tamen libro elucubrando pleroſque Janſeniſtas manus admoviſſe, ſcilicet Sangyranum, Arnaldum, Le Maiſtre, & de Sacy, Lancellotum, & de Barcos, a quo poſtremo eam propoſitionem inſertam præfationi hujus libri fuiſſe plerique ferunt, cenſet auctor Bibliot. Janſen., qui in præfatione docet S. Paulum æque, ac S. Petrum eſse gemina Eccleſiæ capita, quæ unum dumtaxat conſtituunt: Joannis Vergerii vulgo Sangyrani, qui in *Gallia Chriſtiana* a

San-

SanMarthanis fertur auctor libri inſcripti : *Petri Aurelii Theologi opera* : quamvis D. Barcoſium Sangyrani nepotem hujuſce operis potius auctorem velit Anonymus auctor Synopſis hiſtoriæ Eccleſ. Gallice ſub hoc titulo exaratæ *Abrege de l' hiſtoire Eccleſiaſtique* tom. 12. art: 17. pag. 452. libri Cleri Gallicani impenſis editi, quique inter alia par:6:vindic. Richeriſtam agens docet Eccleſiæ regimen non eſſe Monarchicum, ſed Ariſtocraticum, Richeriique Syſtema nonniſi ab amentibus fuiſse proſcriptum impudentiſſime affirmat, horum, inquam, ſicuti Hethærodoxorum prava domata adoptans Auctorduorum librorum, quorum uni hic Gallice titulus: *La Grandeur de l' Egliſe Romaine etablie ſur l' authoritè de S. Pierre, & de Saint Paul*, an. 1645., alteri hic titulus præfigitur:*De l'Authoritè de Saint Pierre,& de Saint Paul,qui reſide dans les Papes ſucceſſeurs de ces deux Apoſtres*,qui ab Auctore Bibliot. Janſen:; a Thoma Ittigio differt: 4. app. tract. de hæreſ. §. 3. ab auctore cathech. hiſtor. dogmat. tom 2., & ab AuctoreEpitom. hiſt.Eccleſ. tom. 12. art. 18. pag. 22., & 55, aſſeritur præmemor. Barcoſius Janſenii diſcipulus, quique, ut legenti pateſcet, libros illos (dignum ſuo auctore opus) e Republica Eccleſ. Marci Antonii de Dominis, Orci ſcilicet officina expilata derivavit; quos Innocentius X. ann. 1647., die 24. Januarii jure optimo proſcripſit; quoſque referente Ciaconio in Innocentio X. exſufflarunt doctiſſimi P. Jo. Auguſtinus de Bellis Ord. Cleric.Reg.Theat.,Theophilus Raynaldus,Iſaacus Habertus Epiſcopus Vabrenſis, Petrus de Marca Archiepiſcopus Toloſanus, Claudius Morelius doctor Pariſienſis, Leo Allatius, Melchior Inchoferi, Carolus Franciſcus Abra Racconiſius Epiſcopus Vaurenſis, Petrus a S. Joſepho Fulienſis, & Antoninus Diana. Quoniam vero ſe urgeri ſentiebat, quod eo Syſtemate ſemel conſtituto duo Capita, duoque Principes in Eccleſia exſurgerent, opinionem ſuam ea adjecta limitatione emollire ſtuduit, ut S. Paulum Caput quidem Eccleſiæ conſtitueret, non tamen ſeorſim, ſed cum S.Petro, ut ex duobus unum conflaretur Supremum Caput. Quin imo epiſtola ad Innocentium X. exarata, ut eſt apud Auctorem Gallum Epit. hiſt. eccleſ. loco indic. cum librum Pontificis judicio ſubjecit, tum ſenſum magis aperire ſuum ſtuduit.

Hunc

Hunc vero errorem ſuadere multis enititur. I. ex S. Scriptura, in qua paſſim ſe Paulus Petro exæquat, ut ad Galat. 2, ubi ſicut Petro Apoſtolatum Circumciſionis, ita ſibi collatum Apoſtolatum Præputii, ac ſe Petro reſtitiſse in faciem ait, ut ibi ver. 9. ajens: neque ſe ad horam ceſſiſſe ſubjectione Petro, Jacobo, & Joanni: ut 2. Corinth. 11, ubi ſe premi cura, ac ſollicitudine omnium Eccleſiarum aſſerit. II. ex SS. Patribus, ac primo Græcis S. Epiphanio hær. 27. ajente: *Romæ primi omnium Petrus, & Paulus Apoſtoli pariter, & Epiſcopi fuerunt*: S. Iræneo lib. 3. adv. hær. cap. 3. dicente: Eccleſiam Romanam a SS. Apoſtolis Petro, & Paulo inſtitutam fuiſſe, & fundatam; S. Cyrillo Hieroſol. Cathech. 6. illos *Capita Eccleſiæ* nuncupante; S. Chryſoſtomo hom. 32. in epiſt. ad Rom. *illos oculos Romæ, & Sanctorum Coryphæos* appellante. Ex Patribus II. Latinis S. Leone ſerm. 1. de Nat. Apoſt. eos vocante *Romanæ Urbis Patres, ac Paſtores*: S. Gregorio Magno lib. 1. Dialog. cap. 12. ajente: *Paulus Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo in Principatu Apoſtolico Frater*: S. Ambroſio ſerm. 1. alias 28. eoſdem Apoſtolos vocante *Capita Martyrum, & Principes Sacerdotum*: Auctore Comment. in epiſt. Pauli in caput. 2. ad Galat. apud S. Ambroſium aſſerente Paulum unanimem Petro, & Coapoſtolum, & Primatus gratiam Paulo conceſsam ſicut & Petro; S. Maximo Taur. ſerm. 5. in feſto Apoſtol., eoſdem appellante *Principes Eccleſiarum, & Fidei Chriſtianæ*: *ergo*, inquit, *Petrus, & Paulus eminent inter univerſos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt*: *verum inter ipſos, quis cui præponatur, incertum eſt*: S. Petro Damiani opuſc. 35. cap. 4, ubi *unum*, inquit, *in S. Paulo videtur egregium*; *quia quum omnes Apoſtoli diſtributis terrarum regionibus proprias obtineant Cathedras, iſte dum nullam ſpecialiter tenet, videtur aliquatenus communiter omnibus præſidere. Plane quia ipſe toto terrarum Orbe univerſalem fundavit Eccleſiam, dignus eſt, ut ſicut in omnibus Fidei ſemen ſparſit, etiam in omnibus jus teneat Præſidentis..... Hæc igitur eſt cauſa, cur Paulus nullam ſpecialiter Cathedram teneat, quia* (*ſi audemus ſummis minora conferre*) *ad inſtar Chriſti* (*ſalvo cæterorum Apoſtolorum jure*) *videtur omnibus præſidere*. Mitto ceteros, quos longo Catalogo conglomerat; nam ea-

dem eſt ac iſtorum ſententia. III. ex Pontificibus ipſis Romanis, qui ſe Petri, & Pauli ſucceſsores nuncupant, Hadriano I. epiſt. ad Conſtant., & Irenem apud Bail ſum. Conc. tom. 1. ad Nicæn. II, ubi Romanos Pontifices ait: *Petri & Pauli Vicarios, eorumque Throni Succeſſores*: & epiſt. ad Baſilium Auguſt. rogat, ut benigne ſuſcipiat miſſos *a Sede Apoſt. Petri & Pauli*: S. Gregorio VII. in excommunic. contra Henricum IV, ajente ſe eſſe collocatum in Throno Petri, & Pauli, eorumque Eccleſiam obtinere; Paulo III. in convocatione Concil. Trid., & Pio IV. ajente: *Auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, qua nos quoque in terris fungimur* &c. Unde in officio Eccleſiaſtico vocantur ambo *glorioſi Principes terræ*, ambo *judices Sæculi*. Pleroſque alios perſequitur, quos recenſere non vacat, nec opus eſt, ſiquidem eodem ſpectant. IV. ex more Pontificum apponendi in ſuis diplomatibus nomina SS. Petri, & Pauli, eorumque effigies in diplomatum ſigillis, in quibus interdum etiam dextera Paulo datur.

Quibus reſpondeo ad I. Paulum ex æquo cum Petro partitum fuiſſe munus prædicandi Evangelium, illum quidem Gentibus, utpote Judæis exoſum, iſtum vero Judæis utpote ipſis charum, ut obſervavit Ticonus, non vero parem illi fuiſſe in Primatu regiminis. Quod ſi regiminis poteſtatem contendas intelligi; atque univerſalem, hanc concedet Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 11, & 12, ita tamen ut in Petro ordinaria poteſtas fuerit, in cæteris Apoſtolis fuerit delegata, & extraordinaria; quatenus plenitudinem Chriſtus contulerit in Petrum, ex quo cæteri Apoſtoli acceperint. Huic doctrinæ plane refragantur Theologi Pariſienſes, inter quos Natalis, Tournellius de Eccleſia q. 5. art. 1, & alii, contendentes Epiſcopis immediate a Chriſto collatam iri poteſtatem, & Juriſdictionem: ſed huic controverſiæ ſuus erit locus. Quod ſi Petro reſtitit Paulus, id egit ex charitate, zelo, & ſtudio veritatis, & Religionis, non ex imperio, ſuperioritate, aut æqualitate, ita interpretati ſunt locum illum S. Auguſtinus epiſt. 82, alias 19 ad S. Hieronymum, docens libertate charitatis poſſe ab inferiori ſuperiorem aliquando redargui, & S. Cyprianus epiſt. 71 ad Quintum de S. Petro corrigi ſe paſſo loquens, *qui*, inquit, *non vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter*

ter aſſumſit, ut diceret ſe Primatum tenere, & obtemperari a novellis, & poſteris ſibi potius oportere, nec deſpexit Paulum &c.: ubi notandum cum S. Thoma 2. 2. q. 33. art. 4. duplex eſſe correctionis genus: unum ex juſtitia, & ex auctoritate, & jurisdictione, quæ correctio fit per inflictionem legitimæ pœnæ, & hæc convenit Prælatis reſpectu ſubditorum; nec ea uſus eſt Paulus: alterum eſt ex charitate, ex zelo, & ſtudio, quæ fit per fraternam correctionem, & hæc convenit etiam ſubditis, atque ea Paulus Petrum reprehendit. Quod ſi ajat Paulus ſe nihil minus fuiſſe ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, neque ad horam illis ceſſiſſe ſubjectione, id plane ait de miniſterio prædicationis, quod per revelationem didicit a Chriſto, & de poteſtate miniſtrandi, quam a Chriſto acceperat ab eo conſtitutus Apoſtolus. Id vero ajebat, quia Pſeudoapoſtoli negabant Paulum æqualem eſſe cæteris Apoſtolis, qui cum Chriſto fuerant in carne converſati, atque ejuſdem miniſterii dignitatem elevare conabantur. Eadem de re alibi ſe non minus aliis eſſe affirmat, plus omnibus laboraſſe, & premi Eccleſiarum omnium ſollicitudine, quod nempe ceteris Apoſtolis, & Petro inferior non fuerit, imo par, aut quoque ſuperior quantum ad labores, ſollicitudinem, zelum, dona, & miracula, ut explicat S.Gregorius lib.1. dialog. cap.12. Qua de re, quod nempe Eccleſiarum omnium gereret ſollicitudinem, quodque Gentium omnium eſſet Apoſtolus, nulli peculiari Eccleſiæ addictus, nullius peculiaris Eccleſiæ Epiſcopus fuit, ut notavit Mauclerus tom. 1. de Monarch. par. 2. lib. 4. cap. 10. Legendi Interpretes in citata loca.

Reſpondeo primo ad ſecundum cum Bellarmino lib.1.de Rom. Pontif. cap. 27, Tournellio loc. cit., & aliis, quod quamvis ex locis objectis conſtaret S. Paulum Petro æquandum, quinimo anteponendum, nihil tamen propterea imminueretur Petri Primatus, & Romanorum Pontificum ſupremæ auctoritati nihil detraheretur. Non Petri, quia ea Pauli, quantacumque adſtruatur, poteſtas extraordinaria, ſicut in ceteris Apoſtolis, qui pro Chriſto legatione fungebantur, dumtaxat fuiſſet, in Petro fuiſſet ordinaria, non ſecus atque apud Judæos Aaroni Pontifici par fuerat in poteſtate Moſes, imo & ſuperior; nec tamen Moſis, ſed

Aaronis Judæorum Pontifices ſuccesſores fuerunt: ſcilicet Moſis ea auctoritas extraordinaria fuerat, Aaronis vero ordinaria, adeoque in poſteros traducenda. Non Pontificibus, quia tam Petrum, quam Paulum præceſsorem agnoſcunt. Reſpondeo ſecundo ex allatis Patrum locis id tantum evinci Petro Paulum ſupparem in Apoſtolatu, ſeu munere docendi, non in auctoritate, ſeu Primatu regendi. Quocirca S.Epiphanius,qui in Eccleſia Romana intemeratam Evangelii doctrinam manſiſse uſque ad Marcellinam pravam quamdam fœminam,de qua ibi agit,oſtendere volebat, ex eo voluit oſtendere,quod Romana Eccleſia doctrinam Evangelii ex Petro,& Paulo hauſiſset: loquitur ergo de munere docendi,non de auctoritate regendi.Vocat vero Paulum Ppiſcopum,non quod Epiſcopus eſset Urbis Romæ, ſed quod Epiſcopus revera eſset, Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ, ſeu Occidentalis, Epiſcopale jus extraordinarium in Eccleſia Romana exerceret abApoſtolatus mu nere indiſcretum. Ita intelligendum S. Epiphanium pronuntio, qui in Ancorato ſummam Pauli laudem putavit, *quod Petrus*, verba ſunt Epiphanii, *Apoſtolorum Princeps*, *qui regni claves accipere dignus eſt habitus*, *ipſi dextram dederit*. S. Irenæus ait quidem a S. Paulo una cum S. Petro Romanam Eccleſiam doctrina, miraculis, & ſanguine inſtitutam fuiſse, quod concedimus, non autem una cum Petro, Paulum Eccleſiæ Caput extitiſse, quod negamus. S. Cyrillus Petrum quidem, & Paulum nuncupat Πρωστατας, ſeu Præſides, (quorum unus ſane altero potior, ac prior eſse poteſt) nuſquam vero Capita Eccleſiæ: quinimo, quum de S. Petro ſeorſim loquitur, ipſum Προστατημ non modo, ſed Πρωτωστατημ, ſeu Protopræſidem, ſeu Præfectum Apoſtolici Cœtus Cathech. 2. nuncupat. S. Chryſoſtomus iccirco Petrum, & Paulum dixit oculos Romæ, quod Romam Evangelii luce imbuerint: dixit Paulum Coryphæum Sanctorum, quod Sanctis, laboribus, doctrina, virtutibus, & martyrio præiverit. Nam alioquin hom. ult. in Joann. animadvertit S. Paulum præ ceteris S. Petrum inviſendum properaſse, huncque illi honorem deferendum voluiſse: *Os enim*, inquit, *erat Apoſtolorum*, *& Princeps*, *& vertex ipſius cætus*: Matthæus CaryophilusArchiep.Iconjenſis in refutat.Cathec.blaſphem.Gergani 31. hæc in rem noſtram habet: *Hic animadvertant*

ſtudioſi

ſtudioſi omnes veritatis Petrum a Chryſoſtomo dici & majorem, & æqualem Paulo: quæ profecto manifeſta eſset in uno verſu repugnantia, ſi verum non eſset, quod ſupra diximus, de æqualitate, & inæqualitate Apoſtolorum. Adeo vero certum, adeo confeſsum erat omni antiquitati Petrum, ut Chryſoſtomus ait, fuiſse Paulo auctoritate ſuperiorem, ut Chriſtiani nominis hoſtis Porphyrius non dubitaverit arguere Paulum ut procacem, quod auſus fuerit reprehendere Principem Apoſtolorum.

Ad Patres Latinos reſpondeo non abſimili ratione eſse locutos, & intelligendos, ſcilicet Petrum, & Paulum in Apoſtolatus munere, prædicationis gratia, & corona Martyrii pares fuiſse, nequaquam in auctoritate, juriſdictione, & regimine; S. Leo enim eos vocat Patres, & Paſtores, quia Romanos in fide genuerunt, genitoſque verbo, virtutibus, miraculis, & martyrio enutrierunt: non quia pares in poteſtate fuerint, vel ſi fuere, in meritis, & virtutibus, ait enim ibi: *de quorum meritis, & virtutibus nihil diverſum, nihil debemus ſentire diſcretum*; non item in auctoritate, & juriſdictione; nam ait ibidem Romam *per B. Petri Sedem caput Orbis effectam*. S. Gregorius Petri Fratrem Paulum dixit ratione Apoſtolatus, & Epiſcopatus; quomodo Romani Pontifices ceteros Epiſcopos *Fratres* appellare conſueverunt, ſicuti & Chriſtus poſt Reſurrectionem Apoſtolos, non ratione Primatus; nam non dixiſſet: *Petro Apoſtolorum primo*: ſed & ſe explicat S. Gregorius lib. 2. in Ezech. hom. 6. *Frater quidem erat*, inquit, *ſed auctoritate minor*: agens enim de Petro reprehenſo a Paulo poſtquam dixiſſet: eum, qui primus fuit in Apoſtolatus culmine, fuiſſe etiam primum in humilitate: ait: *Ecce a minori ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur*. Imo lib. 4. cap. 32. in epiſt. ad Mauritium Imper.: *Cunctis*, inquit, *ſcientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apoſtolorum Principi Petro Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt.* S. Ambroſius Petrum, & Paulum vocat quidem auctores Martyrum, non capita; quamquam ſi capita, non ideo capita Eccleſiæ, alioquin potiori jure S. Stephanus Eccleſiæ caput fuiſſet. Vocavit autem Principes Sacerdotum, quo pacto Apoſtoli omnes vocantur Principes conſtituti *ſuper omnem terram*, eo ſenſu, quem

mox

mox exponemus. Ambroſiaſter parum nos movet, quippe vel Hilarius eſt Romanæ Eccleſiæ Diaconus, Luciferianæ ſectæ vir, quem ob pertinaciam in ſuſtinendo Anabaptiſmo S. Hieronymus in dialog.adver.Lucifer. Deucalionem orbis nuncupavit, vel quiſpiam e Pelagiani ſecta homo a fide alienus. Quamquam quum dixit Petro Paulum unanimen, & Coapoſtolum, & Paulo Primatus gratiam, ſicut Petro collatam, intelligi ſine difficultate poſſit de conſortio, & primatu prædicationis, non poteſtatis: nam idem auctor in caput 2. ad Galat. *dignum*, ait, *fuiſſe*, *ut cuperet* (Paulus) *videre Petrum*, *quia primus erat inter Apoſtolos*, *cui delegaverat Salvator curam Eccleſiarum*. S. Maximus ſe ſatis explicat ibidem, ſatiſque utriuſque Apoſtoli diſcrimen oſtendit quoad Regimen, & quoad Magiſterium: nam: *ambo*, inquit, *Claves a Domino acceperunt*, *ſcientiæ iſte* (Paulus) *ille potentiæ* (Petrus); ſed & dixerat ibidem: *puto enim eos æquales eſſe meritis*, *quia æquales ſunt paſſione*. S. Petrus Damiani nec loquitur abſolute, nam ait: *videtur aliquatenus omnibus præſidere*; ſed eatenus loquitur, quia nulli certæ Eccleſiæ præſederat Paulus: quinimo loquitur de præſidentia per doctrinam, non per auctoritatem; nam ait: *dignum eſt*, *ut ſicut omnibus Fidei ſemen ſparſit*, *ita in omnibus jus teneat præſidendi*, ita loquutus S. Petrus Damiani intelligi debet, nam inferius ex privilegio Petri, nullo S. Pauli verbo facto, Eccleſiæ Romanæ Primatum adſtruit; *Quantum*, ait, *ad vulgarem pertinet ſenſum*, *quoniam Hieroſolymis paſſus eſt Dominus*, *univerſis Eccleſiis*, *non Romana*, *ſed Hieroſolymitana potius præeſſe debuerat Eccleſia*: *verumtamen*, *quum ex auctoritate Canonum Romana Eccleſia primum teneat locum*, *Alexandrina ſecundum*, *Antiochena tertium*, *Conſtantinopolitana quartum*, *Hieroſolymitana quintum*, *conſtat Dominum Salvatorem non uni cuilibet Cathedræ ſpeciali jure præeſſe*, *ſed cunctis unum Paſtorem univerſaliter præſidere* ..... *Liquet ergo Eccleſiarum ordinem eſſe diſpoſitum juxta privilegium Petri*, *non ſecundum incomparabilem excellentiam Redemptoris*. Ceterorum, quæ opponuntur loca, explicari eadem ratione debent. Quæ tamen, ſi aveas, ſingulatim, atque ratione optima a doctiſs. Mamachio explicata ſunt, quem ut adeas orig. & antiq. Chriſt. tom. 5. lib. 4. p. 1. cap. 1. §. 5. n. 10. tibi auctor ſum. Reſpon-

Reſpondeo ad tertium duplicem eſſe ſucceſſionem, localem, & univerſalem; item realem, & perſonalem: localem, qua quis loco alterius ſuccedit, ut Epiſcopus Epiſcopo: univerſalem, qua quis loco alterius in cunctis ejus juribus ſuccedit, ut Rex Regi: Realem, qua quis alterius juribus ſuccedit, ut Filius Patri, Hæres Teſtatori: perſonalem, qua quis alteri in munere ſuccedit, ut Prorex Proregi, Conſul Conſuli. Ergo Petri, & Pauli ſucceſſores ſe nuncupant Romani Pontifices, ut Hadrianus, & Gregorius VII, quod quoad Paulum ſucceſſio eorum ſit localis, & perſonalis, non ſecus atque Apoſtolorum omnium; quoad Petrum vero ſit etiam univerſalis, & realis: unde S. Bernardus lib. de Conſid. cap. 8. ita Eugenium III. alloquitur, ac priori ſenſu: *Tu Princeps Epiſcoporum, tu Hæres Apoſtolorum*: poſteriori vero: *Tu es poteſtate Petrus*. Sed & hoc diſcrimen notavit loco citato Gregorius ipſe VII. Bull. tom. 1, ait enim: *Beate Petre, Princeps Apoſtolorum, & tu Beate Paule Doctor Gentium dignamini quæſo* &c. ibi. Quod vero Paulus III, & Pius IV. in convocatione Concilii eo loquendi modo uſi ſint, id potius officii gratia, cui rite obeundo patrocinium Apoſtolorum expoſtularetur, non juriſdictionis ergo, quam ab utroque Apoſtolo ſe obtinuiſse ſignificarent. Namque non defuere Pontifices, qui in ſuis diplomatibus in partes advocarent Petrum, & Paulum non modo, ſed mox omnes etiam Sanctos, ut Joannes VIII. epiſt. 262. in ſententia adverſus Photium; mox nedum omnes Sanctos, ſed etiam Concilia Univerſalia, ut S.Nicolaus I in ſententia contra eundem Photium; mox etiam B. Virginem Mariam, ut Alexander II. epiſt. 9, qua Monaſterio cuipiam in Germania immunitatis privilegium confirmavit. Quid quod Paulus IV. in Conſtit.cit.inquit: *ad gubernandam Petri naviculam vocati*? Quod ſi Petrus, & Paulus nuncupantur Principes, ita vocati ſunt cæteri quoque Apoſtoli, ſcilicet, quod ipſis principaliter cura Evangelii prædicandi, Eccleſiaſque inſtituendi a Chriſto demandata fuerit, vel extraordinaria a Petro collata, ut notavit Duvallius de Rom.Pontif. par. 1. q. 3, nuncupati ſunt quoque Coryphæi, ſed diverſa ratione, ut notavit adverſus SpalatenſemCoeffetellus tom. 1. lib. 1. cap. 4, nam Paulus merito doctrinæ, Petrus jure regiminis, unde

de dicitur ab Origene lib. 1. contra Celſ. *fundamentum præcipuum* Apoſtolorum poſt Chriſtum. Pleroſque alios, quos in aciem producunt, ut numero, ſi poſsent, quum pondere non poſſint, opprimant nos, prætereundos duco, ne in re non neceſsaria operam potius ludere videar: eoque magis, quod ſparta hæc a doctiſs. Mamachio loco indic. eximie jam fuerit adornata.

Reſpondeo ad quartum Pontificia diplomata obſignari frequenter quoque ſub annulo Piſcatoris, hoc eſt ſolius Petri, quo tantum modo obſignata in Regno Galliarum pro legitimis habentur, & promulgantur. Quod ſi mos in Curia Romana nunc obtinet, ut forma ſigilli, ex parte antica, ſeu anteriore capita SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli (nam in poſtica, ſeu poſteriore nomen Papæ aſſumtum exhibet) media Cruce diviſa præſeferat, id factum eſt, ut Eccleſiam Romanam doctrina, & ſanguine amborum inſtitutam fuiſſe ſignificaretur. Ceterum antiquitus ſigillo formas alias plane fuiſſe impreſſas docet Cl. Cardinalis Vincentius Petra in procemialibus ſuorum Comment. ad Conſtit. Apoſt. hiſce verbis: *Sigillum antiquitus non continebat imagines SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ut tempore præſenti, nam pluries immutatum fuit .... Hinc antiquiſſima diplomata videmus cum ſigillo continente tantum Pontificis nomen in una parte, & in altera nomen Papæ, ut temporibus Joannis V, Sergii I, Stephani III, Nicolai I, & Joannis XIII, ac aliorum.... Sic in Bulla Stephani VII in parte antica extat nomen Stephani, & in poſtica nomen Papæ cum Cruce intermedia: ſic in aliis nomen Joannis Papæ in parte altera, in poſtica vero magna Crux, vel Roma picta cum verbis* .. Aurea Roma. *In ſequenti tempore fuerunt loco nominum poſitæ effigies, ſeu capita SS. Apoſtolorum, & aliqui id adſcribunt temporibus Paſchalis II.* Addit tamen a Clemente VII. primum appoſita fuiſſe familiæ ſuæ ſtemmata, ſcilicet quinque Roſas, familiæ Medicææ inſignia, in Bulla collationis Abbatiæ Caſamari directa Annio Cardinali Filonardo. Quinimo auctor eſt Papebrochius Urbanum V. pro ſigno aſſumſiſſe in Bullis quinque Cruces intra Coronam querneam in Crucis modum diſpoſitas, & Paulum III. ex Familia Farneſia adhibuiſſe ſex lilia, & quidem terna ex qualibet parte, quibus nomen ſuum ſuperſcribi juſſit. Jam nunc fixo Sty-

Stylo in Bullis capita SS.Petri, & Pauli media Cruce diviſa exhibentur: in Brevibus datis ſub annulo Piſcatoris ſolus exhibetur S. Petrus in navicula conſidens, & retia laxans.

Jam vero ut de ſitu, quem in ſigillis tenent Apoſtoli pauca dicamus: Leo Allatius de Eccl.Orient., & Occid. perp. Conſenſ. lib 1. cap. 6. ea eſt in ſententia, ut S. Paulum in dextera poſitum affirmet, partem lævam tamen regulam honoris eſſe, & digniorem habitam olim ab Romanis fuiſſe, utpote melioris auſpicii partem, quum ſit ex latere cordis. Petrus de Marca in exercit. de Petri Primatu S.Paulum ſiniſtrum latus in Bullis tenere cenſet: ait enim: *dexterum latus videtur, ſi Pauli imago cum Petri imagine comparetur: eſt latus ſiniſtrum, ſi referatur ad inſpicientes; ex qua relatione ſæpe metiendus eſt honoris gradus in Conventibus publicis*. Hinc ut Epiſcopus in parte Chori ſedeat, quae dextra eſt ingredientibus, attamen reſpondet cornu ſiniſtro altaris, præſcriptum legitur ab antiquo Ordine Romano. Verum illud obſervat poſt Arringhum lib. 1. Rom. ſubterr. cap. 47, Bonarotium *Oſſervazioni ſopra i frammenti di vaſi di vetro*; Boldetum *Oſſervazioni ſopra i Cimiterj* lib. 4. cap. 39, Fabretum inſcript. domeſticar. cap. 8, Bottarium *Sculture, e pitture dei Cimiterj di Roma*; Marangonum in notis ad acta S. Victorini; Fogginium exercit. 20, Mamachius orig., & antiq. chriſtianar. lib. 3. cap. 1. §. 3. n. 28. not.4., & lib.4.par.1.cap.2.§.1. & ſeqq., non ita ut ſæpe in pictis, muſiviſque operibus (quae ſane vetuſtiſſima monumenta id probant invictiſſime, tum prioribus Eccleſiæ ævis imagines pingi conſueviſſe, tum Romanæ Eccleſiæ juge ſtudium SS.Petri, & Pauli imagines veras pingendi, pictaſque ſervandi diligentiam, tum Romanam Eccleſiam revera inſtitutam a S.Petro) ſiniſtram tenuiſse S.Petrum, ſed dexteram in vitris pictis S. Petrum occupaſſe; quamvis in aliquibus quoque vitreis vaſculis etſi perraro dexter Paulus pictus videatur apud Boldetum lib. 1. cap. 39. & apud Arringhum lib.4. cap.47. Quod factum cenſent Bonarotius, Boldetus, Fogginius, & Fabretus ex inciſoris incuria, quia quum iſtæ imagines hinc inde pellucidæ ſint, pictor non earum faciem, ſed averſam partem excepit, id quod ex litteris inverſo ordine diſpoſitis fit evidens. Verius etenim, ubi rectus eſt vitri aſpectus, conſtat Pe-

trum ad dexteram, Paulum ad ſiniſtram conſpici. Verumtamen, quum in dubium revocari nequeat perſæpe in Bullis, vitris, muſivis, aliiſque imaginibus, & Sarcophagis S. Paulum revera dexteram, S. Petrum ſiniſtram tenentes exhiberi, eoque magis, quod veri ſit ſimilius olim, ſicut in præſentiarum Latinis maxime præ ſiniſtra potiorem dexteram fuiſſe, ut ex vetuſtiſſimis imaginibus, gemmis, nummis, aliiſque hujus generis monumentis coniicere eſt apud Gruterum in Theſauro; Grævium in Theſ. antiq.; Vaillantium in Num.Ær.Imp. Auguſt.; Montfauconum in Muſœo Capitol.; Gorium in Muſ. Florent.; Maffejum in Muſ. Veron.; Galeotium in Muſ. Odeſcalchio, Havercampium, Ciampinum, Harduinum, alioſque: propterea in eum uſum inquirendum. S. Petrus Damiani opuſc. 35. cap. 1. myſticam hujuſce rei rationem reddidit, ſcilicet: *Quum B. Petrus*, inquit, *ad dexteram ponitur, Primatus ejus, quem inter ceteros eſt ſortitus Apoſtolos, honoratur, quum vero B. Paulus ejuſdem dextri lateris obtinet locum, id Beniamin* (qui interpretatur filius dexteræ) *cujus eſt filius, myſticæ figuræ redolet Sacramentum*; non immerito enim ſupra dixerat: *Filius dexteræ Paulus vocatur, per quem omnis Gentium multitudo, quæ ad dexteram Dei ponenda eſt* (nam Gentes Judæis antea velut dexteram tenentibus antelatæ ſunt) *ad fidei ſacramenta colligitur.* Otho Gregorii IX. Legatus in Concilio Londinenſi an. 1237. coacto, teſte Matthæo Pariſio in annal. Anglican., orta controverſia inter Epiſcopos Cantuarienſem, & Eboracenſem de Primatus dignitate, ita fatus eſt: *In Bulla Domini Papæ ſtat imago Pauli a dextris Crucis, in medio Bullæ figuratæ, & Petri a ſiniſtris, nulla tamen inter eos eſt orta unquam contentio... Verumtamen propter Petri Clavigeri dignitatem, cum prioratu vocationis, merito a dextris Crucis ejus imago collocanda videtur, ſed quia Paulus credidit in Chriſtum, quem non vidit, a dextris figuratur.*

In altera opinione alii verſantur in Eccleſia honoratiorem locum eſſe ſiniſtram exiſtimantes. In ſeptima enim Synodo act.4. Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus vidiſſe refertur admirabilem imaginem Chriſti, ad cujus lœvam adſtabat B.V.Maria, ad dexteram S.Joannes Baptiſta. In Concilio Chalcedonenſi Dioſcorus,

rus, licet mox damnandus, dexteram tenebat, Legati vero S.Leonis ſiniſtram;quinimo dum Eccleſiaſticis officiis adeſt ſummus Pontifex in parte ſiniſtra Chori ſedet; & olim quum obtineret mos, ut in Eccleſia ſeorſim a viris orarent mulieres,ſiniſtram illi,dexteram hæ tenebant. Quamquam hujuſce rei non eam fuiſſe cauſam, quod ſiniſtra honoratior per ſe ipſa haberetur, autumant alii, quibus conſentit Baſnagius ad an. 33, bene vero, quod habita ſacri altaris ratione, iis, qui lævam in Eccleſia tenere confidentibus ipſis viderentur, reipſa dextera, ideoque potior, eſſet. Carolus Moronus apud Allatium de conſenſ. Eccl.Occid., & Orient. lib. 1. cap. 6. in ea eſt ſententia: equidem læva digniorem eſſe dexteram; nihilominus ſicuti dextera agentibus commodior præ dextera eſt læva, ideoque lævam occupare agentes ſolent, ita quum in veteribus monumentis quidpiam agentes exibentur, hac etiam habita ratione commodioris loci, ad lævam exhiberi conſueverunt, qui alioquin, ſi præſtantiores ſint, dexterum ſemper latus occupant. Doctiſs. Mamachio Moroni ſententia probata eſt, quam innumeris undique conquiſitis monumentis loco ſtabilire ſuo Orig. & antiq. chriſt. tom.5. lib.4. par.1. cap.2. §.3. eximie ſategit. Papebrochius in Conatu chron. hiſt. ex Johanne Lucio, & Pagius in Breviar. hiſtor. chron. crit. Rom. Pontif. in Leone III. obſervant mutationem ſiniſtrae in dexteram, tamquam honoratiorem factam fuiſſe ſub Leone III; ſub hoc enim Pontifice ex ſacris imaginibus muſivi præſertim operis illæ, quæ digniores erant, dexterum locum obtinere cæperunt. At poſt Leonem III. rurſus ad antiquum morem reditum eſt,ac pro digniori ſiniſtra habita ad tempus uſque Nicolai IV, ideſt annum 1288, quo iterum locus dignior dexteræ eſt delatus, iſque mos ad hodiernam uſque diem ſervatur. Et certe Heinneccius homo è Proteſtantium grege de veter. German., aliarumque nation. ſigillis par.1. cap. 12. in ſigillo Leonis IX. Petri ad lævam ſtantis imaginem ab ſe conſpectam refert. Verumtamen non ſemper eumdem morem obtinuiſſe præc. Sophronius obſervat. Nam Urbanus II. ducentis ante Nicolaum IV. annis in ſigillis S. Petri imaginem a dextris, a ſiniſtris imaginem S. Pauli collocavit. Clemens II. in Concilio Romano adverſus Simoniacos celebrato anno 1047. dexteram ut honora-

tiorem Archiepiſcopo Ravennatenſi attribuit, de qua viritim decertabant Archiepiſcopus Mediolanenſis, & Patriarcha Aquilejenſis. Extant ea de re Clementis II. litteræ tom.9. Concil. edit. Labbei. Nihilominus Urbanus V. circa an. 1362., quum Capita SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli inveniſſet, eaque in tabernaculo marmoreo Baſilicæ Lateranenſis, ubi etiam num aſſervantur, collocaſſet, S. Paulo dexteram, uti digniorem tribuit, ſiniſtram S. Petro, ut conſtat ex Bulla ejuſdem Urbani V, cui hoc diſtichon inſcriptum eſſe teſtatur, qui ea de re libellum edidit Joſephus Maria Soreſinus Lateranenſis Baſilicæ Presbyter apud præf. Pagium.

Cedit Apoſtolicus Princeps tibi Paule: vocaris
Nam dextra natus, vas, tuba clara Deo.

Ex quo tamen patet S. Paulo delatum ab Urbano V. digniorem locum ea ratione, qua illi eumdem tribuerat S. Petrus Damianus, ratione ſcilicet myſticae ſignificationis, non ratione majoris, aut æqualis cum S.Petro dignitatis, auctoritatis, & poteſtatis. Legendi in hancce rem S.Thomas in Epiſt. ad Galat. lect. 1., Durandus Rat. div. off. lib. 7. cap. 24, Molanus hiſt. ſacr. imag. lib.3. cap.24, Baronius, Binius, Spondanus ad an.325, Macedo de Clavibus Petri lib.1, Inchoferus Soc.Jeſu apud Allatium loc.cit., Carraciolus apud eumdem Allatium; Angelus Rocca de SS.Apoſtolorum Petri, & Pauli prælat.; Mabillonius de re diplomatica lib. 2. cap.14, Mucantius de SS.Petri, & Pauli imaginibus tom.6. Jun. Bolland. par.2, Theophilus Raynaudus de bicipiti Eccleſia tom. 10. oper., Caſalius de veter. ſacr. Chriſt. ritib. cap. 2, aliique, nam de hoc argumento ſatis ſuperque actum eſto. Non tamen prætermittendum, quin prius cuipiam argumento e paritatis ratione petito faciamus ſatis. Eccleſiæ Triumphantis Caput eſt Deus in Perſonis Trinus; Eccleſiæ militantis inviſibile Caput eſt Chriſtus in unitate Perſonæ geminam habens naturam: quid ergo obeſt, quominus Eccleſiæ caput viſibile Petrus, & Paulus eſſe potuerint? Saltem quid obeſſe poterat, quominus Dei O. M. adſiſtentia, & ordinatione duo capita in unum morale coaleſcere potuerint? Repono claudicare ſatis paritatem: Nam in Deo triplex quidem eſt perſona, at una natura, mens una, una voluntas: in Chri-

in Chriſto vero duplex quidem natura, at una perſona humanodivina. Nec vero moralis illa unitas Petrum inter, & Paulum conveniens ullo modo erat, vel ex parte Chriſti, cujus quum in terris gerat vicem Eccleſiæ caput viſibile, ita ſicuti Chriſtus phyſice unus eſt, oportebat, ut caput viſibile phyſice unum eſſet: rurſus neque ex parte Chriſti id congruum fuerat; totum enim, quod adſiſtentia ſua præſtare in duobus poterat, potuit aptius in unico: ſed neque ex parte Eccleſiæ, in qua quum unus ſit Deus, quem colit, una fides, quam tenet, unum baptiſma, quo initiatur, congruum erat, ut caput unum eſſet, quo regeretur: item ex parte Eccleſiæ, in qua ut unum dicant omnes, & in iis non ſint ſchiſmata, neceſse plane fuit, ut unus omnibus præeſſet Magiſter, cui omnes auſcultarent, atque obtemperarent; *Nam una*, inquit S. Cyprianus lib. 4. epiſt. 9, *ab uno Paſtore dicitur*, *cui Plebs chriſtiana adunata cohæret*.

Jam vero ut paucis rem conficiam, S. Paulum equidem Epiſcopum non ſecus, atque Apoſtolos ceteros, uti contra Salmaſium, Caſaubonum, alioſque Proteſtantes oſtendit Petavius tom. 4. Theolog. dogmat. lib. 1. de hierarch. eccleſ. capp. 2, & 5. teſtimoniis praeſertim S. Irenæi lib. 3. cap. 3, Tertulliani lib. de praeſcript. cap. 32, S. Cypriani epiſt. 65. edit. Pamelii, Euſebii lib. 2, & 3. hiſt. eccl. capp. 13, & 14, Hilarii Diaconi in 1. ad Corinth. cap. 11, S. Hieronymi epiſt. 13. ad Paulin., & 54. ad Marcellam vet. edit., S. Chryſoſtomi hom. 47. in Act. cap. 13, S. Baſilii epiſt. 197, adjunctis Patribus Synodi Aquiſgranenſis an. 816. lib. 1. cap. 9, & Pariſienſis an. 829. cap. 4. apud Harduinum tom. 4. Concil. pag. 1297, quibus conſenſit tandem Tridentina ſeſſ. 23. cap. 4, Epiſcopum, inquam, fuiſſe, contra quam quidam apud Allatium lib. 1. de conſenſ. cap. 4. opinati ſunt, affirmo, perſpicuumque fit ex Patrum teſtimonio, Origenis homil. 4. in Levitic., Euſebii comment. in pſalm. 67, S. Joannis Chryſoſtomi homil. præcit., S. Epiphanii haereſ. 27, Auctoris quæſt. in vet., & nov. Teſtam., quæſt. 117. in append. oper. S. Auguſtini; S. Leonis epiſt. 81. ad Dioſcorum Alexandr., & Synodi Aquiſgranenſis loco indicato; & quidem Epiſcopum, vel a S. Petro, vel tum ordinatum, quum Act. 13, 3, ipſi, ſicuti & Barnabæ impoſitæ a Manahene manus leguntur, quod quamvis inficias iverint

rint Lingonienſis in cap. 1. epiſt. ad Galat., Cajetanus in Act. Apoſtol. cap. 13, Claudius Dauſquius de ſanctitud. Pauli lib. 2. cap. 22, Svarezius in 3. par. S. Thom. tom. 3. diſput. 34. ſect. 1, & diſput. 20. de Sum. Pontif. ſect. 2, & Harduinus comment. in cit. cap. 13. Act. Apoſt. ver. 3, ex S. Chryſoſtomi, & Concilii Aquiſgranenſis interpretatione, quibus cohaerent, quæ Joannes XVIII. in epiſt. 1. ad Galliarum Epiſcopos apud Harduin. tom. 6. part. 1. pag. 387. ſcripſit, affirmant Cornelius a Lap., Lorinus, Sanctius in præfat cap. 13. Act. Apoſt., Salmeron tract. 36, Henriquez in ſumma lib. 10. cap. 3, Chriſtophorus Marcellus Archiepiſc. Corcyrenſis de auct. Pontif. contra Lutherum lib. 2. cap. 14, Diana tract. 1. de Primatu ſect. 2, & alii vulgo interpretes, & Theologi. Quamquam vel a ſolo Manahene, vel a ſolo Petro abſque unius, vel alterius Apoſtoli, vel Epiſcopi ex diſcipulis conſortio ordinatum S. Paulum nolim intelligi; quandoquidem vel a primis Eccleſiæ incunabulis Epiſcopos a tribus inaugurari conſueviſſe compertum eſt; idque conjicere etiam eſt ex Clemente Alexandrino apud Euſebium lib. 2. hiſt. eccleſ. cap. 1. perhibente a SS. Petro, Jacobo, & Joanne S. Jacobum cognomine Juſtum, quem S. Hieronymus de ſcript. eccleſ. cap. 2. indiſcriminatim ait ab Apoſtolis, Hieroſolymorum Epiſcopum ordinatum fuiſſe. Quamobrem a Sandino hiſt. Apoſt. §. 1. vapulat merito Serrius exercit. 51. §. 7. ajens, *Apoſtolos autem, & Sacerdotes, & Epiſcopos creavit Chriſtus, dum dixit eis*: hoc facite in meam commemorationem, *ut declarat Synodus Tridentina*. Nam Tridentina Synodus ſeſſ. 22. de ſacrif. Miſſæ can. 2. Apoſtolos Sacerdotes tantum, non etiam Epiſcopos a Chriſto creatos docet.

Attamen S. Paulum Romanorum Epiſcopum una cum S. Petro egiſſe nullo effici modo poteſt; quique id opinati ſunt, ſive exinde Primatui Petri nihil iri detractum putaverint, uti Petrus de Marca exercit. de ſingulari Primatu Petri; ſive exinde argumentum Petri Primatum oppugnandi arripuerint, uti Queſnellus in opere Gallice inſcripto *Vains efforts des Jeſuites*, quo errorem prop. 90. ab ſe conſtitutum confirmare conatus eſt, & Barchoſius in ſuis de Auctorit. SS. Petri, & Pauli, & de Magnit. Eccleſ.

cleſ. Rom. gallice exaratis libris, ii magno profecto in errore verſantur. Primo enim nonniſi unum in una eadem EccleſiaEpiſcopum, quemadmodum unus Deus, una Eccleſia, unum Baptiſma eſt, eſſe oportere vetus traditio eſt SS. Patrum Ignatii in genuina epiſt. ad Philadel., Tertulliani lib. de praeſcrip. cap. 36, Cypriani epiſt. 50. ad plebem, & 52. ad Antonian. edit. Pamelii, Athanaſii epiſt. ad Solitar., Cornelii Papæ epiſt. ad Fabium Antiochen. apud Euſebium lib. 6. cap. 43. edit. Taurin., & epiſt. 6. ad S. Cyprianum inter Cyprianicas 46. in edit. Pamelii, Julii I. epiſt. ad Oriental. apud Coutantium tom. 1, Innocentii I. epiſt. 25. ad Decentium Engub., Concilii Nicæni can. 1, & 6, Cleri Romani in reſpon. ad Conſtantium Imper. apud Theodoretum lib. 2. hiſt. eccleſ. cap. 17. edit. Taurin.; aliorumque, quos recenſere non eſt opus. Igitur quum Petrum Epiſcopum Romæ fuiſſe negari ullo modo queat, conſequens fit, ut apud Romanos Epiſcopatu defunctus S. Paulus nuſpiam fuerit. Secundo ex SS. Patribus, aut Pontificibus, qui S. Petrum Romæ Epiſcopum egiſſe affirmant (affirmant vero quotquot illum Romam profectum ajunt, quos ſuperiori loco laudavimus, adeo ut propterea mirari ſubeat Proteſtantium nonnullorum cum malitia inſcitiam, e quibus Bruſſetius in diſſert. *de Petro Romæ martyre, non Pontifice*, & Dodvvellus diſſert. *de ſucceſſ. primor. Epiſcop. Romæ* cap. 6, qui illud prius faſſi, poſterius inficias eunt) nullus produci poteſt, qui id honoris in eadem Romana Eccleſia pariter S. Paulo tribuerit, quæ enim pro ſuo confirmando errore Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ proferunt, quam in alienum a Patrum germano ſenſu intorta ſint, ſuperius, & abunde demonſtratum eſt, ac breviter iterum, ac dilucide ex Catalogis Roman. Pontif. demonſtratur. Certe in catalogis, ſive quos confectos ſcimus a S. Irenæo lib. 3. cap. 3, a S. Optato Milevit. lib. 2. adverſ. Parmen., ab Auctore antiquiſſimo carminum adver. Marcion., apud Tertullianum lib. 3, a S. Epiphanio hæreſ. 27, & a S. Auguſtino epiſt. 165. ad Generoſum vet. edit., ſive quos diligentiſſime conquiſitos cum aliis codicibus collatos, & ad Autographorum fidem exactos evulgarunt Bucherius in canon. Paſchal. Victor., Schelſtratius Antiquit. illuſt. tom. 1, Papebrochius Propyl. ad Act. SS. Maji; Henſchenius

nius tom. 1. Act.April., Pagius ante appar. Chron., Franciſcus Blanchinius tom.2. Anaſt., Joſephus Blanchinius tom.4., Muratorius tom.3.part.1, & 2. Scriptor.rer.Italic., Mabillonius Analect. veter. pag.218,& lib.5. de re Diplom.; Garampius in differt. *de Nummo Benedicti III*, & Dodvvellus ipſe in differt. cit., primo quidem loco legitur S.Petrus, at nullus eſt, quem inter Romanos Pontifices ibidem S.Paulus occupet. Tertio ex eo a SS. Patribus jugiter conſtituto principio, ſeu verius, divinae inſtitutioni innixo, ſcilicet ſupra unum Petrum, ut eſſet una, Eccleſiam ædificatam, atque ut una in unitate integra Eccleſia conſiſteret, unum Petrum unitatis caput, centrum, fontem, radicem, fundamentum a Chriſto Domino fuiſſe collocatum, ut prædicant S. Cyprianus de unit. Eccleſ., S. Optatus lib. 7. pag. 104. edit. 1700, S. Hieronymus lib. 1. adverſ. Jovinian., S. Pacianus epiſt. 3. ad Sympron. Bibl. PP. tom. 4, & S. Auguſtinus ſerm. 295. edit. PP. Benedict., ex eo, inquam, principio efficitur plane penes unum Petrum cum Eccleſiae Romanae Epiſcopatum, tum Eccleſiæ univerſæ Primatum integrum ſteiiſſe, atque ab utroque gradu arcendum procul Paulum. Sed quid hic SS. Patres commemorem, quandoquidem hoc in principio ſtabiliendo vel ipſi, qui inter Proteſtantes mitiori ingenio præſtant, convenerint? Caſſander in Conſultat.art.7, ſcripſerat: *quod ad unitatem, hujus externæ Eccleſiæ requirunt obedientiam unius ſummi Rectoris, qui Petro in regenda Chriſti Eccleſia, & ejus ovibus paſcendis ſucceſſerit, non eſt a conſenſu priſcæ quoque Eccleſiæ alienum. Certe Ambroſius Damaſum ſua ætate Epiſcopum Romanum totius Eccleſiæ Chriſti Rectorem vocat*: eamque in rem congeſſerat pleraque alia Patrum teſtimonia. Jam vero Grotius in Annotatis ad hunc Caſſandri articulum; *Bene*, inquit, *Caſſander ad Eccleſiam diſcernendam a Schiſmaticis addidit unitatem ex Chriſti ipſius dicto, Joan.13,35. ... Hæc unitas non animo tantum retinenda eſt, ſed & Sacramentorum communione, quatenus fieri poteſt: id vero fieri non poteſt, niſi plebs Præpoſitis obſequatur. Eſt enim Eccleſia corpus quoddam, & proinde juncturis quibuſdam compaginatum Epheſ. 4, 16. Hæ juncturæ ſunt Epiſcopi in parte minore, in majore Metropolitæ, aut ut in Africa Epiſcoporum Seniores; in parte adhuc majo-*

majore Exarchæ, ſive Primates, quales illi Carthagine, & alibi: rurſum in majore alia Patriarchæ, & in toto corpore is, qui Princeps eſt Patriarcharum Epiſcopus Romanæ Urbis, quæ omnia conformata ſunt ad exemplar Principatus ejus, quem Petrus inſtituto Chriſti habuit in Apoſtolos; unitas enim Antiſtitis optimum adverſus Schiſmata eſt remedium, quod & Chriſtus monſtravit, & comprobavit experientia. Hanc Principatus in Epiſcopo Romano utilitatem ingenue agnovere Melancthon multis locis, Jacobus Rex Britanniæ, multique ex Proteſtantibus viri eruditi. Quamquam poſtea quemadmodum Caſſander id poteſtatis genus Romano Pontifici attributum conſenſu Eccleſiæ aſſeruit, Grotius pariter non divina inſtitutione, ſed Eccleſiarum conſenſione Primatu Romanum Pontificem potitum ſibi parum conſentiens pugnet. Quamvis etſi Paulo illud prius, videlicet una cum Petro Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum geſſiſſe concederemus, quod concedi abſque ullo Primatus Petri diſpendio poſſe nonnullis viſum eſt; uni tamen Petro a Chriſto Eccleſiæ univerſæ collatum Primatum jam oſtendere adgredimur. Quia vero id præſertim auctoritate Patrum conficiendum nobis ſit, conſulto ab iis commemorandis ſuperſedemus, qui ſpeciatim primas Petro ſupra Paulum dederunt, quos interea ſi compertos habere deſideres, præſto tibi ſunt, qui longos eorum catalogos texuerunt. Sanderus lib. 7. de viſib. Eccleſiæ Monarchia; Iſaacus Habertus de Primatu Petri lib. 1, & Cl. Thomas Mamachius Orig. & antiquit. Chriſt. tom. 5. lib. 4. p. 1. cap. 1. §. 5. n. 10, a quo Patrum, Scriptorumque Eccleſiaſticorum, qui Paulo Petrum expreſſe prætulerunt, numerus recenſitus ex I. & II. ſæculo eſt 8, ex III. & IV. eſt 47, ex V. & VI. eſt 66, ex VII. & VIII. eſt 27, ex IX. & X. eſt 40, ex XI. & XII. eſt 36, ex XIII, XIV, & XV. eſt 31, ex XVI, XVII, & XVIII. eſt 104, omnium 359, quot nempe ſat, ſuperque ſunt ad Janſeniſtarum, Queſnellianorumque Patrum, & Scriptorum numerum objicientum retundendam audaciam.

Neque vero obtrudas factum aliquando, ut in Republica Judaica, quæ plane futuræ Chriſtianorum Eccleſiæ formam praeferebat, duo eodem tempore audirent, qui ſummam adminiſtrandæ rei ſacræ tenerent, Moſes, & Aaron nimirum, quin tamen

 peri-

periculum ex bicipiti capite ſcindendæ Synagogæ immineret; & in Republica Ethnica duo eodem tempore frequens Imperatores pariter fuiſſe, qui rei civili adminiſtrandæ ſimul manum admoverent, quin tamen propterea biceps Imperium evaderet. Fieri igitur potuiſſe, ut Eccleſiam Romanam uno, eodemque tempore Petrus, Pauluſque adminiſtrarent ſumma conſenſione, qua fieret pariter, ut ex duobus unum veluti caput conflaretur, quomodo integra,intemerataque Romanæ Eccleſiæ unitas maneret.Nam cum duplici capite cohærere Eccleſiæ unitatem, regimenque Monarchicum nullo modo poſſe ſatis probatum eſt. Exemplum vero Reipublicæ Hebræorum ad rem non eſt; neque enim in omnibus Chriſtianæ Reipublicæ ſpeciem Synagoga illa præferebat,cujus, non ſecus ac civilis ratio ſæpius varia fuit, ſacra etiam non omnino cum Chriſtiana cohaerebat: neque vero Moſes proprie ſummum Pontificem egit, ut S. Thomas docet in 4. diſt. 19, vel ſi egit, ut cenſent S. Gregorius Nazianz. orat. 6, & S. Auguſtinus in pſal. 97, extraordinarius, Deo ita diſponente, ut vocant, ac temporaneus, non etiam ſicut Aaron ordinarius,perpetuuſque, ut noſtri pugnant. Videſis Toſtatum quæſt. 4. in cap. 8. Levit., & Habertum lib.2.de Primatu Petri cap.1.In Romano demum Imperio etſi aliquando duo ſimul audirent Imperatores, longum tamen, latumque inter eos intercedebat diſcrimen; nam ut de iis taceam, qui diviſo ab Oriente Occidente, vel in Oriente, aut Occidente diviſis Provinciis, in diverſis partibus principabantur, ita enim ii non unam Monarchiam, ſed duas, aut plures conflabant; qui ad Imperii conſortium advocabatur, Imperatorque deſignabatur, is quidem Imperatoris nomine, non tamen Auguſti audiebat, Proconſulatus etiam, ac Tribunicia poteſtate defungebatur: ſumma tamen auctoritas unum apud Auguſtum integra manebat.

De

De S. Petri in Eccleſia Univerſa Primatu.

§. III.

PRæſentis controverſiæ enucleatio, ac reſolutio ab ea controverſia quoque pendet: Num Chriſti Vicarius fuerit S. Petrus, & a Chriſto Primatum in Eccleſia obtinuerit: num exinde Petri in Primatu Succeſsor ſit Romanus Pontifex, ac Chriſti vices perinde in terris gerat, quæ duo in anteceſsum optima ratione ſtabilienda ſunt, ut ea, a quibus optima conſecutione cetera fluunt. Ergo quod ad Petri Primatum ſpectat ſupra alios Apoſtolos, quem impetere inani conatu, tum Græci Schiſmatici, tum Lutheri, & Calvini Sectatores, tum cum Marco Antonio Spalatenſi ſuperiori in paragr. Romanæ Eccleſiæ oſores enituntur, Petro ajentes collatum Primatum quidem, vel ordinis, quod primus fuerit ab Evangeliſtis nominatus; vel vocationis, quod primus fuerit a Chriſto adſcitus; vel dilectionis, quod potior a Chriſto fuerit amatus, quæ plane, aut non vera, aut incerta ſunt: nam primus ad Chriſtum venit Andræas Jo.1, & Chriſtus maxime Joannem dilexit Jo.21, 20; Petro collatum fuiſſe a Chriſto ſuper omnes Apoſtolos Primatum, non modo dignitatis, ſed auctoritatis,& juriſdictionis Fides docet teſtimonio fulcita S. Scripturæ, & Traditionis. Et primo S. Scripturæ. Nam Matth. 16. ſic Petrum Chriſtus alloqnitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni Cælorum*; ex quibus ſic inſtituitur argumentnm. Eccleſia Militans ſpeciem exprimit Eccleſiæ Triumphantis, & Chriſtifideli, cui gratia in prima confertur, in ſecnnda gloria promittitur, unde ad Eccleſiæ Triumphantis inſtar Eccleſiæ Militantis regimen a Chriſto inſtitutum eſt, ut obſervant S. Thomas lib. 4. cont. Gent. cap. 76, Duvallius, Bellarminus, Diana, Pueronius de regul. Ariſtocr. tom. 1. cap. 3, Paulianus de Jubil. lib. 3. cap. 1, & alii: Itaque ſupremam poteſtatem habuit S.Petrus in Eccleſia, qui poteſtatem habuit regendi Militantem, & poteſtatem aperiendi aditum ad Triumphantem: ſive S. Petrus auctoritatis, & juriſdictionis Pri-

matum tenuit, ſuper quem Chriſtus Eccleſiam Militantem ædificavit, cuique claves Eccleſiæ Triumphantis concredidit. Probatur conſequentia. Quod præſtat fundamentum ædificio, præſtitit Petrus Eccleſiæ; at illud ædificium totum regit, igitur hic totam rexit Eccleſiam. Quod uſu hominum ſignificant Claves, idem ſignificant Claves Petro traditæ; at Claves ſignificant aperire, & claudere; ſolvere, & ligare; obligare, & remittere; itaque hoc ſignificarunt in Petro, cui proinde dictum: *Quodcumque ſolveris* &c. Quid dixi uſu hominum? uſu Spiritus Sancti Clavium traditione Primatus, ſeu ſuprema Poteſtas ſignificatur: ita Iſa.22. ad ſignificandum Eliacim Pontificatum dicitur: *Dabo claves domus David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat.* Ita Apocalyp. 3. ad ſignificandam Chriſti Domini ſupremam Poteſtatem dicitur: *Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.*

Ad primam allatæ Scripturæ partem tres opponuntur interpretationes: prima Calvini lib. 4. inſtit. cap. 6. per Petram intelligi Chriſtum juxta illud 1. Corinth 10: *Petra autem erat Chriſtus*: atque ita S.Auguſtinus ſerm.13.de verb.Dom., & tract.124. in Joan. interpretatus eſt. Secunda Lutheri, & Illyrici per Petram intelligi Fidem, & confeſſionem Petri: atque ita interpretati ſunt S. Hilarius lib. 6. de Trinit., S. Cyrillus Alexandr. lib. 4. de Trinit., & S. Chryſoſtomus hom. 55. in Matth. Tertia Eraſmi per Petram intelligi etiam alios Apoſtolos, & Fideles; nam Apoſtolis veluti ſuper fundamentum ſuperſtructa Eccleſia dicitur Epheſ.2, ita Origenes tract.1.in Matth. Verum obvia, litteralis, & germana interpretatio eſt, per Petram intelligi Petri perſonam: tum quia ita de perſona Petri interpretati ſunt Tertullianus lib.de præſcript.cap.21, & lib.de pudicit., Origenes hom.5.in Exod., S. Cyprianus epiſt. ad Jubajanum, & lib. de Unit. Eccleſiæ, Firmilianus epiſt. ad Cyprianum inter Cyprian. 75, S. Athanaſius orat. de Incarn., Euſebius lib. 3. demonſt. Evang. cap. 7, S. Optatus lib. 2. adv. Parmen., S. Epiphanius in Anchorato, S. Gregorius Nazianz. orat. de moderat. in diſput., S. Chryſoſtomus hom. 8. adv. Judæos, S. Baſilius hom. de pœnit., & lib. 2. adver-

verſus Eunomium, S. Ambroſius in pſal. 50, & ſerm. 47. de Fide Petri, S. Hilarius in cap. 16. S.Matth., & in pſal.131, S. Zeno Veron. lib. 1. tract. 13, S. Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſ., & epiſt. ad Marcellam, S. Auguſtinus in pſalm. contra part. Donati, S. Leo Mag. ſerm. 2, & 3. de ſua aſſumt., S. Gregorius M. lib. 4. epiſt. 32, & 33, aliiſque in locis, S. Paulinus epiſt. 4. ad Severum, S. Maximus Taurin. ſerm. de SS. Petro, & Paulo, aliique. Præterea hunc ſenſum exigunt tum pronomen demonſtrativum, tum hiſtoriæ contextus, tum Chriſti promiſſio; nam pronomen *hanc* demonſtrat eam petram, de qua Chriſtus dicebat; at Chriſtus dixerat: *Tu es Petrus*, ſeu *Tu es Petra*, quaſi diceret, ſuper quam *ædificabo Eccleſiam meam*: contextus etiam ſermonis Petrum indicat: nam interroganti Chriſto Petrus reſponderat: *Tu es Chriſtus*: confeſſionem Petri Chriſtus exceperat: *Et ego dico tibi*: denique in confeſſionis præmium ſingulare Petro privilegium indulſit; ſcilicet quod dicebamus, ſuper alios Primatum, verbis illis: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; cui etiam promiſit: *Tibi dabo claves* &c. Tó enim *Tibi* nonniſi ad Petrum referri poteſt, cui dixerat: *Tu es Petrus*. Neque vitilitiget quis cum Calvino, & Caſaubono exerc.15. in Baron. non bene cohærere *Petrus*, & *ſuper hanc petram*, dici enim oportuiſſet, vel Petrus, & ſuper Petrum, vel petra, & ſuper petram. Nam, ut notavit Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 10, & Maldonatus in cap. 16. Matth., S. Matthæus Hebraice, aut Chaldaice ſcripſerat, quæ linguæ carent iſta generis differentia, quæ eſt in Græca, & Latina Petrum inter, & Petram, ſed uno eodemque vocabulo Hebraico, vel Syriaco Chriſtus dixerat: *Tu es Cephas*, ideſt petra, *& ſuper hanc petram*. Ex Græco vero Codice vertens Latinus interpres reddidit: *Tu es Petrus*, ea nimirum de cauſa, quod quum apud Græcos tam Πετρος, quam Πετρα ſignificet lapidem, & Græcus Codex habeat Πετρος, & poſtea Πετρα, interpreti Latino viſum eſt homini nomen maſculinum tribuere, quam fœmininum. Denique Petræ nomine eo loci deſignari S. Petrum faſſi ſunt ipſimet Eraſmus, Hammondus, & Clericus comment. in cap. 16. Matth., ab iiſque ſuorum ſymmitarum cavillationes exſufflatæ.

Ad

Ad allatas autem interpretationes repono Patres illos laudatos noſtram, & aliorum longe plurium interpretationem non excludere, imo nec omittere. Nam S. Auguſtinus per *hanc petram* intelligi perſonam Petri docet in pſal. *69*, in pſal. cont. par. Donati, ſerm. 49. de verbis Domini, nunc 137, & lib. 1. Retract. cap. 21. relata duplici interpretatione, ſcilicet per petram intelligi Petri confeſſionem, & ipſum Petrum, permittit lectori eligere probabiliorem, quæ plane aliorum Patrum eſt. Ideo vero S. Auguſtinus illa verba *Super hanc petram* ad Chriſtum perinde quandoque retulit in libro contra Epiſt. 11. Donati, quia agens contra Donatiſtas vim Sacramentorum in ſanctitate miniſtri collocantes, veritus ne, ſi in Petro Eccleſia fundata diceretur, exiſtimarent homines Petrum propria virtute Eccleſiam fundaſſe, ad Chriſtum ipſum verba illa referenda duxit. S. Hilarium, & Origenem noſtræ interpretationi etiam ſuffragari ſupra diximus: ſed & ſuffragatores habemus quoque S. Cyrillum Alex. lib. 2. in Joann., S. Chryſoſtomum hom. 55. in Matth., & hom. in pſal. 50, S. Petrum Chryſologum ſerm. 44, & Patres Synodi Epheſinæ act. 3, qui verba illa: *& ſuper hanc petram* de perſona Petri aperte exponunt; & Patres *630*. Concilii Chalcedonenſis act. 3. Petrum appellantes *Eccleſiæ petram*, & *Crepidinem*. Si qui vero alii ſint, intelligo enim plures alios a Proteſtantibus objectari Patres, qui locum illum Matthæi vel de Chriſto, vel de Petri fide, vel de confeſſione interpretati ſunt, confidentiſſime ajo eos omnes noſtræ non refragari aliis in locis ſuperius laudatis interpretationi; qui ita demum commode explicandi ſunt, ut Chriſtum quidem præcipuam Eccleſiæ petram, Petrum vero ſecundariam Eccleſiæ a Chriſto vice ſua conſtitutum velint: fidem autem Petri, ſive confeſſionem in cauſa fuiſſe, cur Fidei, Eccleſiæque firmitas in Petro ipſo collocaretur.

Ad ſecundam vero partem allatæ Scripturæ tres pariter opponuntur interpretationes: prima, quæ eſt Lutheri lib. de poteſt. Papæ, Calvini loc. cit., Centuriatorum, & Synodi Smalcadicæ lib. de Primatu Papæ, collatas Petro Claves ait, ſed nomine Eccleſiæ, cujus perſonam gerebat. Ita intellexit S. Auguſtinus tract. 50, & 124. in Joann., & Enarr. 3. in pſal. 30.

Se-

Secunda, quæ eſt Salmaſii lib. de Primatu Rom. Pontif., de Dominis lib. 1. de Rep. Eccl. cap. 3, Gerardi confeſſion. Cathol. tom. 2, utriuſque Spanhemii tom. 2. oper. §. 34, Deilingii obſervat. ſacrar exercit. 6, Forbeſii inſtruct. hiſt. Theolog. lib. 15. cap. 5, aliorumque ſimilium, collatas Petro Claves pro omnibus Apoſtolis contendit, quia nomine Apoſtolorum Chriſtum confeſſus fuerat, quam confeſſionem præmio donabat Chriſtus. Tertia, quæ eorumdem eſt, per Claves collatas intelligi jubet ſolam poteſtatem ordinis, & juriſdictionis, ſcilicet abſolvendi a peccatis, quæ aliis plane Apoſtolis communis fuit, quibus dictum eſt: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum* &c. Verum per Clavium traditionem ſingulari ratione Petro factam intellexerunt Petro collatum Primatum auctoritatis, & juriſdictionis SS. PP., ita Tertullianus Scorpiaci cap. 10, S. Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ, S. Hieronymus lib. 1. adv. Jovin., S. Auguſtinus in pſal. 108, & tract. 124, S. Leo ſerm. 3. in anniverſ. ſuæ conſecrat., S. Gregorius lib. 3. epiſt. 37, S. Hieronymus cit. loc., & lib. 1. contra Jovin., S. Optatus Millevit. lib. 1. adver. Parmen.: *Bono unitatis*, inquiens, *Beatus Petrus .... & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves regni Cælorum communicandas cæteris ſolus accepit.* Viden jure hinc adſtrui Epiſcoporum juriſdictionem a Romano Pontifice velut a fonte immediate profluere?

Ad allatas vero interpretationes Clavium reponimus ad primam, illius propoſitionis, ſcilicet Petro nomine Eccleſiæ collatas fuiſſe Claves, ſeu Petrum Claves accepiſſe, ut perſonam gerebat Eccleſiæ, duplicem eſſe ſenſum, quod ei collatæ fuerint Claves veluti Eccleſiæ Legato, aut Vicario; vel ut Eccleſiæ Rectori ſupremo poſt Chriſtum, & ſub Chriſtò ſupremo Eccleſiæ Paſtori, quas proinde non in propriam dumtaxat, ſed in communem Eccleſiæ utilitatem, & quibus non eſſet ſolus uſurus, ſed quæ Epiſcopis perinde communicarentur cum dependentia ab eo, acceperit: primus ſenſus eſt falſus; nam fruſtra ei dictum fuiſſet peculiari ratione: *Tibi dabo claves*, quum eadem ratione id dictum quoque ceteris Apoſtolis fuiſſet, qui non ſecus, ac Petrus Eccleſiæ Clavibus uſi ſunt, unde ſi Claves datæ Petro, intelligi deberent Eccleſiæ datæ, quomodo Chriſtus eas Petro daturum ſe promiſit, ut ejus confeſſionem remuneraret, & Petrum ſuam divinitatem confiten-

ſitentem commendavit? Ais dictum Petro non in præſenti, ſed in futuro: *Ædificabo, dabo*: id recte quidem, nam in vivis degente Chriſto, ac nondum a Chriſto conſtituta Eccleſia, Eccleſiæ Rector conſtitui Petrus nec debebat, nec poterat. Secundus igitur ſenſus eſt verus, obvius, litteralis, & intellectus a Patribus ſupra laudatis: nam S. Auguſtinus ſerm. 13. de verb. Domini, *Petrus*, inquit, *Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus Principatum tenens* &c., & tract. 124. in Joann.: *Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui Primatum gerebat figurata quadam generalitate perſonam, quod enim ad ipſum propria pertinet natura, unus homo erat, gratia unus Chriſtianus, abundantiore gratia unus, idemque primus Apoſtolus*. Chriſtum quoque geſſiſſe figuram Eccleſiæ docuit S. Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 26, quando baptizatus eſt: nemo tamen dixerit revera Chriſtum non baptizatum: igitur etſi Petrus perſonam geſſerit Eccleſiæ, quum Claves recepit, revera tamen in propria perſona recepit. Quo pacto quoque Judas corpus malorum repræſentavit, ita Petrum corpus bonorum repræſentaſſe docet S. Auguſtinus in pſal. 108: igitur non ſecus ac in perſona ſua id Judas implevit Chriſtum prodendo, ita Petrus Claves a Chriſto accipiendo. Quemadmodum denique juxta eumdem tract. ult. in Joan. S. Joannes, quum recubuit ſupra pectus Chriſti perſonam geſſit Eccleſiæ Triumphantis, ita Petrus Claves recipiens perſonam egit Eccleſiæ Militantis, at ille perſonaliter ſupra pectus Domini recubuit: hic igitur perſonaliter Clavium poteſtatem recepit.

Ad ſecundam reponimus in Petro, & cum Petro equidem ceteris etiam Apoſtolis collatas fuiſſe Claves, at non æquo jure, ſed cum dependentia, & ſubordinatione ad Petrum: ſeu poteſtas Clavium nomine collata in ceteris Apoſtolis extraordinaria fuit, de qua dicendum erit infra obſerv. 2, id exigente tum Eccleſiæ naſcentis bono; in Petro vero ordinaria fuit. Nam ita docuere S. Optatus Millevit. ſupra relatus, id S. Leo cit. ſerm., id S. Cyprianus loco indicato inquiens: *Et quamvis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat ..... tamen, ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram inſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit*; id S. Cyrillus Alex. lib. 4. in Joan. cap. 4, id S. Auguſtinus ſerm. 108, id S. Hieronymus loco cit.

cit. poſtquam enim dixiſſet omnes Apoſtolos Claves regni Cælorum accepiſſe, propterea tamen, ſubdit, unum inter duodecim electum fuiſſe, *ut Capite conſtituto Schiſmatis tolleretur occaſio*. Ad tertiam reponimus Clavium nomine ſignificari poteſtatem abſolvendi a peccatis non modo, ſed etiam leges ferendi, condendi Canones, regulas ſtatuendi Fidei, & præfigendi morum, Cenſuris innodandi, convocandi Concilia &c., de quibus videndus Morinus de pœnit. lib. 4. cap. 23, ac pleraque hujus generis, quæ Petri juri adjudicata primario ſunt: *B. Petrus*, inquit S. Optatus, *præferri omnibus Apoſtolis meruit, & Claves regni Cælorum communicandas ceteris ſolus accepit*. Itaque judiciariam poteſtatem Clavium nomine Petrum a Chriſto accepiſſe tradunt Origenes tom. 13. in Matth. pag. 70, Tertullianus lib. de Pudicit. cap. 21, S. Cyprianus de Unit., S. Hilarius comm. in cap. 15. Matth., S. Damaſus carm. 37, S. Cæleſtinus epiſt. 3. ad Epiſcop. Illyrici, S. Sergius Epiſ. Cypri act. 2. Concil. Later. ſub Martino I, Ven. Beda homil. de SS. Petro, & Paulo, aliique. Confer Albertum Pighium de Eccleſ. hier. lib. 3. cap. 7, Mauclerum de Monarch. par. 2. lib. 1, Lorinum in Act. Apoſt. cap. 28. ver. 31, Salmeronium tract. 21. par. 3. tom. 4, Sanderum de Clave David lib. 3. cap. 3, Hoſium in Confeſſ. Cathol. Fid. cap. 26, Azorium lib. 4. cap. 10, & 11. tom. 2, Baronium ad an. 34, Gretzerum in reſp. ad Theſes Humanianas cap. 15, Boverium in Cenſura Marci Antonii de Dom. lib. 1. cap. 2, Bozium de ſignis Eccleſ. lib. 3, & 5, Coeffetellum lib. 1. Monarch. Eccleſ. cap. 8, Echium de Prim. Pontif. lib. 3. cap. 37, Joſephum Stephanum Valentinum lib. de poteſt. coactiva Papæ, Beccanum de Repub. Eccleſ. lib. 2. cap. 1, Bacchinium epiſt. 4. Polem. adv. Piceninum, alioſque plures apud ipſos aſſerentes ex præfato S. Scripturæ loco SS. Patrum communem, concordemque ſententiam agnoviſſe, faſſamque eſſe uni Petro Eccleſiæ Primatum fuiſſe collatum. Peſſime proinde apud bonum quemquam audiunt Launojus, & Dupinius, quibus, & illi quidem lib. 2. epiſt. 5, iſti vero de antiq. Eccleſ. diſcipl. diſſert. 4. viſum eſt ex præfato 16. Matth. loco nihil pro Petri Primatu confici poſſe. Qua in re pejus quodam-

modo Camerone, Caſaubono, Baſnaggio, Dodvvello, Ligfooto egiſſe videntur.

Ex S. Scriptura iterum S. Petri Primatus oſtenditur. Nam ex S. Joann. 21, 15 Chriſtus Petrum his verbis allocutus legitur: *Paſce agnos meos*: *paſce oves meas*: ex quibus ſic argumentum inſtauratur: verbo *Paſce* ſignificatur paſcere regendo,& præſidendo, nam id ſignificat profecto vox Græca: Ποίμαινε, Paſtorum more guberna, ſeu paſce regendo, & præſidendo; idque ſignificat Paſtoris munus, gregem paſcere ducendo, & reducendo, coercendo, & caſtigando: Nominibus *Agnos*, *&* *Oves* ſignificatur univerſa Eccleſia,ſeu Chriſtifideles non modo,ſed Epiſcopi etiam veniunt:atqui verba illa ſoli Petro aChriſto dicta ſunt,ut ex contextu ſermonis conſtat; nam Petrum de amore Chriſtus interrogaverat, Chriſto Petrus de amore reſponderat, Chriſtus Petri amorem remuneraturus dixerat: *Paſce agnos meos*, *paſce oves meas*. Petro igitur tamquam ſupremo Paſtori univerſam in Eccleſiam poteſtas regendi concredita a Chriſto fuit. Atqui præeſſe, & ſub eſſe correlativa ſunt, nec unum eſſe ſine altero poteſt, eo itaque ipſo, quod Petro, & ejus Succeſſoribus Chriſtus poteſtatem regendi Eccleſiam contulit, Eccleſiæ univerſæ præcepit, ut ſubſit Petro, & ejus Succeſſoribus. Viden immerito redargutum a Tournellio de Eccleſ. quæſt. 5. act. 1. Bellarminum ſoli Petro conceſſam ſupremam in Eccleſia poteſtatem aſſerentem, a quo ceteri, quos in partem ſollicitudinis vocaſſet, acciperent: Canone enim regendam eſſe Eccleſiam,non ſuprema unius auctoritate contendit Tournellius, ſed perperam, nam Canon ille Eccleſiaſticus, a quo conſtitutus intelligitur? a Petro, & Romanis Pontificibus, vel ſaltem illis approbantibus; an vero ab Epiſcopis, vel Eccleſia? Si primum, ergo ſuprema unius poteſtate Eccleſia regitur; ſi ſecundum, ergo non Petro, & Pontificibus Romanis, ſed Eccleſiæ concredita ea ſuprema poteſtas fuit; igitur non Petro regendi Eccleſiam facta poteſtas, ſed viceverſa Petrum regendi Eccleſiæ. Neæ qui id affirmat,is vehementer errat, ſed de hoc argumento ſuo loco. Jam ad propoſitum regrediatur oratio. Textum ſcripturæ allatum ex Joan. 21. non ſecus interpretati ſunt S. Optatus lib. 2, S. Epiphanius in Anchorato, S. Cyrillus Catech.2,

tech.2, Arnobius in pſal. 108, Theophylactus in Luc.22, S. Eucherius Lugdunenſis, ſeu alius Epiſcopus Gallicanus antiquus ſerm. de Natali Apoſt. Petri,& Pauli Euſebio Emiſſeno adſcripto. *Prius agnos*, inquit, *deinde oves commiſit ei, quia non ſolum Paſtorem, ſed Paſtorum Paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oves, paſcit Filios, paſcit & Matres, Regit & Subditos, & Prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt, quia præter agnos, & oves in Eccleſia nihil eſt*. Origenes in cap.6. epiſt. ad Rom. *Petro*, inquit, *quum ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur ..... nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitatis exigitur*. S. Ambroſius lib.10. in Luc. cap.24. *Quia ſolus*, (Petrus) *profitetur*, inquit, *ex omnibus, omnibus antefertur .... & jam non agnos ..... ſed oves paſcere jubetur, perfectiores, ut perfectior gubernaret*. S.Auguſtinus ſerm.24 de Sanctis,nunc 147, *In uno Petro*, ait, *figurabatur unitas omnium Paſtorum*. Ita & in pſal. 103. S. Bernardus lib. 2. de Conſid. cap. 8. *Paſce oves meas: quas?* inquit, *illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas inquit: cui non plenum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil*. S. Gregorius M. lib. 4. epiſt. 32. ad Maurit. Imper. *Cunctis*, inquit, *Evangelium ſcientibus liquet, quod Beatiſſimo omnium Apoſtolorum Principi Petro Dominica voce totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt*. Similia ſcribunt Joannes II. epiſt. 11. ad Juſtinian., S. Nicolaus I. epiſt. ad univ. Cathol., & Joannes VIII. epiſt. ad Baſilium Imperatorem.

Huic Scripturæ teſtimonio tres quoque interpretationes opponunt. Prima, ea Chriſti verba: *Paſce oves meas* dicta intelligi omnibus Epiſcopis; quum Petrus ipſe prima epiſtola ſua eoſdem hortetur, ut Gregem paſcant, & Paulus, teſte S. Luca, hortatus ſit Epiſcopos, ut Gregem pariter paſcerent. Atque ita locum interpretati ſunt S. Auguſtinus lib. de Agone Chriſtiano cap. 30, & tract. 47. in Joann., & S. Chryſoſtomus hom.47. in Joann., & hom. 79. in cap. 24. Matth. Secunda illis Chriſti verbis: *Paſce oves meas* non ſignificari poteſtatem collatam, ſed dumtaxat præceptum docendi; ac conſequenter Chriſtianis non imponi obediendi obligationem. Tertia omnes Apoſtolos fuiſſe Paſtores

Eccleſiæ, unde ex illis verbis non colligi Petrum ſolum Paſtorem fuiſſe. Verum ne dicere cogamur irriſorie, & inaniter Petro loquutum Chriſtum, irriſoriam, & inanem eſſe Patrum interpretationem, ſenſui loci laudati obvio, & naturali ſtandum eſt. Unde ad primam reſpondeo Petrum, & Paulum hortatos eſſe quidem Epiſcopos, ut paſcerent Gregem, ſed eum dumtaxat, qui in ipſis eſt: *Paſcite*, inquit, *qui in vobis eſt gregem Dei*, ideſt Eccleſias particulares ipſorum curæ commiſſas. Juxta SS. Auguſtinum, & Chryſoſtomum autem ea verba: *Paſce oves meas* primario, & principaliter dicta ſunt Petro, ut ſingulari perſonæ; ſecundario vero omnibus Eccleſiæ Epiſcopis, quos ipſe Petrus, non tamquam Legatus, aut eorumdem Vicarius, ſed tamquam Princeps, & ſupremus Paſtor repræſentabat, quique paſcendi Gregem poteſtatem acceperat, non qua ſolus uteretur, ſed quam aliis communicaret cum dependentia ab ipſo. Præſertim vero SS. Patres docent ea verba, non ſecus ac ſupra laudata, dicta fuiſſe Petro, ut perſonam gerebat Eccleſiæ, ne ſcilicet videretur defuncto Petro poteſtatem illi concreditam defeciſſe, ſed in Romanis Pontificibus ejus ſucceſſoribus in ævum permanſuram demonſtrarent. Unde S. Auguſtinus in pſal. 108. *Eccleſiæ*, inquit, *ille* (Petrus) *agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam*, *propter Primatum*, *quem habuit in diſcipulis*. Scilicet hoc docuit S. Auguſtinus: Poteſtatem Petro collatam in gratiam Eccleſiæ, eamdem permanere in Eccleſia, eamque in Eccleſiam promanare a Petro, & a Petro Eccleſiam repræſentari ob Primatum: & S. Chryſoſtomus hom. 55. in Matth. *Eccleſiæ*, inquit, *Paſtor*, *&* *Caput eſt homo piſcator*: & hom. 11. in eumdem: *Hunc*, inquit, *univerſo Orbi præponit*. Ad ſecundam reſpondeo utrumque intelligi debere, & Principatum regiminis in Eccleſia, qui inſtituitur illis verbis, & præceptum regendi Eccleſiam, quod verbis illis imponitur: non enim, ut dicebamus, Eccleſia vere, rite, ac rationabiliter paſci poteſt, niſi poteſtate, auctoritate, & juriſdictione paſcatur: ex quibus omnino conſequitur obligari Eccleſiam ad obediendum Paſtori, & Rectori: ſi enim jubetur Paſtor, ut paſcat, jubentur & oves, ut ſe paſci ſinant: vox Græca Ποίμαινε, qua uſus eſt Joannes, totum id ſignificare ſupra indigitavimus. Ad tertiam reſpon-

reſponſio pateſcit ex reſponſione ad primam: verbo dicam Apoſtolos Paſtores quoque fuiſſe, ſed ſub Petro, cum dependentia a Petro, & poteſtate accepta a Petro, & Paſtores cum extraordinaria poteſtate. Petrus vero Paſtor fuit primus, & ordinarius, imo Paſtorum omnium Paſtor, ut ſuperius dicebat S. Eucherius. Præſtat adire, ſi plura aveas, præter alios præmemoratos, Duvallium de Rom. Pontif. par. 1. qu. 4, Bellarminum lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 16, Cordubam in qq. lib. 10. q. 14, Caſtillum in 3. ſent. diſp. 16. qu. 2, Suarezium adv. Reg. Angliæ lib. 3. cap. 10, Valentiam tom. 3. diſp. 1. qu. 1, Maldonatum in Joann. 21, 15, Cajetanum tom. 1. opuſc. tract. 3. de Rom. Pontif. cap. 10, Bagotium in Apolog. Fidei par. 1. lib. 3. diſp. 8. cap. 3. ſect. 1, Coeffetellum lib. 1. cap. 5, Azorium tom. 2. lib. 4. cap. 9. q. 2, Joannem de Turre de verbo Dei, Boſſuetium hiſt. Variat., Aguirræum de Cath. Petri, Veronium tom. 3. par. 5, Wallemburgios tom. 2. par. 3, innumeroſque alios apud ipſos affirmantes ex præfato loco SS. Patres univerſim concluſiſſe S. Petro Primatum in Eccleſia à Chriſto Domino collatum; argumentaque omnia cum Marci Antonii de Dom., tum Anonymi Galli ab eodem Spalatenſi mutuata penitus exſufflantes.

Duobus hiſce Scripturæ locis accedunt prærogativæ quædam, quas S. Petro præ ceteris Scriptura Sacra attribuit. Haſce ad 28. enumerat Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 17. Quatuor tantummodo nos delibabimus, quarum prima, quod S. Petro nomen a Chriſto impoſitum ſit, quod nomen Syriace, teſte S. Hieronymo in 2. ad Galat. *Petram*, Græce *Caput* ſignificat, teſte S. Optato lib. 2. Contra Parmen., quodque unum eſt ex Chriſti nominibus, quo nomine ſignificare Chriſtus voluit Petrum ſuum inſtitutum abſe eſſe Vicarium, ac Eccleſiæ ſuæ Caput. Id innuunt S. Cyrillus Alex. lib. 2. in Joann. cap. 17, & S. Auguſtinus tract. 7. in eumdem; atque interpretatus eſt apertis verbis ſerm. 3. de aſſumpt. ſua ad Pontif. S. Leo. Secunda quod Petrus ab Evangeliſtis Apoſtolos recenſentibus ſemper *Primus*, *& primo* loco nominatur, uti Matth. 10. *Duodecim Apoſtolorum nomina*, legitur, *ſunt hæc*: *Primus Simon*, *qui dicitur Petrus*, quod nota-

notarunt S. Ambroſius in 2. ad Corinth., S. Auguſtinus tract. ult. in Joann., & Albertus Magnus ibi: obiter id vero obſervandum, quod in pleriſque Græcis exemplaribus legitur Πρῶτος protos, ideſt primarius, ſummus. Hanc primarii, ſeu primi prærogativam Petro collatam, ſunt qui Petri ætati deferant, ut S. Hieronymus lib. 1. contra Jovin., Caſſianus lib. 2. de Incarn., S. Chryſoſtomus hom. 59. in Matth.; ſunt qui deferunt vocationi, ut S. Epiphanius hær. 51, S. Cyprianus lib. teſtimon., S. Hilarius in cap. 7. Matth., S. Gregorius Mag. lib. 2. in Ezech. hom. 18, S. Chryſoſtomus hom. 9. de pœnit.: ſunt qui delatam velint ejus confeſſioni, ut S. Gregorius Nazianzenus hom. 26, S. Baſilius lib. 2. adv. Eunomium, S. Epiphanius hær. 19, S. Optatus Millevit. lib. 1. adv. Parm., S. Ambroſius lib. 10. in Luc. cap. 24, quas SS. Patrum ſententias intelligi nolim eo ſenſu, quo intelligi voluit Spalatenſis, videlicet Petri Primatum fuiſſe ætatis, aut vocationis, aut confeſſionis, non vero poteſtatis, auctoritatis, & juriſdictionis; nam Patres laudati non rem, in qua Petri Primatus ſit locandus, ſed cauſſam, ſeu rationem, ob quam Petro fuit Primatus conceſſus, inveſtigarunt: nos eam fuiſſe contendimus, quam Evangeliſtæ exponunt, nec Patres illi, dum alteram ſuperaddunt, explodunt, quinimo aliis in locis proferunt, Fidem ſcilicet, & Dilectionem.

Tertia quod Petrus primum Concilium coegerit, propoſueritque Apoſtolis electionem cujuſpiam in locum Judæ, primuſque in eo ſententiam protulerit; unde S. Chryſoſtomus hom. 3. in Act. Apoſt.: *In hoc Choro*, inquit, *Princeps eſt .... merito primus omnium auctoritatem uſurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu: ad hunc enim dicit Chriſtus: & tu aliquando confirma fratres tuos*. Addit demum potuiſſe Petrum ſe ſolum alium eligere, ſed non feciſſe, *ne cui videretur gratificari*. Id etiam notarunt Auctor. Conſtit. Apoſt. lib. 6. cap. 12, S. Hieronymus epiſt. 11. inter Auguſtin., & Theodoretus epiſt ad S. Leonem. In Concilio etiam Hieroſolymitano, ubi de Legalium obſervatione actum eſt, Petrus primus ſententiam protulit, ſibi Gentes univerſas debere auſcultare dixit, & auctor fuit decreti, cui omnes parerent: unde S. Hieronymus epiſt. 89. ad S. Auguſtinum: *Tacuit*, inquit,

omnis

omnis multitudo, & in ſententiam ejus Jacobus Apoſtolus, & omnes ſimul Presbyteri tranſierunt. Confer S. Auguſtinum epiſt. 19, & S. Thomam 22. q. 33. art. 4. ad 2. affirmantes S. Petro ſubditum S. Paulum fuiſſe. Præterea Gagnæum, Lorinum, Sanctium, Cornelium a Lap. in Acta Apoſt. 15. Ad hos Jo. Turrecrematam lib. 1. cap. 5, Baronium ad an. 51, Salmeronem tract. 43, Sotum in 4. diſp. 20. q. 1. art. 2, Chriſtophorum Marcellum Archiep. Corcyrenſem de Auct. Papæ contra Luth. lib. 1. cap. 20; Bagotium apologet. Fidei p. 1. lib. 4. diſp. 6. cap. 2, Boverium in Cenſ. par. 2. lib. 1. cap. 10, Capellum de poteſt. Papæ diſ. 1, Panvinium de Prim. Pap. par. 2. cap. 3, Gravinam tom. 2. Controv. lib. 4. art. 2, Coeffetellum lib. 1. cap. 9, Beccanum Controv. lib. 1. cap. 4, Sanderum de Clave David cap. 25. lib. 2, Agricolam tract. de Prim. Petri cap. 7, Banneſium in 22. q. 10. art. 1, Alphonſum de Caſtro adv. hæreſ. lib. 10. verbo *Papa*, Bellarminum loco cit. cap. 22, Suareſium, Dianam locis cit.; Tournellium loco infra laud., aliosque ad unum affirmantes S. Petrum in Concilio Antiocheno, ubi de Circumciſione actum, cui S. Paulus minime interfuit, tamquam omnium Apoſtolorum Caput exiſtens, viceſque unus Chriſti gerens, & ut Pontifex Summus lege lata quid de Circumciſionis diſciplina, & de idololatitiis obſervandum eſſet, edixit. Ideo S. Hieronymus epiſt. 89, ſeu 11. inter Auguſt. cap. 3. dixit Petrum fuiſſe Principem illius decreti; & Theodoretus epiſt. 113. ad S. Leonem ſcripſit S. Paulum ideo accurriſſe ad S. Petrum, ut de legalibus, de quibus Antiochiæ fuerat diſputatum, ab eodem ſolutionem acciperet. Neque ab his plurimum abhorrent ex Proteſtantibus Jo. Camero in Myrothecio, Caſaubonus exerc. 15, Baſnaggius ad an. 33, Ligfootus in Act. Apoſt., Dodvvellus diſſert. 7. Cyprian., niſi quod parum ſibi cohærentes Petrum exinde Monarcham dicere detrectant.

Quarta denique, quod verbis illis Chriſtus Petrum allocutus ſit: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos* Luc. 22. Quo ſane loco tum Petri Principatus firmatur, unde Theophylactus in hunc locum: *Quia*, ait, *te habeo ut Principem Diſcipulorum, poſtquam negaſſe*

gaſſe me fleveris, *confirma ceteros*, *hoc enim te decet*, *qui poſt me Eccleſiæ Petra es*, *& Fundamentum*; & S. Leo ſerm. 3. de ſua aſſum. anniverſ. : *Pro fide Petri*, inquit, *proprie ſupplicatur*, *tamquam aliorum ſtatus certior ſit futurus*, *ſi mens Principis victa non fuerit*: tum Petri duplex privilegium adſtruitur, quo numquam poſſet a fide deficere, quove tamquam Pontifex non poſſet unquam quidquam contra fidem docere. De primo horum privilegio Petri perſonæ collato fidem faciunt S. Auguſtinus, qui lib. de Corrept., & gratia cap. 8: *Quando rogavit*, inquit, *ut non deficeret fides ejus*, *rogavit ut haberet in fide liberrimam*, *fortiſſimam*, *invictiſſimam*, *perſeverantiſſimam voluntatem*. S. Chryſoſtomus, qui hom. 87. in Matth.: *Non dixit*, inquit, *non negabis*, *ſed ut non deficiat fides tua*: *cura enim ipſius*, *& favore factum eſt*, *ne omnino Petri fides evaneſceret*. Theophylactus in cap. 22. Luc., qui eleganti ſimilitudine ducta ab arbore folia abjiciente, cujus tamen vigeat radix, aſſerit Petrum confeſſionem Fidei amiſiſſe, non tamen Fidem ipſam. De ſecundo Petri privilegio, quod numquam aliquid Fidei adverſum docturus foret, teſtes locupletes habemus: Theophylactum ſuperius laudatum; S. Bernardum epiſt. 190. ad Innocent. II, ubi, *Oportet*, inquit, *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque*, *& ſcandala Regni Dei*, *ea præſertim*, *quæ de Fide contingunt*, *dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna Fidei*, *ubi non poſſit Fides ſentire defectum*. *Cui enim alteri Sedi dictum eſt aliquando*. *Ego pro te rogavi*, *ut non deficiat fides tua*? S. Thomam 22. q. 1. art. 10, S. Agathonem epiſt. ad Conſtantin. Imperat. lecta in VI. Synodo act. 4, S. Leonem ſerm. 3. cit., S. Nicolaum I. epiſt. ad Michaelem Imperat., S. Leonem IX. epiſt. ad Petrum Antioch., Innocentium III. epiſt. ad Epiſcop. Arelat., quæ habetur cap. *Majores* extra de baptiſ., alioſque ſuo loco laudandos. Confer interea S. Antoninum in Chron. p. 1. tit. 6. cap. 4, Pamelium in epiſt. S. Cypriani ad Quintum epiſt. 71, adnot. 19, Turrecrematam in Summa de Eccleſ. lib. 2. cap. 13, S. Joannem a Capiſtrano de auctor. Papæ p. 1, & p. 7, Hugonem a S. Vict. Serm. 64. de Apoſt. Petro, & Paulo, Thomam Vvaldenſem lib. 2. cap. 3, Paludanum lib. de Eccleſ. poteſt. art. 1, Jacobatium

batium de Concil. lib. 10, Cajetanum de auct. Papæ cap. 1, Polum in defenſ. unit. Eccleſ. lib. 2, Baronium ad an. 34, Bellarminum lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 3, & ſeqq., Driedonium lib. 4. cap. 3, Pighium de hier. Eccleſ. cap. 11. lib. 3, Sandederum de viſib. Monarch. lib. 6. cap. 6, Pueronium de regul. Ariſtocr. cap. 3, Petrum de Soto in defenſ. Cathol. Fid. p. 1. cap. 89, Alphonſum Alvarez in Theſaur. Chriſt. Relig. cap. 1, Campanellam de Monarchia Meſſiæ cap. 12, Genebrardum in Chron. lib. 4. ad an. 32, Mauclerum p. 2. lib. 2. cap. 3, Simancham inſtit. Cathol. tit. 45, Bzovium de Roman. Pontif. cap. 36, Pitigianum in 3. diſp. 25. art. 1, Canum de loc. Theolog. lib. 8. cap. ult., Bagotium Apolog. Fidei p. 1. lib. 3. diſp. 8. cap. 4, Tirinum in Act. Apoſt. cap. 28. v. 30, Antonianum Card. de Prim. Petri, Marcum Ant. Capellum de Pontif. Petri diſp. 1. cap. 12, Sylvium in 22. S. Thomæ qu. 33. art. 10, Tannerum tom. 3. diſp. 1. qu. 4, Coninchium de Fide, Spe, & Charitate diſpp. 22, & 28, Salmeronium in cap. 2. epiſt. ad Galat., & tom. 4. par. 3. tract. 5, Serrarium opuſc. de vita S. Pauli par. 4, Alexandrum Carrerum de poteſt. Pontif. lib. 1, Valentiam tom. 3. diſp. 2. q. 1, Perez in Pentatheuco Fidei lib. de Rom. Pontif. cap. 20, Celajam in 4. diſp. 24. q. 4, Banneſium in 22. S. Thomæ q. 1. art. 10. dub. 4, Panvinium de Prim. Petri par. 2. cap. 3, Echium de Primatu Petri lib. 3. cap. 27, Sixtum Senen. Bibl. lib. 6. annot. 269, & 271, Arcudium tract. de Purgat. contra Bartolanum, Cariophylum in refutat. Gergani blaſph. 33, & 35, Nardium de Pap. Rom. cap. 1, Arriagam par. 2. S. Thomæ diſp. 18, Amicum diſp. 6. ſect. 2, Campegium opuſc. de Rom. Pontif., Mendozam quodl. q. 4, Antonium Polum in Lucid. poteſt. Papæ lib. 4, Gordonum Controv. tom. 5. Controv. 25, Suareſium contra Regem Angliæ lib. 3. cap. 11, & diſp. 20. de Rom. Pontif., Leoratum Controv. adverſus Pictetum, Vernanum de Poteſt. Rom. Pontif., Cartierium de auct., & infall. Sum. Pontif., Pium Raym. Ruffum lib. de Rom. Pontif., Ludovicum Du Meſnil Doctr., & Diſcipl. Eccleſ. lib. 5. n 7, lib. 7. n. 2, & lib. 16. n. 39, alioſque apud ipſos id omnes affirmantes S. Paulum in ordine ad regi-

men S. Petro fuiſſe inferiorem, unique Petro a Chriſto Domino Primatum in univerſa Eccleſia fuiſſe collatum.

Poſtremo loco ex Luc.22.duo opponuntur interpretationes: Prima, quod Chriſtus id privilegii contulerit Petro, ut perſonam gerebat Eccleſiæ, hocve impetraſſe, ut Eccleſiæ fides nunquam deficeret. Ita Launojus, Dupinius, Natalis, Boſsuetius, &c. Secunda, quod Chriſtus eo loci rogaverit pro ſolius Petri perſeverantia in Dei gratia uſque in finem. Verum contra primam expoſitionem eſt, tum quia Chriſtus unam tantum perſonam allocutus eſt verbis illis *Simon .... pro te .... fides tua ... & tu ... Fratres tuos*. Tum quia Eccleſia non habet fratres, nam fideles omnes Eccleſiæ Filii ſunt, unde Eccleſiæ dici non potuit: *confirma Fratres tuos*. Porro animadvertendum duobus modis dici poſse Petrum Eccleſiæ perſonam geſſiſse, Hiſtorice, & Parabolice: hiſtorice dicitur quis alterius perſonam gerere, qui re aliqua ab ſe vere geſta, rem ab alio gerendam repræſentat, & ſignificat, ſicuti Martha ſollicita circa frequens miniſterium, & Maria ſedens ſecus pedes Domini, duo vitæ genera demonſtrabant, quorum alterum in actione, alterum in contemplatione verſatur. Parabolice vero quis dicitur alterius perſonam gerere, quando res nulla revera geſta eſt, ſed fingitur tantum ad aliquid ſignificandum; quomodo in Evangelio homo, qui ſeminat bonum ſemen, Chriſtum docentem ſignificat. S. Petrus hac poſteriori ratione Eccleſiam minime repræſentavit, ideſt parabolice, ſed primo modo, ideſt hiſtorice; ita quod ipſimet primo, & principaliter collatum privilegium ſit non deficiendi in fide, nihilque definiendi contra fidem, ſecundario vero ſignificaret id privilegium concedendum ſucceſſoribus ſuis, atque ab ſe primo, ab ſuis ſucceſſoribus poſtmodum Eccleſiam fidei firmitatem, ac indefectibilitatem in fide cum tenenda, tum docenda accepturam. Ita intelligendos eſſe, atque ita interpretatos Patres ſuperius oſtendimus. Audire præſtat S.Petrum Chryſologum in epiſt. ad Eutychetem, quæ extat in actis Concilii Chalcedonenſis: *Hortamur te*, inquit, *Frater honorabilis, ut his, quæ a Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quia Beatus Petrus, qui in propria ſede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus*

tibus veritatem fidei. Contra ſecundam vero expoſitionem id eſt, tum quod Chriſtus pro cæterorum Apoſtolorum quoque perſeverantia, imo electorum omnium Joan. 17. oraverit, unde non erat cur pro Petro ſpeciatim oraret, ſed pro Petro aliquid ſpecialiter impetraſſe oportet, ut ex contextu hiſtorico pateſcit, perſeverantia vero donum commune electis omnibus eſt: tum quod Chriſtus oraſſe dicatur, ne Petri fides deficeret, cujus alioquin charitatem defeciſſe ſcimus; & Petro juſſiſſe, ut ceteros in fide confirmaret. Non itaque pro ſola Petri perſeverantia rogavit, ſed pro inerrantiæ dono Petro concredendo in bonum Eccleſiæ, quo fit, ut idem privilegium Petro impetratum, ad ejus ſucceſſores pertineat, quum Chriſtus id privilegii Petro conceſſum voluerit in Eccleſiæ utilitatem; at Eccleſiam ſemper indigere ſupremo Paſtore, a quo in fide confirmetur, nemo neſcit: Diabolus ſi quidem non expetivit modo, ut cribraret Apoſtolos, ſed fideles etiam univerſos uſque ad Mundi finem cribraturus eſt: & alioquin perſeverantiæ donum ad omnes Petri Succeſſores non pertinet, bene vero in fide indefectibilitas, a qua Eccleſiæ firmitas pendet. Quo circa jure optimo S. Cyrillus apud S. Thomam in Catena, *Secundum hanc*, inquit, *promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, & heretica circumventione manet immaculata*. S. Epiphanius in Anchor. n. 9. *Decebat enim primum Apoſtolorum Petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & cui portæ inferi non prævalebunt ... Portæ autem inferi hæreſes, & Hæreſiarchæ: omnibus enim modis in ipſo firmata eſt fides, qui recepit Clavem regni Cælorum*. Theodoretus Epiſt. ad Renatum Presbyt. Rom. *Tenet*, inquit, *ſancta iſta Sedes gubernacula regendorum cuncti Orbis Eccleſiarum, cum propter alia, tum quia hæretici fœtoris expers permanſit*; & S. Gregorius Magnus lib. 6. Epiſt. 37. ad Eulogium; *Quis neſciat*, inquit, *Sanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam? cui dictum eſt: ſuper hanc Petram Ædificabo Eccleſiam meam; & rurſum, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Recolenda Patrum Teſtimonia jam ſuperius laudata, ac infra laudanda.

S. Petro Primatus vindicatur ſecundo Traditionis teſtimonio, quo vix ad aliud dogma adſtruendum luculentius adinveni-

re eſt. Pleraque SS. Patrum teſtimonia conſulto præterimus, ut quæ jam ſuperius protulimus, unde actum agere nolumus, vel quæ inferius proferemus, ubi Romano Pontifici S. Petri privilegia adſeremus. Ergo ex Patribus Græcis audire præſtat Origenem, qui hom. 2. de diverſis S. Petrum nuncupat *Summum Apoſtolorum verticem*, & in cap. 6. ad Rom. *Summam*, ait, *rerum* de paſcendis ovibus Petro traditam fuiſſe: Euſebium, qui lib.2. hiſtor. eccleſ. cap. 14. Petrum apellat *fortiſſimum*, *& maximum* inter Apoſtolos, & virtutis merito reliquorum omnium *Principem, ac patronum*, & in Chr. an. 44. Chriſtianorum Pontificem *primum*. Non moror autem Caſaubonum turbare iſta enitentem, eum enim caſtigavit epiſt. 4. §. 18. Cl. Bacchinius. S. Cyrillum Hieroſol., qui Cathech. 2, & 11. S. Petrum vocat Apoſtolorum *Principem, & Supremum*. S. Baſilium, qui Serm. de Judicio Dei, *Beatus ille Petrus*, ait, *qui ceteris prælatus diſcipulis fuit, cui Claves regni Cœlorum concreditæ ſunt*. S. Epiphanium, qui Hær. 51. *Petrum*, ſubdit, *elegit, ut Dux eſſet diſcipulorum*, Hær. 59. *Princeps Apoſtolorum Petrus*, ait, *qui quidem ſolidæ petræ inſtar nobis exſiſtit, cui veluti fundamento Domini fides innititur, ſupra quam Eccleſia modis omnibus extructa eſt*: & in Anchorato: *cui creditum eſt Ovile*. S. Cyrillum Alex., qui lib.12. in Joann. *Præ aliis*, inquit, *emicat ille ceterorum Caput, ac Princeps*. S. Chryſoſtomum, qui hom. 55. S. Petrum *Eccleſiæ Caput, ac Paſtorem* vocat; orat.8. adv.Judæos *primum Apoſtolorum* fuiſſe factum ait: hom. 3. in Act. *Chori Apoſtolici Principem*, & hom. 87. in Joann. *Os, Principem, & verticem Apoſtolorum* nominat. S.Gregorium Nazianz., qui orat 26 *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Chriſti diſcipulis ... hic Petra vocatur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat*. Quibus ſuffragantur Euthymius in cap. ult. Joann. Petrum *totius Orbis Magiſtrum* eſſe conſtitutum ajens; Theophylactus ſupra laudatus in cap.22.Luc. *Tu Petre converſus bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus*, ait, *qui quum Apoſtolus fueris, & negaveris, iterum receperis Primatum omnium, & præfecturam Orbis*; & Oecumenius in cap. 1. Act. *Petrus*, ait, *cui Diſcipulorum præſidentia commiſſa erat*.

Ex

Ex Latinis vero audiendi, Tertullianus, qui lib. de præſcript. cap. 22. Petrum, ait, *ædificandæ Eccleſiæ Petram* dictum, *& claves regni Cælorum* conſecutum. S. Cyprianus, qui Epiſt. ad Jubajan. *Nos*, inquit, *Eccleſiæ unius Caput*, *& Radicem tenemus .... Nam Petro primum Dominus*, *ſuper quem ædificavit Eccleſiam*, *& unde unitatis originem inſtituit*, *& oſtendit*, *poteſtatem iſtam dedit*: & lib. de unit. Eccleſ. allegatis verbis illis: Tu es Petrus &c., & paſce Oves meas &c. *Super illum unum*, inquit, *ædificat Eccleſiam ſuam*, *& illi paſcendas mandat Oves ſuas: & quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat* (extraordinariam intellige) *& dicat ſicut miſit me Pater*, *& ego mitto vos* ..., *tamen ut unitatem manifeſtaret*, *unam Cathedram conſtituit*, *& unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit*. *Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli*, *quod fuit Petrus*, *pari conſortio præditi honoris*, *& poteſtatis* (extraordinariæ), *ſed exordium ab unitate proficiſcitur*. *Primatus Petro datur*, *ut una Eccleſia*, *& Cathedra una monſtretur*. S.Optatus Milevit., qui lib.2. adv. Parmen. *Negare non potes*, inquit, *ſcire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam*, *in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus*, *unde & Cephas appellatus eſt*, *in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur*. S.Ambroſius, qui Serm. 11. *Hanc ſolam*, inquit, *navem aſcendit Dominus*, *in qua Petrus Magiſter eſt conſtitutus dicente Domino*: *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; in cap.ult. Luc. *quia ſolus profitetur* (Chriſti Divinitatem) *omnibus antefertur*; in cap. 12. Epiſt. 2. ad Corinth. *Primatum non accepit Andreas*, *ſed Petrus*. S.Hieronymus, qui lib. 1. adv. Jovin. *Inter duodecim*, ait, *unus eligitur*, *ut Capite conſtituto Schiſmatis tolleretur occaſio*. S. Auguſtinus, qui lib.2. de baptiſm. cap. 1. *In quo*, inquit, (Petro) *Primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet*; & Ser.13, nunc 76. de verbis Domini; *idem ergo Petrus a Petra cognominatus*, *Beatus*, *Eccleſiæ figuram portans*, *Apoſtolatus Principatum tenens*. S. Pacianus epiſt. 3. ad Sympronian. *Ad Petrum*, inquit, *locutus eſt Dominus*, *ad unum ideo*, *ut unitatem fundaret ex uno*. Auctor libri de vocatione Gentium ſub nomine S. Proſperi lib.2. cap.28,

Quis

Quis ergo ambigat, inquit, *quis ignoret hanc fortiſſimam Petram, quæ ab illa principali Petra communionem, & virtutis ſumſit, & nominis, hoc deſiderium ſemper habuiſse, ut ei moriendi pro Chriſto conſtantia donaretur*. S. Leo, qui ſerm. 3. de aſſumpt. ſua, *De toto mundo*, inquit, *unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus*. S. Gregorius Magnus Epiſt. 32. ſuperius laudatus. Caſſianus, qui libro 3. de Incarn. cap. 13. de Petro ait: *ſummum illum, & inter Diſcipulos Diſcipulum, & inter Magiſtros Magiſtrum, qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum regens, ſicuti fidei habuit, ita & Sacerdotii principatum*.

Ad hæc S. Leo IX. Epiſt. 1. ad Michael. Imp. loquens de Petro, & Paulo *Cathedram*, & *Primatum* tribuit Petro. Joannes VIII. Epiſt. 8. ad Epiſcopos Mandanaucenſem, & Equilenſem Apoſtolicam Sedem nuncupat unius Petri Sedem; a Petro Petræ nomen ſortitam: *Ubi ſemper Catholicis ſubvenitur*. Bonifacius VIII. Conſtit. *Unam Sanctam*, docet unam Sanctam Eccleſiam credere, & tenere nos debere: unius ergo Eccleſiæ unum Caput fuit Petrus. Innocentius III. in cap. *Solite* de Major., & Obed. in Petro ſibi Oves a Chriſto commiſſas, & Claves Cælorum concreditas aſſerit. Clemens VI. Extravag. *Unigenitus Dei Filius* 11. Petrum, & Paulum nuncupat *Gregis Dominici Paſtores*, *Lucernas fidei*, *Eccleſiarum Columnas*, Paulo tamen clavem *ſcientiæ* dumtaxat tribuit: Petro vero clavem adſerit *Potentiæ*; quæ quidem e S. Maximo Taurin. hom. 3. de S. Petro, & Paulo mutuavit. Pius II. Conſtit. 10. *in Minoribus* tom. 1. Bullar. Rom. *Non duos*, inquit, *inſtituit Dominus, qui in ſuum locum tamquam Capita tenerentur æqualia, ſed unum conſtituit, & Verticem, & Ducem, & Paſtorem univerſi Gregis Simonem Petrum dicens*: Tu es Petrus &c. & paſce Oves meas, *quæ nulli alteri ſeorſim dicta leguntur, niſi Petro, ut in Petro unitas, & ſumma contineretur auctoritas*. Ven. Beda, qui hom. in feſto SS. Petri, & Pauli, *Beatus Petrus*, inquit, *ſpecialiter Claves regni Cælorum, & Principatum Judiciariæ poteſtatis accepit*.

pit. S. Bernardus, qui lib. 2. de Conſid., de Petro ait: *Inſtar Domini gradiens ſupra mare unicum ſe Chriſti Vicarium deſignavit, qui non uni populo, ſed cunctis præeſſe deberet, ſiquidem aqua multæ populi multi*. S. Burchardus Wormatienſis Epiſcopus decret. par. 1. lib. 1. cap. 1, & 2, *In novo Teſtamento*, inquit, *poſt Chriſtum a Petro Sacerdotalis cœpit ordo, qui ipſi primo Pontificatus in Eccleſia ſancta datus eſt, dicente Domino ad eum*: Tu es Petrus &c. *Itaque hoc privilegium Beato Clavigero Petro ſua vice ſolummodo commiſit*. S. Anſelmus in cap. 16. Matth. de poteſtate Petro a Chriſto collata loquens, *Eam ideo uni Petro*, inquit, *conceſſit ſpecialiter, ut ad unitatem nos invitaret*. S. Thomas in 4. diſt. 24. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 1. *Quamvis*, inquit, *omnibus Apoſtolis data ſit communiter poteſtas ligandi, & ſolvendi, tamen ut in hac poteſtate aliquis ordo ſignificaretur, primo ſoli Petro data eſt, ut oſtendatur, quod ab eo in alios debet iſta poteſtas deſcendere*: & 2. 2. q. 33. art. 4. ad 2. *Sciendum tamen eſt*, inquit, *quod ubi immineret periculum fidei, etiam publice eſſent Prælati a ſubditis arguendi: unde & Paulus, qui erat ſubditus Petro, propter imminens periculum ſcandali circa fidem Petrum publice arguit*: & ſicut *Gloſs. Auguſt. dicit ad Galat. 2. ipſe Petrus exemplum majoribus præbuit, ut ſicubi forte rectum tramitem reliquiſſent, non dedignentur etiam a poſterioribus corrigi*. Jure proinde, ac merito Summus Pontifex Innocentius X. in Decreto an. 1647. die 24. Januarii, quo libros D. de Barcos, non appellato ejus nomine, confixit, propoſitionem hancce: *S. Petrus, & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unicum efficiunt, vel ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coryphæi, ac ſummi Duces ſumma inter ſe unitate conjuncti; vel ſunt geminus Eccleſiæ univerſalis Vertex, qui in unum diviniſſime coaluerunt, vel ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores, ac Præſides, qui unicam Caput conſtituunt* (hiſce enim modis in illis libris errorem ſuum affert Barcoſius) hanc, inquam, propoſitionem ita explicatam, ut omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum, ſine ſubordinatione, & ſubjectione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema, & regimine univerſalis Eccleſiæ, præſeferret, hæreticam cenſuit, & declaravit. Auctor tibi ſum, ut adeas Boverium

in

in Cenſura; Beccanum lib. 3. de Repub. Eccleſ., Coeffetellum Epiſcop. Maſſil. lib. 1., qui adverſus Marcum Antonium de Dominis calamum ſuum egregie exacuerunt, uni Petro collatum Primatum inviĉtiſſime demonſtrantes. Auguſtinum de Bellis oper. de abſoluta S. Petri Monarchia; Dianam tract. 1. de Primatu ſolius Petri; Matthæucium Controv. 5. cap. 2; Iſaacum Habert. lib. 2. de Cathedra ſingulari Petri; Natalem hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. I. Diſſer. 4; Tournellium de Eccleſ. q. 5. art. 1. uni Petro, ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus adverſus præf. Gallum Auctorem præſertim duorum librorum, quibus S. Petro coæqualem S. Paulum oſtendere enixus fuerat, Primatum Eccleſiæ vindicantes. Nam mitto ceteros alio in loco laudatos, ne longior ſim.

Quia vero intelligo nonnullos eſſe animo ita comparatos, ut niſi quæ majoribus omnibus noſtris de Primatu Petri ſententia inſederit, perſpectam habeant, adquieſcere, aut neſciant, aut omnino nolint, ut his propterea moroſioribus faciam ſatis, quin tamen, ingenio mitioribus, quibus plane relata hactenus ſatis ſuperque ſunt, moleſtiam creem, brevem elenchum exhibeo cum eorum ex Græcis, tum eorum ex Latinis, ſaltem qui ex his, & ex illis præſtantiores audiunt; alioquin enim omnes perſequi velle res eſſet tædii, & laboris plena, quibus eadem de S. Petri Primatu ſententia probata eſt. Sunt autem primo ex Græcis S. Irenæus lib. 3. adver. Hæreſ. cap. 3, S. Petri Eccleſiam *Principalem*, ſive *Potiorem, ſive Potentiorem* appellans: S. Dionyſius Corinth. apud Euſebium lib. 2. cap. 25, & lib. 4, cap. 33: S. Petrus Alexandr. de pœnit. can. 9. apud Beveregium tom. 2. Synodici S. Petrum Apoſtolorum *Primum, ſive Prælatum, ſive Præpoſitum* nuncupans: S. Athanaſius in Pſal. 15. S. Petrum *Coryphæi* nomine inſcribens: S. Gregorius Nanzianz. iterum orat. 7. eumdem *Eccleſiæ Columen*, & S. Cyrillus Hieroſolym. Cathe. 11, & 17, rurſum *Summum*, & Apoſtolorum *Principem* prædicantes: S. Chryſoſtomus etiam atque etiam S. Petrum aut *Apoſtolorum Principem, aut Eccleſiæ Primum*, ut hom. 3. de pœnit., aut *Eccleſiæ Columnam, & fidei fundamentum*, homil. de debit. decem mill. Talent., aut ab Apoſtolis *Petro primas* ſemper delatas, ut homil. 50, & 65. in Matth. affirmans

mans: S. Iſidorus Peluſiotes lib. 1. epiſt. 142, & lib. 2. epiſt. 58. S. Petrum non alia, quam Apoſtolorum *Coryphæi*, *ac Præſulis* appellatione celebraus: S. Cyrillus Alexandr. etſi jam alias laudatus lib. 2. in Joan. cap. 1. in Petro tamquam *in firmiſſima petra ædificatam Eccleſiam* perhibens: Patres Synodi ſive Epheſinæ act. 3. S. Petrum *fidei columnam*, *& Eccleſiæ fundamentum*, ſive Chalcedonenſis act. 3. S. Petrum *fidei fundamentum*, *Eccleſiæque Crepidinem* nuncupantes: Baſilius Seleucienſis orat. 16. Apoſtolorum *Coryphæum*, *& Chriſti diſcipulorum Primatem* dicens: Evagrius lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 4. edit. Taurin. *Baſim Catholicæ Eccleſiæ*, *& fidei Orthodoxæ firmamentum*; & Stephanus Lariſſenſis Epiſcop. epiſt. ad Bonifacium II apud Harduin. tom. 2. Concil., pag: 1111, *Patrem*, *totiuſque Mundi Doctorem* appellantes: Auctor epiſtolæ 1. ad Jacobum fratrem Domini, S. Clementi tributæ, qui ſane ante Ruffini, a quo commemoratur, tempora egit: *Simon*, ajens, *propter veram fidem*, *& maxime infallibilem doctrinæ ſuæ baſim definitus eſt fundamentum Eccleſiæ . . . & ab ipſo Jeſu . . tranſnominatus eſt Petrus*: Orientales Epiſcopi epiſt. ad S. Agapetum apud Harduinum eodem tom. pag. 1218, S. Petrum *firmam petram*, & Patres Synodi VIII. epiſt. ad S. Agathonem act. 18. *Summum Apoſtolorum verticem*, *& firmam fidei petram* vocantes: S. Theodorus Studites lib. 2. epiſt. 76. S. Petrum *totius Univerſi Paſtorem*, & S. Joannes Damaſcenus opuſc. adver. Neſtorian. *Supremum* Apoſtolorum *verticem* prædicantes, adeo ut Nilus Theſſalonic. alioquin Pontificii Primatus infenſiſſimus hoſtis lib. de Primatu Papæ, S. Petrum Apoſtolorum *Principem*, *& Coryphæum* fateri compulſus fuerit. Quibus adnectere præterea eſt aliarum quoque Orientalium gentium unanimem, univerſalemque conſenſionem, ut adnotat Cl. Mamachius, & quidem de Græcis ex eorum Euchologiis, Menæis, & Menologiis apud Goarium, & Arcudium ad diem 29. Junii, ex Archeriatico, ſive Pontificali apud Iſaacum Habertum, ex Doxatico, & Exapoſtilario apud Allatium diſſert. de lib. Græcor.: de Syris ex eorum Ritualibus, & Synaxariis apud Morinum part. 2. de Sacr. Ordin., de Neſtorianis, & Jacobitis ex eorum Martyrologiis, libriſque Liturgicis apud Maſium, & Ecchellenſem de

 Ori-

Originib. Eccleſ. Alexandr., de Coptis, Chaldæis, Arabibus, Armenis apud eumdem Echellenſem, & Naironum: Verbo: de Orientalibus omnibus ex eorumdem Liturgiis apud Maſium, Renaudotium, Aſsemanum, Brunum, alioſque; ut pudere proinde ſummopere debeat Schiſmaticos illos a tam certa, conſtantique Orientalis Eccleſiæ conſenſione adeo temere deſciviſse.

Ex Latinis ſecundo, & quidem ex Pontificibus ummis præter illos, quorum paulo ſuperius cum honore meminimus, S. Julius I. epiſt. ad Orientales apud Coutantium tom. 1. B. Petro in ceteros Paſtores Eccleſiarum poteſtatem, quæ in ejus ſucceſso res Pontifices permanaverit, collatam fuiſse ſcribit. S. Siricius epiſt. ad Himer. Tarracon. a S. Petro *Apoſtolatus, & Epiſcopatus cæpiſſe exordium* affirmat. S. Innocentius I. epiſt. 30. ad Epiſcopos Concili Milevit. S. Petrum pariter *Apoſtolatus, & Epiſcoatus Auctorem* agit. S. Zozimus epiſt. 12. ad Aurelium, S. Petrum *Eccleſiis omnibus præfectum* ait. S. Bonifacius I. epiſt. 5. ad Ruffum Teſſalon. S. Petrum *Paſtorem perpetuum Dominicarum Ovium* eſse, in quo poſitum eſt *univerſalis Eccleſiæ fundamentum*, epiſt. 14. in S. Petro conſiſtere *univerſalis Eccleſiæ regimen, & ſummam*, & epiſt. 15. ſimilia ſcribit. S. Cæleſtinus I. epiſt. 13. ad Epiſcop, Illyric. S. Petrum *Apoſtolorum primum* affirmat, *cui cura circa omnes* commiſsa eſt. S. Felix III. in Synodo Roman. epiſt. Synod., quæ apud Harduinum tom. 2. pag. 823. eſt 4. ad Petrum Cnaphæum, *Incæpi, inquit, ſententiare contra te, immo Summus Vertex Paſtoralium Sedium in ſanctis laudibus florens optimus vere Apoſtolorum Petrus ... & firma ſit hæc depoſitio a me, & ab his, qui una mecum Apoſtolicum Thronum regunt*. Joannes XVIII. epiſt. ad univerſ. Galliar. Epiſcopos apud Harduin. tom. 6. part. 1. *Petrum noſtrum*, ait, *cui claves Cælorum commiſsæ ſunt .... Principem Apoſtolorum credimus, quia Apoſtolos conſtituit, ſicut eſt Marcus ... Mathias ... Lucas ... Paulus, & Barnabas*. Mitto ceteros ne ſim longior.

Ex Patribus vero, Eccleſiaſticiſque ſcriptoribus Auctor antiquiſſimus Fragm. Conſtit. Apoſtolic. de Ordinationibus ſub nomine S. Hippolyti Portuenſis apud Erneſtum Grabium, Jo. Alber. Fabricium, & tom. 1. Apoſtolic. Patrum, S. Petrum

Apo-

Apoſtolorum primum appellat. S. Hilarius Pictavienſis in cap. 15. Matthæi, Petrum *Eccleſiæ Petram*, *& fundamentum* ſtatuit, ſimiliaque in pſal. 131, & lib. 6. de Trinit. repetit. Patres Synodi Sardicenſis act. 3. S. Petri præ ceteris *honorandam memoriam* eſse decernunt, & epiſt. ad S. Julium, *Caput Eccleſiæ Petri Sedem* eſse agnoſcunt. S. Ambroſius etſi jam laudatus aliis in locis, in pſal. 40. *ubi Petrus* ait, *ibi Eccleſia*, in pſal. 43. *Petrus* inquit, *Eccleſiæ præponitur*, & lib. de Virginit. cap. 16. *Eccleſiæ firmamentum*, & *Magiſtrum diſciplinæ* illum nuncupat. S. Hieronymus iterum epiſt 57. ad Damaſum *ſuper Petrum ædificatam Eccleſiam* aſſerit. S. Auguſtinus præterea etſi jam ſæpe commemoratus, S. Petrum omnium Apoſtolorum *primum* ſerm. 24, & 106, S. Petri *Apoſtolatus Principatum cuilibet Epiſcopatui eſſe præferendum propter Primatum, quem in diſcipulis habuit, & quia Petro uni datæ ſunt Claves*, enarrat: in Pſal. 108, & ſerm. 108., nunc 294. perhibet; & lib. 2. de Baptiſm: contra Donatiſt. cap. 1. ex S. Cypriano hoc teſtimonium profert, *de quo* (S. Petro) *idem Cyprianus in epiſt. ad Quintum, ita loquitur: nam nec Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam.. arroganter aſſumſit, ut diceret ſe Primatum tenere*. S. Petrus Chryſologus ſerm. 154, *Petrus*, inquit, *a petra nomen adeptus eſt, quia primus meruit Eccleſiam fidei firmitate fundare*. Epiſcopi Synodi Romanæ ſub S. Symmacho an. 501, 502, & 503. *S. Petri Sedem Primatum obtinere, ac in ſolida Petri confeſſione ſtabilitam eſſe* enuntiant. S. Maximus Taurin. homil. 3. de SS. Petro, & Paulo, *S. Petro totius Eccleſiæ gubernacula tradita* prædicat. Vigilius Tapſenſis lib. 5. adverſ. Eutychetem *primam Sedem eſſe Romanam* a S. Petro conſtitutam probat. S. Avitus Viennen. Epiſcopus epiſt. ad Senatores *Petri Sedem cum Mundi apice* confert. S. Cæſarius Arelat. epiſt. ad S. Symmachum a perſona S. Petri *Epiſcopatus ſumſiſſe exordium* ſcribit. Poſſeſſor Africanus Antiſtes epiſt. ad S. Hormiſdam, *A quo magis*, inquit, *eſt nutantis fidei ſtabilitas expectanda, quam ab ejus Sedis Præſide, cujus primus a Chriſto Rector audivit: tu es Petrus* &c. Ennodius Ticinenſis in libello Apolog. *B. Petri Sedem Caput Eccleſiæ totius* eſſe teſtatur. Ægidius Abbas, & Meſianus Notarius in libello

ſupplici ad Symmachum, *præ omnibus Eccleſiarum Pontificibus ... Apoſtolicam Sedem ſibi vindicare principatum* profitentur. Facundus Hermian. Epiſc. lib.10. S.Petri *Primatum* agnoſcit, & Sedulius lib. 4. oper. Paſchal. tom. 6. Bibliot. P. P. edit. Lugd. S. Petrum *Paſtorem univerſi Orbis* prædicat.

Ad hæc S. Petri Primatus adſtruitur a doctiſs. Mamachio vetuſtiſſimis aliis Latinæ Eccleſiæ monumentis, Sacramentariis, librisque Liturgicis, in quibus paſſim apertiſſima de S. Petri in Eccleſia Primatu occurrunt teſtimonia, ut in Codice Liturgico (quem Leonianum vocant, qui a S. Leone Magno, vocandumque Gelaſianum volunt alii, qui potius a S. Gelaſio I. adornatum contendunt, qui facile alioquin conciliari poſsunt, ſiquidem veriſimilimum ſit Sacramentarium S. Leonis a S. Gelaſio, ſicuti Gelaſianum poſtea a S. Gregorio fuiſse qua adauctum, & qua diminutum) ſæculo V. proculdubio conſcripto, apud doctiſs. Blanchinium tom.4.Anaſt. opuſc.2.,& Aloyſium Aſſemanum virum eruditione omnigena clariſſimum part. 3. lib. 4. Codic. Liturgic. Eccleſ.univerſ. pag. 46, ubi hæc habentur; *Qui ut hanc Sedem* (Deus O. M.) Romanam *regimen Eccleſiæ totius efficeres, & quod hæc prædicaſset oſtenderes ubique ſervandum, ſimul in ea & Apoſtolicæ Principem dignitatis, & Magiſtrum gentium collocaſti*: Ut in Diurno Romano apud Garnerium, in Sacramentario Gelaſiano apud Ven. Cardin. Thomaſium, & Muratorium,in Ordine Romano tom. 13. Bibl. Patr. edit. Lugdun.,in Ordine Romano altero apud Mabillonium tom.2. Musèi Italici;in Sacramentario Gregoriano apud Menardum, & Muratorium tom. 2. Liturg. Rom. veter.,in Ritualibus apud Martenium de antiqu. Eccleſ. ritib.,in Miſsali Gottico = gallicano apud Thomaſium;in Sacramentario Gallicano apud Mabillonium tom.1. Muſèi Italic.;in Miſsali Mozarabico apud Bollandianos tomo 6. Julii, & Blanchinium tom.1 oper. Ven. Cardin. Thomaſii, in aliiſque paſſim apud rerum Liturgicarum tractatores. Quamobrem demirari eſt ſummam Proteſtantium,ac præſertim Salmaſii,Caſauboni,Spanhemii, Gerardi, Deilingii, Forbeſiique impudentiam, cujus multum Spalatenſi, Queſnello, & Barchoſio, nonnihilque Launojo epiſt. 8. ad Rajmund. Forment., & Dupinio de antiq. Eccleſ. di-

diſcip. diſser. 4. cap. 1. adhæſit, qui noſtros, vel imperitia in SS. Scripturis interpretandis, vel ignorantia in aſsequendo germano SS. Patrum ſenſu, vel novitate tandem in adſtruendo ex S. Scriptura, & SS. Patribus S. Petri in Eccleſia Primatu ſuggillant, quum ex dictis luce meridiana liqueat nihil ad Dei Verbum ſive ſcriptum, ſive traditum magis accedere, quam de Primatu S. Petri noſtrorum ſententiam. Age vero præcipua, quæ ex SS. Patribus afferre Proteſtantes ſciant, ſiquidem quæ ex S. Scriptura reponi ſolent, abunde ſuperius refutata ſunt, diſpiciamus, ceteris dimiſſis, quæ vel ſuapte concidunt, vel ex reſponſionibus facile refelluntur.

Huic SS. Patrum traditioni opponunt Primatus Pontificii Oſores quædam SS. Patrum teſtimonia, quibus ipſis viſum eſt poſſe evinci S. Petro Eccleſiæ Primatum non fuiſſe concreditum. 1. Clementis Alexandrini, qui lib. 6. hipothyp. apud Euſebium lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 1. *Petrus*, ait, *Jacobus, & Joannes poſt Aſcenſionem Salvatoris quamvis ab ipſo fuerint omnibus pene Prælati, tamen non ſibi vindicabant Primatus gloriam, ſed Jacobum, qui dicebatur juſtus, Apoſtolorum Epiſcopum ſtatuunt*. Hæc Clemens. Et ſane Jacobus Chriſto D. in Epiſcopatu Hieroſolymitano ſucceſſit. Heſichii accedit teſtimonium Hieroſolymitani Presbyteri, qui orat. in Jacobum Fratrem Domini apud Photium Codic. 275. *Quomodo, inquit, prædicabo Servum Chriſti, & Fratrem, novæ Jeruſalem ſummum Ducem, ſacerdotum Principem, Apoſtolorum Caput, in capitibus verticem, in lampadibus ſuperſplendentem, & inter aſtra maxime illuſtrem? Petrus prædicat, Jacobus decernit, & paucæ voces magnitudinem quæſtionis comprehenderunt: Ego judico non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum.* Hæc ille. Et ſane miſſus ab aliis Petrus in Samariam refertur Act. 8; at miſſus Jacobus non legitur: potius ergo Primatus Jacobo eſt adjudicandus. Secundo S. Cypriani, cujus non eſse verba illa ex lib. de Unitate Eccleſiæ laudata, ſcilicet: *Primatus Petro datur, ut una Eccleſia, & Cathedra una monſtretur*, ex eo ſuadent, quod in antiquis Codicibus Mſs. S. Cypriani deſiderantur; atque aliena manu in textum irrepſiſſe cenſet Rigaltius. Sed & idem S. Doctor lib. eodem, *Hoc erant*, inquit, *uti-*

utique ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur... Epiſcopatus unus eſt, cujus pars a ſingulis in ſolidum tenetur. Tertio S. Ambroſii, qui lib. 2. de Spir. S. *Nec Paulus*, inquit, *inferior Petro .... cum primo quoque facile conferendus, & nulli ſecundus, nam qui ſe imparem neſcit facit æqualem*; lib de Incarn. cap. 4. *Hic* (Petrus) *ubi audivit*, inquit, *vos autem quid me dicitis? ſtatim loci non immemor ſui Primatum egit, primatum confeſſionis utique, non honoris, primatum fidei, non ordinis*: & ſerm. 12. de SS. Petro, & Paulo, *inter illos*, ait, *quis cui præponatur incertum eſt: puto enim illos æquales eſſe meritis, qui æquales ſunt paſſione.*

Reſp. ad primum, primo equidem Clementis Alexandrini laudibus detractum aliquid nolim, compertum eſt tamen, quod etſi adnixi viribus omnibus eruditi multi ſint, ſive ut eumdem ab erroribus expurgarent, vel ſaltem excuſarent, uti Nourius Ceillier, Calmetius, Dupinius, Annatus, Bollandiani, & alii, ſive ut ejuſdem nomen Martyrologio inſcriberetur, de ejus Sanctitate teſtimonia adferentes Euſebii, S. Hieronymi, Theodoreti, Auctoris Chronici Paſchalis, S. Maximi Monachi, S. Joannis Damaſceni apud Combefiſium, Ruinartium, Honoratum a S. Maria, Laubruſcellum, & Natalem videnda: producentes præterea Uſuardi, Veſpucii, Maurolici, Galeſini, Ferrarii, aliorumque Martyrologia, quia tamen vix, ac ne vix quidem ille erroris omnis prorſus expers pronuntiari poteſt, in quam rem legendi Photius Cod. 109, Caſſiodorus de divin. inſtitut. cap. 5, Petavius Theolog. Dogmat. lib. 1. cap. 4, Bellarminus de Script. Eccleſ., & Miræus in Bibl. cap. 38., nec diffitetur Halloix ejuſdem vindex, ut propterea a S. Gelaſio apocryphis Clementis opera fuerint adcenſita: & quia veſtigium nullum ſupereſt, quo liquido conſtet de ejus Sanctitate, aut cultu ei olim ceu ſancto ab Eccleſia delato, de quo legendi Combefiſius in Bibl. concionat., Dominicus Georgii in notis ad Martyrologium Adonis 19. Decembris; Michael a S. Joſeph tom 2. Bibliographiæ Criticæ, & Solerius in notis ad Uſuardum die 4. Decembris: proinde doctiſſimus, ac prudentiſſimus Pontifex Benedictus XIV., ex cujus ſacra eruditione plenis litteris Apoſtolicis ad Joannem V. Portugalliæ Re-

Regem novæ editioni Martyrologii præfixis, iſta delibavimus, a Clementis Alexandrini nomine ea in editione abſtinuit. Non tanti igitur facienda ejus auctoritas eſt, ut exinde grave negotium nobis faceſſitum eat. Nihilominus R. ſecundo locum Clementis apud Euſebium mendoſum eſſe. Nam etſi habeatur in Codice Baſileenſi verſionis Ruffini, tamen in Codice Colonienſi optimæ notæ non habetur vox *Primatus*, nec legitur *Apoſtolorum*, ſed *Hieroſolymorum* *Epiſcopum*; ſicuti neque in quibuſdam optimæ notæ Codicibus Euſebianis, quos Valeſius vidit, & contulit. Cum hiſce Codicibus cohærent Codices Græci, tum Vaticanus, tum Pariſienſis: cohærent quoque Nicephorus lib. 2. cap. 3, qui refert Euſebii locum, *Petrus*, inquiens, *& Jacobus*, *& Joannes*, *quos Dominus præcipuo dignatus fuerat honore*, *poſt Aſcenſionem ejus gloriam non affectarunt*, *ſed Jacobum juſtum Epiſcopum Hieroſolymorum elegerunt*: Euſebius ipſe, qui lib. 2. cap. 14. S. Petrum vocat Apoſtolorum *Maximum*, *& Principem*; & S. Bernardus, qui lib. 2. de conſid. *Jacobus*, inquit, *una Hieroſolyma contentus univerſitatem Petro cedit*. Porro Chriſtus non Hieroſolymitanæ, ſed univerſalis Eccleſiæ Caput fuit, eique, non Jacobus, ſed Petrus ſucceſſit: neque Mater Eccleſiarum facta fuit Hieroſolymitana, ſed Romana Eccleſia, ſeu illa antiquitate Mater fuit, iſta vero auctoritate. Heſychium vero eo loci hyperbolicè oratoris more locutum, non vero ut Scripturæ ſacræ interpretem, aut dogmatis expoſitorem decet, exinde conſtat, tum quod orat. de S. Andrea apud Photium Codic. 269. ſimilia de S. Andrea dicat, atque de Jacobo dixerat: *Sacra illa*, inquiens, *tuba Andreas*, *primus Apoſtolorum fœtus*, *prima Eccleſiæ Columna*, *ante Petrum petra*, *Fundamenti fundamentum*, *initii Primitiæ &c.* tum quod optime norat Patriarcham Hieroſolymorum Primatum ſuper alios non modo nunquam habuiſſe, ſed imo quintum in Patriarcharum numero, nullo tamen adjecto jure, ex indulto Nicæni Concilii locum obtinuiſſe.

Reſp. ad ſecundum peſſime, ac perperam Rigaltium colligere ex citato textu S. Cypriani, ut cui præfata verba deſint, non poſſe S. Petri Primatum inferri, tum quia citata verba mille ab hinc annis, & amplius ex S. Cypriano laudata

ta fuerunt a Pelagio II, qui obiit an. 590. in epiſt.2. ad Eliam, & Epiſcopos Iſtriæ, quæ ordine 4. inter ejus epiſtolas proſtat tom.3. Concil.,Hard.pag.417,eaque Pamelius Aldo cuidam Grammatico nixus textui inſeruit;tum quia in illo textu aſſerit S. Cyprian. ſuper unum Petrum ædificatam Eccleſiam, & uni Petro paſcendas oves concreditas; unam fuiſſe a Chriſto inſtitutam Cathedram, ut unitas manifeſtaretur, & exordium denique ab unitate proficiſci: quæ ſane conſiſtere nequeunt, niſi Petro Primatus adjudicetur: ergo dum S. Doctor pares Apoſtolos poteſtate facit, & honore, loquitur de poteſtate extraordinaria, quam habebant cum dependentia a Petro, & quæ ipſorum morte periit, non de poteſtate ordinaria, quam habuit Petrus, quæque ad ſucceſſores Romanos Pontifices pertranſit: ita exponit Bellarminus: qua de poteſtatis ordinariæ, & extraordinariæ diſtinctione confer dicenda ad hujuſce articuli calcem in obſervat: vel loquitur, ut exponit Perronius cap. 16. reſponſ. ad Regem Angliæ, & poſt ipſum Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. I diſſert. 4, de poteſtate intrinſeca, & eſſentiali, in eo poſita, quod poſsent omnes ubique Chriſtum annuntiare, Eccleſias inſtituere, Sacramenta adminiſtrare &c., non vero de poteſtate extrinſeca, & accidentaria in eo poſita, quod ad ſervandam unitatem neceſſarius ſit ordo, diſpoſitio, & dependentia, cujuſque unitatis centrum, fons, & radix fuerit S. Petrus, a quo Eccleſia univerſa ordinem, diſpoſitionem, & dependentiam haberet, ut una eſset. Duo ſcilicet neceſsaria erant Apoſtolis, ut rite munere ſuo Apoſtolico fungerentur: primo,ut illud cum poteſtate a Chriſto conceſsa exercerent, ſecundo, ut nonniſi ſervata Eccleſiæ unitate illud exerceretur: defectu auctoritatis, qui Apoſtolatus munus obiret, non jam Apoſtolus, ſed Pſeudo-Apoſtolus audiret: defectu unitatis, jam non catholicus, ſed Schiſmaticus eſset: ergo, ut nihil Apoſtolico muneri in Apoſtolis deeſset, neceſsaria erat poteſtas a Chriſto collata Evangelii annuntiandi, & neceſsaria erat poteſtas in Petro ad unitatem ſervandam: ac proinde, ut a poteſtate Petri dependerent Apoſtoli, oportebat, non ſecus ac a Romano Pontifice Epiſcopi pendeant,neceſse eſt.Id docuit S.Cyprianus,& dum docuit Epiſcopatum eſſe unum, *cujus pars a ſingulis inſolidum tenetur*, docuit unum

unum eſſe ratione ordinis, & caracteris. Idem enim,& indiviſibilis eſt in Epiſcopis, & Summo Pontifice: non vero unum eſſe ratione auctoritatis, & juriſdictionis: nam alius eſt in Epiſcopis, alius in ſupremo Capite. Vel docuit unum eſſe unitate originis, & corporis, quatenus Epiſcopatus omnes particulares ab Epiſcopatu Romano, veluti ab origine exorti cum eodem unum Paſtorum corpus conflant, cujus Romanus Pontifex, ſicuti S. Petrus,eſt Caput, cujus proinde partem ſinguli tenent in ſolidum utique, nam idem ordo, & caracter in omnibus: non autem unum eſſe unitate auctoritatis, & juriſdictionis, quaſi omnes Petro, & Pontifici Romano æquales ſint, nec proinde ſinguli partem Epiſcopatus æquo jure tenent. Non abſimili namque ratione arbori Eccleſiam, radici Pontificem comparat S. Gelaſius I.epiſt.8.ad Anaſtaſium Imp., & S. Jnnocentius I. epiſt. ad Patres Concilii Milevitani Pontificem fonti, Eccleſiam rivulo: at non radicem arbor, ſed arborem radix portat, atque ex fonte rivus manat. Ea erat namque S. Doctoris mens Epiſcopatum eſſe unum, ſicut una eſt Eccleſia: Eccleſia vero una eſt unitate fundamenti, & Capitis: igitur Epiſcopatus eſt unus unitate originis, & Summi Pontificis, a quo pendet. Id exemplo illuſtratur. Sicuti quum 72 Senioribus Spiritus, ac poteſtatis Moſis portio quædam participata eſt, non quod dividuus eſſet Spiritus Domini, ſed ut exploratum Hebræis eſſet ſartam tectam Moſi ſuam conſtare dignitatem, & 72 Seniores ab eo ſuæ poteſtatis originem ſumere,quibus proinde nefas foret, ac Schiſmatis nota vel ſe a Moſis ſubjectione ſubducere, vel ſe Moſi in auctoritate coæquare: ad hunc fere modum Chriſtus D. S. Petro ſupremam poteſtatem concredidit, ex qua in alios quoque Apoſtolos, (non ſecus ac Romanis Pontificibus, ex quibus in alios deinde Epiſcopos) pars quædam defflueret, ea tamen lege, ut ad ſervandam unitatem omnes Apoſtoli a Petro (non ſecus ac a Romano Pontifice Epiſcopi) penderent juriſdictione,& poteſtate, nec ullo modo ſe illi coæquare præſumerent: quocirca S.Cyprian. epiſt.ad plebem *Deus unus eſt*, ajebat, *& Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata*, & epiſt. ad Jubajan.73. *Quo*, inquiebat, *venturus eſt, quiſitit? Utrum ne ad hæreticos, ubi fons, & fluvius aquæ vitalis omni-*

no non eſt? An ad Eccleſiam, quæ una eſt, & ſuper unum, qui Claves ejus accepit voce Domini fundata? Quod ſi miſſus Samariam ab Apoſtolis legitur Petrus, non id mandato, & auctoritate, ſed ſuaſione, prece, & conſilio factum eſt, ut fideles in fide confirmaret. Neque enim Miſſionis nomen indicium eſt ſemper ſubjectionis; ſiquidem aliquando a ſubditis mitti integro honore, jureque ſuperior poſſit, cujuſmodi trinum Baronius ad annum 35 num.11 ſuppeditat exemplum: Phinces Principis Joſu: 22 ab Iſraelitis miſſi ad inveſtigandum de altari trans Jordanem erecto: Pauli, & Barnabæ Act.15 miſſorum ab Antiochenis Hieroſolymam ad conſulendum Apoſtolos: Iſmaelis ſummi Pontificis, teſte Joſepho, a Judæis miſſi Romam ad Neronem adverſus Agrippam Regem, necnon adverſus Feſtum Præſidem. Reſp. ad tertium S. Ambroſ. primo, & tertio loco ex objectis Petro Paulum coæquare, non in poteſtate, & primatu; nam alienum ab hac ſententia S. Ambroſium ſupra oſtendimus; ſed in meritis, laboribus, & paſſione, ut ex textu objecto ſatis conſtat. Secundo vero loco reſpexiſſe S. Doctorem dumtaxat ad confeſſionem, & fidem Petri, quia ſcilicet nondum primatum honoris, & ordinis acceperat, quem nonniſi poſt confeſſionem accepit, ad quam confeſſionem, & Chriſti promiſſionem reſpiciens ſubinde S.Doctor ſubdit: *Hic eſt ergo Petrus, qui reſpondit præ ceteris Apoſtolis, imo pro ceteris, & ideo fundamentum dicitur.*

Mitto cetera levioris momenti, ne in re explicatu facili, atque ceteroquin ab aliis optime exornata, numeriſque omnibus abſoluta longior præter modum ſim. Confer interea, ſi per otium liceat, præter illos, quorum pag.49, 53, 55, & 57 cum laude meminimus, a quibus de Primatu Petri præclare actum eſt, Alexandrum a S. Elpidio tract. de Eccleſ. poteſt.; Alvarum Pelagium de planctu Eccleſ. cap. 57; Barlaamum Jeracenſem Epiſcopum epiſt. ad amicos Græcos apud Caniſium tom. 4. antiq. lect.; Georgium Trapezuntium apud Allatium Græc. orthod. tom.1; Abrahamum Bzovium lib. de Pontif. Rom.; Gregorium Nunnium Coronellum de vera Chriſti Eccleſia lib. 6; Jacobum Latomum Controver.3. capit.q.1; Jodocum Coccium in Theſau. lib.7; Antonium Auguſtinum in dialog.; Fauſtum Naironum in Evoplia

fidei

fidei part. 3. cap. 3; Leonem Allatium de conſenſ. Eccleſ. Occid., & Orient. lib. 1. cap. 4; Petrum de Marca diſſert. de ſingul. Primatu Petri; Auguſtinum de Bellis de abſol. S. Petri Monarch.; Iſaacum Habertum de Cathed., ſeu Primatu S. Petri; Natalem Alexandrum hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. I diſp. 4; Lequiennium Panopl. adverſ. Græcos; Orſium de irrefor. Roman. Pont. jud:; Blancum de Polit., & Poteſt. Eccleſ. tom.3. cap.3, §. 12. Pro coronide, ut deſponderam, obſerves velim poteſtatem; qua in Eccleſiam univerſam potiebantur, ordinariam in Petro, in aliis Apoſtolis extraordinariam fuiſſe, adeoque in ipſo S. Paulo, docent S. Thomas Lect. 1 in epiſt. ad Rom.; Suarez de Legib. lib. 4, cap.3; Acugna in decret. Gratiani p. 1. diſt: 21. can. 2; Bannez in 2. 2. D. Thomæ qu. 1 art. 10; Granadus in 22 controv:1 tract.2 diſp.1. ſect.2; Bellarminus lib.1 de Rom.Pontif. cap. 11; Petavius lib.1. de Hierarch. Eccl. cap.5; Amicus tom. 4 Diſp.6. ſect. 2; Perez in Pentateucho fidei cap.21; Valentia tom.3 diſp.1 punct.7; Driedo lib.4 de variis dogmatibus cap. 3 par: 3; Alvarus Pelagius de planctu Eccl. lib.1 cap.6.; Canus Theolog: loc. lib.8 cap.ult.; Sotus in 4 diſp. 20 qu.1 art. 2, & 3; Beccanus contr. tom.2 lib.1. demonſtr.3 art.9; Emanuel Schelſtratius Antiq. illuſtr. diſsert.2 cap.1; Alexander de Turre de Eccl. hierarch. lib. 4; Diana loc. cit., & alii docentes nempe in Apoſtolatus officio Petro æquales omnes Apoſtolos, in Primatus dignitate omnibus præſtantiorem fuiſſe Petrum, quibus plane nihil tale opponi poteſt, quod non facile exſuffletur, quove minus rata, firmaque exiſtat illorum opinio.

De Privilegiis Romano Pontifici in Perſona Sancti Petri a Chriſto Domino collatis: nimirum Primatu in Eccleſia, Indefectibilitate in fide, & ſuprema Poteſtate in Concilia Oecumenica.

PROPOSITIO.

R*Omano Pontifici in Perſona S. Petri Chriſtus Dominus vices ſuas demandans, & commendans, Primatum in Eccleſiam univerſam contulit honoris, auctoritatis, & juriſdictionis, cujus*

conſectaria ea eſsent : I., ut Eccleſiæ univerſæ dicens, ſeu ex Cathedra, ut ajunt, de rebus ad fidem, aut ad mores pertinentibus pronuntians, ſit falli, & fallere omnino neſcius : II., ut Eccleſiæ etiam in Concilio univerſali collectæ ita præſit, & praemineat, ut eidem Eccleſiæ, ſeu Concilio univerſali ſit omnino ſuperior, atque ſuper illud ſuprema potiatur poteſtate.

Propoſitio, ut proſtat ſecundum omnes ſuas partes, uno eodem, continuatoque argumentorum tenore ſecundum ſeriem Articulorum, quos cum par. 1, tum par. 2. ordine duodenario ſervato Elenchus exhibet, probanda aſſumitur. At principio operæ eſt pretium animadvertere poteſtatis, ac regiminis duo imprimis eſſe diſtinguenda genera, quorum aliud *Monarchiam*, in qua quidem uni alicui, & ſoli præcipua, atque ſuprema Regiminis cura conceſſa eſt, eaque jure divino, aut humano : alterum vero *Polyarchiam* nuncupant, in qua plures principantur. Quæ quidem rurſus in duo genera bipartitur, *Ariſtocratiam*, in qua pars Civium minor, ſed genere, cenſu, opibus, prudentia, & virtute præſtantior adminiſtrandæ Reipublicæ poteſtate potitur; & *Democratiam*, in qua omnes, quoquot ſunt cives, promiſcui generis, inopes, aut locupletes, ignobiles, aut illuſtres, pari jure participes ſunt poteſtatis, atque viritim adminiſtrandæ Reipublicæ Clavo manum admovent. S. Thomas 1. 2. q. 95. art. 4, & q. 105. art. 1. tertiam adjicit ſpeciem, *Oligarchiam* ſcilicet, ideſt principatum omnium optimatum. Ex his autem, quæ coaleſcunt, atque mixta vocantur, cetera regiminis genera miſſa facimus; de quibus adiri poterunt S. Iſidorus lib. Etymolog. cap. 10, S. Thomas loc. cit.; Bellarminus lib. 1. de Eccleſ. Hier. cap. 1; Petavius lib. 3. de Eccleſ. Hierarch. cap. 15, aliique innumeri. Secundo inter haſce regiminis ſpecies Monarchiam Ariſtocratia, Democratia, & Oligarchia præſtantiorem eſſe pluribus qua Philoſophi, & qua Theologi oſtendunt, primo ex Sacra Scriptura, qua conſtat a Deo O.M. Monarchiam præſcriptam hominibus in Lege naturæ; Nam ita Adamo ad an. 930, quot vixit, in poſteros monarchicam poteſtatem collatam ſignificat S. Chryſoſtomus homil. 34. in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 13, & conſtat Gen. 1, 26, atque Hebræis in Lege Moſaica, ita enim Patriarchis primo, Du-

cibus

cibus dein, iterum Judicibus, præterea Regibus, poſtremo denuo Ducibus hujuſmodi regimen demandatum liquet: de Patriarchis Gen. 13, 14, & 38: de Ducibus Exod. 32., Deuter. 17: de Judicibus Judic. 1, 3, 6, 9, 10, & 11: de Regibus lib. 1, 2, 3, & 4. Reg.: de Ducibus iterum lib. 1, & 2. Eſdræ, & lib. 1, & 2. Machab.: unde Monarchiam viguiſſe etiam in veteri Hebræorum Eccleſia obſervavit Beccanus in analog. vet. Teſt. cap. 6. q. 3: neque negarunt Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 6, §. 2, & Centuriatores lib. 1. cap. 7. Secundo ex teſtimoniis, cum Philoſophorum, e quibus Plato in Politico; Ariſtoteles lib. 8. Ethicor. cap. 10, & lib. 12. Methaphyſ.; Plutarchus opuſc. de Monarchia; Seneca lib. 2. de benef.; Boetius lib. 3. de conſolat.; Philo lib. de confuſione linguarum: tum Patrum, e quibus S. Juſtinus in cohortat. ad Gentes; S. Cyprianus tract. de Idol. vanit.; S. Athanaſius orat. adverſus Idola; Lactantius lib. 1. inſtitut. cap. 3; S. Chryſoſtomus hom. 34. in 1. ad Corinth., & homil. 34. in epiſt. ad Hebr.; Theodoretus Serm. 3. de Angelis; Euſebius orat. de Conſtantini laudib.; S. Hieronymus epiſt. ad Ruſticum; S. Thomas 1. par. q. 103. art. 3, & lib. 4. contra Gent. cap. 76; Pius II. Conſtit. *In minoribus* §. 10. & ſeq. in eam ſententiam unanimes concedentes omnium optimam eſſe Monarchiam. Tertio Ratione, qua conſtat in adminiſtratione Monarchica tam pauciora, ac leviora occurrere incommoda, quæque ſi occurrant, præſto eſſe unius Monarchæ imperium, qui illa confeſtim, ac facile eliminet; quam tutius, ac melius cuſtodiri, augeri, & conſervari bona, quippe quibus una Principis advigilet mens ſtudio partium minime abrepta, una Principis adſiſtat voluntas a propriis commodis nequaquam abſtracta. Præterea Monarchiæ eſſentiam, ut vocant, ſeu rationem ejuſmodi regiminis aliter non conſtare, quam ſi unus præſideat, etſi ſint, qui negarint, planum fit tamen ex Platone in Dialogo de Regno; Ariſtotele 8. Ethic. cap. 10; Simplicio I. Phyſic. textu 19; Aphrodiſeo Methaphyſ. 12; & notarunt Reinardus Koning in theatro Politico par. 1. cap. 20, Henricus Velſtenius Politicar. quæſt. decad. 7. q. 3, Henricus Hænnonius in diſput. polit. diſp. 9, Henningus Arniſæus in doct. Polit. cap. 9, Theodorus Reinchinch de regim. ſæcular., & Eccleſ.

lib. 1.

lib. 1. claſſ. 1. cap. 1, Chriſtophorus Beſaldus in Synop. Polit. doctr. lib. 1. cap. 4, Georgius Sconborner in Polit. lib. 1. cap. 1, Gerſonius de auferibil. Pæpæ conſid. 8, Aliacenſis de orig. Eccleſ. poteſt., Almainus de ſuprema poteſt. Eccleſ. cap. 4, Duvallius de poteſt. Rom. Pontif. par. 1. q. 2, aliique a nobis laudandi, ubi de Juriſd. Eccleſ., atque apud Dianam tract. 1. de Primatu ſect. 3.

Poſtremo a Chriſto Domino non ſecus atque Eccleſiaſtica hierarchia inſtituta eſt, ita in Eccleſia regimen inſtitutum Monarchicum docent adverſus Buddeum, Salmaſium, Richerium, Spalatenſem, ejuſque ſpernendi facile generis homines Leo Allatius de perp. conſen. lib. 1. cap. 2; Duvallius in Elencho libelli de Eccleſ., & polit. poteſt.; Cellotius lib. 1. de Eccleſ. hierarch. cap. 2; Hallerius lib. 1. de Eccleſ. hierarch.; Almainus de ſuprema poteſt. Eccleſiaſt. cap. 4, Petavius lib. 3. de Eccleſ. hier. cap. 16, Morinus Exercit. Eccleſ. lib. 1. exercit. 1, Gravina tom. 3. par. 2, lib. 4. controv. 3, Octavius Jadertinus diſp. 2. art. 1. introd. ad lectur. off., Natalis hiſt. Eccl. ad ſæculum I. diſſert. 4, Coutantius præfat. in tom. 1. collect. epiſt. Rom. Pontif., Tournellius de Eccleſ. q. 5. art. 2, Petitdidier tract. de infallibil. Papæ; Charlaſius de libert. Eccleſ. Gallic. lib. 3. cap. 11, Hieronymus a S. Auguſtino controv. 7. diſſert. 6, Orſius de irreſr. Rom. Pontif. judicio, & ſuprema auct. lib. 7, Blancus de poteſt., & polit. Eccl. tom. 3. lib. 1. cap. 3. Mitto Bellarminum, Sanderum, Beccanum, Perronium, Coeffetellum, Mauclerum, Boverium, Macedum, Dianam, alioſque ſexcentos de Schola Theologos, in hac re diligenter verſatos, a quibus ſparta iſthæc ſatis ſuperque exornata eſt, ut de ea agere nihil ſit aliud, quam agere actum: quibus, in eo quod juris divini adſtruunt Eccleſiaſticam hierarchiam, adſtipulati ſunt quoque Proteſtantium plurimi, quorum alio in loco commemoratio occurret. Sunt vero hujuſcemodi præcipua, quibus dogma iſthoc fulciunt, & communiunt argumenta.

Primo in ſacris Scripturis Eccleſia vocatur *Regnum*, Daniel. 2, 24, & Matth. 13, quem locum de Eccleſia intelligi jubent S. Auguſtinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 9, & S. Gregorius hom. 12. in Evang. Comparatur eadem mox cum Exercitu bene ordinato, Cantic. 6.

tic.6. 3, cum Ovili, Joann. 10, 16, cum Domo, 1.Timoth. 3,13, cum humano Corpore, 1. Corinth, 12, cum Nave, ſeu arca Noe, 1.Petri 3: Itaque ſicut regnum regitur ab uno Rege, exercitus ab uno Duce, ovile ab uno Paſtore, domus ab uno Patre familias, corpus humanum ab uno Capite, navis ab uno Navarcho, ita Eccleſia ab uno Rectore Romano Pontifice. Secundo a SS. Patribus, quæ ex Sacra Scriptura excerptæ ſunt, variemodæ ſimilitudines apprime Eccleſiæ gubernio aptantur; quæ de Exercitu a S. Hieronymo epiſt. ad Ruſticum; quæ de Ovili a S. Cypriano epiſt. 6. ad Magnum; quæ de Domo ab Ambroſiaſtro comment. in 1. ad Timoth. cap. 3, quæ de Arca Noe a S. Cypriano præc. epiſt. ad Magnum; quæ de humano Corpore a Cathech. Rom. par. 1. art. 9. Præterea in Eccleſia, ut prædicat Apoſtolus Epheſ. 4, eſt unus Deus, una Fides, unum Baptiſma; operæ ergo eſt pretium unum eſſe Pontificem, qui Dei vicibus fungatur, qui de fidei controverſiis Judicium ferat, qui baptiſmo initiatos in unitate contineat. Hinc S. Cyprianus epiſt. 40. ad pleb. *Deus unus eſt*, ait, *Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata*: & lib. de unit. *Ut unitatem*, inquit, *manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno Petro incipientem ſua auctoritate Deus diſpoſuit*: S. Optatus lib. 7. adver. Parmen. *Bono unitatis*, inquit, *Beatus Petrus... & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & Claves regni Cælorum communicandas ceteris ſolus accepit*: S. Hieronymus lib. adverſ. Jovin. *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite conſtituto Schiſmatis tollatur occaſio*, & S. Eulogius Alexand. lib. 2. adv. Novatian. apud Photium cod. 280. ideo *Neque Joanni, neque alteri cuipiam Apoſtolorum dixiſſe Salvatorem*, ait, *Tibi dabo Claves regni cælorum* &c. *Præterquam Petro*. Similia ſcribunt S. Pacianus epiſt. 3. ad Sympronian., & S. Auguſtinus ſerm.295. edit. PP.Benedict. Tertio etiam atque etiam a Chriſto Domino in Eccleſia univerſa Sacrorum Principem unum fuiſſe præfectum, qui ſumma in ea poteſtate polleat, eumque principio S.Petrum, atque poſt ipſum legitimis ſuffragiis ipſi ſuffectum Romanum Pontificem, uno ore, unoque ſenſu prædicant Patres, Pontifices, Synodi, Scriptores, quos ſuas in ſingulas claſſes diſtributos cum laude

laude ſuo loco commemorabimus, atque paulo poſt brevi catalogo multam partem comprehendemus. Qui quidem, aut ex laudatis locis Sacræ Scripturæ, aut ex accepta, & numquam interrupta ſucceſſione ab Apoſtolis manante traditione, S. Petro non modo, ſed & Romanis Pontificibus a Chriſto Domino Principatum, eumque Monarchicum collatum eſſe collegerunt, & ſcriptis conſignarunt. 4.

E rationis penu quoque petitis argumentis idem adſtruunt, e quibus illud eſt, quod quum Monarchicum Regimen præ ceteris ejus generibus ſit præſtantius, Reipublicæ Chriſtianæ gubernandæ conducibilius, Eccleſiaſticæ rei gerundæ opportunius, quippe quod Eccleſiæ unitati, fidei integritati, morum diſciplinæ cuſtodiendis, conſervandis, conſulendis præſto eſt Pontifex ab alterius conſortio minime pendens, neque aliorum conſenſum præſtolaturus, palam fit illud a Deo præ ceteris in Eccleſia inſtitutum eſſe, quo poſito bona talia, tantaque conſequi pronum eſt ordine, numero, duratione, natura, diffuſione majora. Eo vel maxime, quod Monarchicum ſit Regimen triumphantis Eccleſiæ, cui præeſt Deus; idemque fuerit Militantis, quamdiu ipſi præfuit Chriſtus. Illud quoque, quo SS. Juſtinus, Cyprianus, Optatus, Pacianus, Auguſtinus, Hieronymus, & Thomas ſupra laudati uſi ſunt, videlicet: illud Regiminis genus melius eſt, ideoque in Eccleſia a Deo inſtitutum, quo melius regitur multitudo: eo autem melius regitur multitudo, quo magis reſiſtitur diviſioni, & ſervatur unitas: nam hinc Chriſtus Matth. 12. *omne regnum*, inquit, *in ſe diviſum deſolabitur*: & illinc S. Thomas 1. p. q. 103. art. 3. *optima*, ait, *gubernatio eſt*, *quæ ſit per unum*; rationem reddens; *quod*, ſubdit, *ſicut omnia deſiderant bonum*, *ita deſiderant unitatem*, *ſine qua eſſe non poſſunt*: *Nam unumquodque in tantum eſt*, *in quantum unum eſt*: *unde videmus*, *quod res repugnant ſuæ diviſioni*, *quantum poſſunt*. Exinde concludit. *Unde multitudo melius gubernatur per unum*, *quam per plures*: nam Paulo ſuperius dixerat: *manifeſtum eſt enim*, *quod plures multa unire*, *& concordare non poſſunt*, *niſi ipſi aliquo modo uniantur*. Atqui regimine unius, potius quam plurium, reſiſtitur diviſioni, & ſervatur unitas: ergo regimine unius melius regi-

regitur multitudo: ergo regimen unius tamquam præcellentius in Eccleſia Deus præſcripſit. Quæ duo quippe, ut obſervavit S. Thomas ibidem, unius regimen vitiarent imperitia, ſcilicet, vel impotentia, hic locum non habent, ab hiſque ſat præmunivit, & præcavit, cum ejuſmodi enim primatu a Deo dicimus Romano Pontifici contra imperitiam collatum privilegium infallibilitatis, & contra impotentiam, prærogativam ſupremæ auctoritatis, cui univerſi ſubſint. Huc ſpectant, quæ SS. Baſilius hom. 8. in Hexam.; Ambroſius lib. 5. cap. 2. in Hexam.; Chryſoſtomus hom. 2. in Joan., & Hieronymus in cap. 21. Matth. de malis in Rempublicam facile inferendis a multitudine ad ſeditiones prona, in propoſito difficile perſiſtente; atque ad mobilitatem facili. Huc ſpectant quæ de bono unitatis, deque modo conſulendi eidem bono a Deo O. M. conſtituto, inque eo repoſito, ut in Eccleſia ab ſe rectiſſime inſtituta unus eſſet Primas, ſacrorumque præſes Romanus Pontifex ex Proteſtantibus ipſis profeſſi ſunt Blondellus de Prim. pag. 24, quo loci; *Proteſtantes*, inquit, *neque Apoſtolicæ Cathedræ dignitatem unquam veteri Romæ denegaſse; neque Primatum, quem habet in vicinas Eccleſias; imo etiam quem aliqua ratione obtinet in univerſas*: & Grotius in proleg. ſuper. §. 2. circa finem. Sed & hæc Grotius ſuperaddit in animad. adverſ. Andream Rivetum ejuſdem factionis hominem: *Sicut Exercitus, ſicut Navis regi non poteſt, niſi per gradus præfectorum, qui gradus in unum deſinant, ita nec Eccleſia .... Deus .... ad res optimas etiam optimas monſtrat vias, qualis eſt ad unitatem Eccleſiæ certus ordo. Hic ordo quis eſse deberet, monſtravit in Petro Chriſtus: ei enim Claves regni Cælorum dedit pro toto Collegio, tanquam Collegii Principi*. Grotio ſuperaddendus Leibnitius epiſt. 8. ad Fabricium, ubi ſcribit: *Quum Deus ſit Deus ordinis, & corpus unius Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ uno regimine, hierarchiaque univerſali continendum juris divini ſit, conſequens eſt, ut ejuſdem ſit juris ſupremus in eo ſpiritualis Magiſtratus*. Quamquam poſtea in eo peccent, ſecumque pugnent hanc in Pontifice Romano poteſtatem juris Eccleſiaſtici eſſe exiſtimantes.

Unum tandem monitum te volo. Non deſunt de ſchola

Theologi, iique doctiſſimi, (quorum opinionem, abſit ut nigra aliqua nota aſpergendam arbitremur) qui Eccleſiæ regimen Monarchicum ita adſtruunt, ut tamen temperatum ſit, non equidem Democratia, nam laicos cujuſque generis ab Eccleſiaſtici Regiminis conſortio omnino arcent, & amovent, bene vero Ariſtocratia; nam Epiſcopos in partem regiminis Eccleſiaſtici advocant, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei. Porro in hac opinione unum liquet, quod verum aſſerimus, & latet aliud, quod a vero magnopere abhorret. Verum eſt Epiſcopos in regiminis partem aſſumtos: a quo autem? a Romano Pontifice dubio procul, qui juriſdictionem in ipſis adauget, minuit, arctat, tollit, ſuſpendit, transfert, ampliat, confert. Vero autem eſt abſimilimum ita aſſumi Epiſcopos, ut ab eorum conſortio, aut conſenſu Pontificem omnino pendere oporteat, atque ita ut illo deficiente, aut denegato, Pontificis juriſdictio evadat infirma, & judicium eat inane. Duo itaque diſtinguenda ſunt in hujuſmodi Monarchico regimine Ariſtocratia temperato: res, & modus rei, ſeu ratio, & uſus regiminis: Res, ſeu ratio penes unum Pontificem ſtat dicente Domino: *Tu es Petrus* &c. *Tibi dabo Claves* &c. *Paſce oves meas . . . Confirma fratres tuos*: Modus, & uſus in Epiſcopos a Pontifice effluit, a quo non in partem Apoſtolicæ ſedis, ſed in partem ſolummodo Apoſtolicæ ſollicitudinis ſunt vocati. Quam quidem diſtinctionem ſi revoces in dubium, aut imo deneges, alterutrum oportet affirmes: aut merum regimen Monarchicum in Eccleſia a Chriſto inſtitutum; aut cum regimine Monarchico Ariſtocratia mixto conſiſtere Romani Pontificis ſupremam Poteſtatem, cui ceteri Epiſcopi per Orbem obſequi, obtemperare, ac ſubjici modis omnibus oporteat: Quod poſtremum ſi præfracte neges, Næ in errorem Spalatenſis, Richerii, Salmaſii turpiter labaſcas omnino neceſſe eſt. Adeundus S. Thomas lib.4. contra Gent. cap.76, ubi poſtquam ad Triumphantis Eccleſiæ exemplar Militantis regimen Monarchicum exegiſſet, locoque ſuo ad univerſalis Eccleſiæ gerendam curam ſuffectum S. Petrum a Chriſto Domino adnotaſſet, rationem Monarchiæ Eccleſiaſticæ in eo conſtitutam ſubdit, ut Epiſcopi omnes a Pontifice poteſtatem accipiant: En

ejus

ejus verba: *Hinceſt, quod Petro dixit ..: Paſce Oves meas. Tu converſus confirma ... Et ei ſoli promiſit: Tibi dabo Claves .. ut oſtenderetur poteſtas Clavium per eum ad alios derivanda ad conſervandam Eccleſiæ unitatem.*

Poſt hæc non inutile, nec injucundum erit ex profana hiſtoria hanc in rem producere argumentum, quod pro confirmatione haberi poterit eorum, quæ hactenus ex Theologiæ penu depromta ſunt. Cæſar Auguſtus ſententia diu, multumque ſuſpenſus, num Reipublicæ bono, commodoque magis conduceret, ſi ejuſdem ſumma apud unum ſtaret, an potius in regiminis partem aut vocaretur Senatus ſaltem, aut veniret pariter populus, animo ipſe paratus abdicare ſe Imperio, ſi publicæ rei expediret, id ſeipſo deliberare impar conſiliarios publicarum rerum peritiſſimos, ut refert Dio lib. 52. hiſt. Rom., Agrippam, & Mœcenatem adhibuit. Inter hos itaque inſtituta acris diſceptatio eſt de optima regiminis forma deligenda: diſceptationis vero hæc ſumma. Circa rem civilem, militarem, ac judicialem totam obverſari Reipublicae gerendæ rationem facile conveniebant. At triplicem rem hancce ſartam, & tectam ſtare magis apud multos Agrippa volebat, apud unum e contra Mœcenas. Agrippa Monarchiæ anteferendam vel Ariſtocratiam, vel Democratiam argumentando hiſce ſuadere conabatur. Homines idem nomen adeptos eadem natura eſſe genitos: ſi cives in eadem Civitate tranſigentes iiſdem moribus educatos, iiſdem legibus inſtitutos: igitur in eadem conditione, in eodem genere conſtitutos, eodem modo appetere omnes æqualitatem; congruere etiam, ut æquales omnes ſint: ſi ſic, contenti omnes, nec erit cur alter alteri invideat: ſi ſecus, ecce triſtitiam, invidiam, rixas, ac innumera in Republica incommoda. Hæc ex parte Reipublicæ proſecutus, ex parte Monarchæ hanc formam progreſſus eſt oſtendere valde eſſe moleſtam, magnopere difficilem, aleaque plenam. Principio Principi onus incumbet ad res urbanas curandas, ad alendos exercitus, ad urbes communiendas, pecuniarum ingens pondus conficere: quod civibus impoſitum, dum eorum plurimi imperent, grave non erit, ſiquidem ab eorum voluntate pendens, & in commune eorum commodum impenſum

iri perſuaſis : non ita ſi a Principis unius voluntate pendeat . Præterea Principis officio cedet leges ferre , lites dirimere , pacta ferire , præmia largiri , pœnas decernere, munia dividere , jura dicere : id totum ſi una Principis ſententia peragitur , facile ſuſpicio incedit fieri id vel ex favore præpoſtere , vel ex furore præcipitanter , non jure , ſed injuria , ſed ira , ſed inconſtantia , ſed libitu , ſed libidine ; non ita ſi plurium conſilio : quo fiet ut judiciorum exitus nec judicum tyrannidi , neque gratiæ , neque voto , neque cupiditati imputetur . Quid quod officia , & onera pro meritorum , perſonarum , qualitatum conditione in Republica & impartienda , & imponenda ſunt ? quæ ſi a Principe uno fiant , fient facile ex præcipiti ingenio , ex privato affectu , ex præoccuta ſententia , ex proniori in adulatores indole , ex profuſiori in ſua commoda ſtudio , ex præconcepta de Reipublicæ rebus opinione : ſi vero a pluribus fiant , quibus Reipublicæ ſtatus undique ſit perſpectus , fient magis ex juſto , ex honeſto , ex decoro . His aliiſque , quæ pluribus perſequi non juvat , Auguſtum a Monarchia capeſsenda abſterrere conabatur Agrippa . Agrippæ contra argumenta excipiens Mœcenas , Monarchiamque aliis Principatus generibus præſtare oſtendere adgreſſus , hæc in medium inter alia momenta attulit . Sub Principe debere quemque partes ſuas diligenter obire pro uniuſcujuſque ingenio , vel in ducendo exercitu , vel in ſtipendiis erogandis , vel in Magiſtratu gerendo . Impendendam operam a Principe , ut res civilis , militaris , & judicialis ea ratione peragatur : impetrarique id facilius a Principe operam impendente , quam a plurimis , qui magis ſuis impendiis foret , ut ſerviant , quam publicis . Superaddendam operam , ut ſuo ſtent loco leges : ne ſine coercitione linquantur crimina: ut ſint integri mores, ordo ſartus & tectus , tandem unicuique tribuatur jus : præſtari id a Principe , ſi Magiſtratibus præficiantur viri probi : ſi ſontes citra invidiam puniantur , ſi ad conſilia viri præſtantiſſimi adhibeantur , ſi confugientibus , & reclamantibus faciles , pronæque admoveantur a Principe aures ; ſi , quod ceteris præſtat , in Republica unam Religionem vigere jubeat , uni Reipublicæ utilitati ſe ſtudere ſummopere , nec non Religionis integris ſervandis juribus devo-

devoviſſe ſe totum dicto, factoque Princeps commonſtret. Cæſar Auguſtus animo paratus alioquin ad illius partes accedere, qui meliorem cauſſam propugnaſſet, *Cæſar*, inquam, *quum utrumque*, inquit Dio loco prænotato, *ſapientiæ*, *copioſæque*, *& liberæ orationis cauſsa magnopere collaudaſset*, *Mæcenatis conſilium prætulit*.

Adnectere juvat alterum ex ſincera, vulgataque confeſſione cujuſdam non indocti Hetherodoxi excerpta. Is eſt Joannes Leonardus Froereiſenius Argentinenſis Academiæ accatholicæ Rector, qui in comitiis academicis oratione anno 1743. die 9. Maji habita de miſero Eccleſiæ Auguſtanæ confeſſioni addictæ ſtatu, veritate extorquente palam fecit mala innumera in ſuam Eccleſiam inde eveniſſe, quod hierarchici gradus, ac Monarchici regiminis ratio jamdiu ab ea exulatum iviſſent: extat oratio apud Anſelmum Deſing. lib. inſcripto *Juris naturæ larva detracta plurimis libris ſub titulo juris naturæ*, *ut Puffendorfianis*, *Heineccianis*, *Vvolfianis* &c. edit. Monachii anno 1753. *Miſera*, inquit, *mihi Eccleſiæ noſtræ conditio videtur ratione formæ regiminis*, *& ſtatus*. *Etenim vix umbra ejus rationis Eccleſiaſticæ in ea apparet*, *quam Paulus requirit 4. epiſtolæ ad Epheſios capite*. Eo profecto loci S. Paulus ſub corporis humani ſchemate, quale eſſe debeat in Republica Chriſtiana regimen declarat. Non ſecus enim, ac in corpore humano eo omnis commiſſura conſpirat, ut neceſſariam inter membra unionem conſervet, & mutuum auxilium confoveat; confoveri vero nequit, ac conſervari, niſi membris omnibus ſupereminеat, ſuperſtetque caput, a quo in totum corpus influxus, imperiumque profluat, & protendatur: ita in Eccleſia neceſse eſt unum eminere ſacrorum Principem, a quo omnes inferiores in officio contineantur, atque in omnibus neceſsarius unitatis nexus, mutuaque officii neceſſitudo conſervetur. Pergit deinde ille in cauſsam inquirens miſerrimi Eccleſiæ ſuæ ſtatus: *Quærenda eſt*, ſubnectit, *triſtis hujus defectus ratio in eo*, *quod Reformatores* ... *prudentem regiminis Eccleſiaſtici ordinationem ad conſervandam unionem externam abſolute neceſsariam* ... *prorſus neglexerint*. Sed negligentiam hujuſmodi in eam demum refundere debebat, ſi diligenter inquiſiſset, inſaniam, demen-

tiam.

tiamque ſummam, qua a Romano Pontifice ſeceſſione facta Reformatorum quilibet ſuo arbitratu ſe in ſacrorum Præſidem erigere geſtivit. Ex quo enim ſemel a Romani Pontificis obedientia Proteſtantium Synagoga abalienata eſt, & deſcivit, apertus eſt adeo regiminis apud eos defectus, ut de eo non fuiſſet cur quæreret: quid enim quæreret niſi, ut remedium aptaret? quale vero conflatæ ex hominibus, qui vel unius Pontificis a Deo ipſo præfecti imperium pati detrectaverunt, percupidus quilibet ſuo imperio ſe regere, privatoque tranſigere ingenio? poſthac ex eo defectu profectum dolet juris communis Eccleſiaſtici defectum, Reformatorumque deſidiam, qui de canonum ſylloge adornanda, atque Eccleſiæ Auguſtanæ confeſſioni addictæ tradenda minime fuerant ſolliciti. *Fit hinc*, inquit, *ut alia Eccleſia particularis ex Carpzovianis, alia ex Hobbeſio-Thomaſianis, alia ex Titianis, alia ex Bohmerianis, alia ex aliis principiis jus ſibi Eccleſiaſticum pro lubitu formet, magna cum Eccleſiæ noſtræ ignominia.* Jure optimo ignominiæ ſibi imputant, qui Eccleſiæ Romanæ legibus, & diſciplinis abrogatis, & abjectis, hominibus poſtea inſtituendos, erudiendoſque ſe dederunt, qui præterquam quod non de jure Divino, aut Eccleſiaſtico, ſed nihil niſi de jure naturæ, aut gentium, aut civili tradiderunt; atque ita ut juris iſtiuſmodi ſoli rationi, nihil Religioni commune eſſe voluerint; itaque immaniter aberraverint, turpiterque abierint abs vero, & bono, ſed imo inter ſe ipſos, & ſecumipſis digladiati ſint, & diſcordarint, ut obſervant ex noſtris Schuvarzius Soc. Jeſu de jure nat., & Deſing. libro citato. *Hinc*, ſubdit, *ſi ſatis fuiſſent providi Reformatores in Germania, aut hierarchiam Epiſcopalem cum Suecis, Daniſque retinuiſſent, aut Conſiſtorium ſaltem ſupremum, & univerſale erexiſſent ad cognoſcendas omnes cauſas Eccleſiaſticas regimen, ordinem, decentiam, diſciplinam, Miniſtrorum vocationem, & dimiſſionem, & alia negotia Eccleſiaſtica concernentes.* Quæ eſt vero hierarchia ejuſmodi, qualis apud Suecos, & Danos, quidve iſtiuſmodi Conſiſtorium, quale apud Ruthenos, & Moſcos, ubi nullus adeſt ſupremus, unuſque, cujus præ omnibus valeat opinio, cuique omnes cedere ſententia oporteat? ſimile plane accidet ibidem, quod Synagogæ ſuæ accidiſſe ſubte-

ſubtexit Hetherodoxus Orator. *Eccleſia Auguſtanæ confeſſioni addicta ſimilis evaſit vermi in partes non tantum magnas, & longas, ſed & minimas diſſecto, quarum quælibet ſe movet, quandiu aliquales vires ſuperſunt, & quarum quælibet ſenſim, ſenſimque vitam, & cum vita facultatem ſe movendi amittit. Similis exercitui militanti ſub variis Ducibus diverſæ dignitatis, diverſa, ſæpius contraria, nonnumquam plane nihil decernentibus, & ſibi invicem non ſubordinatis. Similis Urbi, cujus incolæ nullo interſe nexu civili uniti ſunt, ita ut quilibet non tantum pater, ſed ut quælibet materfamilias gentium ſibi jura adſcribat, & in ſtatu naturali vivat.* Quibus plane, quæ nullo gloſſemate indigent, ſub oculos ponitur confuſio, quæ ſectas Hetherodoxorum pervaſit, poſtquam abjecta, denegataque ſemel Pontifici uno dependentia, ſuo marte alteram ſub ſuo quilibet ſenſu agendi rationem procudit. Perbelle facit vero, quam ex fabula Papiſſæ Joannæ aſſumit, ſpecies ad ſignificandam, quæ in ſuas Eccleſias invecta fuiſſet, regiminis præpoſteram rationem. *Objicitur ſæpius*, inquit, *ſed ſine ſufficienti fundamento, Romanæ Eccleſiæ fæminam quamdam aliquando fuiſse Papam: majori ſpecie hoc Eccleſiæ noſtræ objici poſse videretur: in ea enim jura Papalia, & Epiſcopalia exercere poteſt fæmina.* Perridiculum id, ſed profecto omnino verum, & conſequens ex profligato ſemel Primatu in Eccleſia Pontificis: exinde profectum illud etiam apud Hetherodoxorum plurimos juris Eccleſiaſtici principium, quod apud ſuos nonnullos invaluiſſe idem Orator paulopoſt affirmat: *Quidquid lubet licet*: quid enim prohibeat quominus liceat, quod libet hujus genus hominibus, quibus eſt voluntas pro ratione, & voluptas pro regula? Exinde profecta, eodem fatente, *libera multarum pernicioſarum, & ſcandalo plenarum circa materias juris Eccleſiaſtici hypotheſium aſſertio.* Quo fit, ut quilibet pro ingenio, & indole poſt opiniones ſuas quantumvis abſonas abeat. Exinde profectum, eodem non inficiante, quod *cuivis impoſtori, atque fanatico impune liceat novam formare Eccleſiam, novaſque promulgare leges Eccleſiaſticas*: Verius tamen dixiſſet nova ab Orcu revocare ſchiſmata, nova invehere errorum monſtra, novaque ex legibus indulgere vitia. Exinde profectum diſcordiarum ſeminarium, quo tandem fiet,

fiet, ut ipſo fatente, diutius vigere Eccleſia Auguſtanæ confeſſioni addicta non poſſit: *Quomodo*, inquiens, *Urbs Eccleſiaſtica, quæ non ſimul eſt civitas, & in qua vicinus ardente pariete proximo rem ſuam non agi exiſtimat, nullumque proinde fert auxilium, ſe ulterius conſervare poterit, vix apparet*. Jam itaque ex tot bonis, quæ ex monarchico regimine in civilem Rempublicam provenire demonſtravit Mœcenas: ex tot malis, quæ in ſectam ſuam ex hujus regiminis defectu derivaſſe Froereiſenius deflevit; quis liquido non perſpiciat Catholicæ Eccleſiæ optime ea ratione a Chriſto Domino fuiſſe conſultum, ut, quod hactenus planum facere conati ſumus, ei jugiter unus præeſſet Romanus Pontifex veluti ſupremus ſacrorum omnium Præſes, iſque gemina inſignitus prærogativa, tum ſupra Eccleſiam univerſam poteſtate, tum in fide infallibilitate, ſub cujus imperio omnes ubique gentium in unitate fidei, vicarioque charitatis officio comprehenſi, Chriſtiano nomine dignam, tranquillamque vitam tranſigerent.

His, quæ hactenus de excellentia Monarchiæ Eccleſiaſticæ diſputata ſunt, objiciunt Proteſtantes, ex iiſque, qui vel Monarchia præſtare Democratiam, hujuſque rationis eſse regimen a Chriſto inſtitutum pugnant, uti Independentes, Puritani, & Eraſtitæ a Thoma Eraſto nominati, Flaccus Illyricus, & Buddeus, ad quos accedunt Richerius, & Dupinius de antiq. eccleſ. diſciplin. diſsert. 6, docentes poteſtatem Eccleſiaſticam eſse penes Eccleſiam; Pontificem vero, & Præſules Eccleſiarum quoad uſum eam accipere ab Eccleſia: vel Monarchia præcellere Ariſtocratiam, atque hujus generis eſse adminiſtrandæ Eccleſiæ rationem a Chriſto Domino invectam, contendunt, uti Presbyteriani, Epiſcopaleſque ab illis nonnihil diffidentes, Sphanhemius, Forbeſius, Deilingius, Spalatenſis, quibus tandem adhæſere Janſeniſtæ, & Quesnelliſtæ, objiciunt, inquam, vel cætui indiſcriminatim Chriſtifidelium, non ſecus ac Reipublicæ communitati civilem, collatam poteſtatem Eccleſiaſticam; idque patere tum dicto Chriſti, Matth. 18, *dic Eccleſiæ*, cujus nomine quid niſi Chriſtifidelis quilibet deſignatur? tum exemplo Matthiæ Act. 1. a Chriſtianorum cœtu Apoſtolis adnumerati; tum

Co-

Corinthiorum facto apud S. Clementem epiſt. 1. ad Corinth., a quibus loco ſuo rerum ſacrarum adminiſtri amoti fuerunt; tum S. Cypriani epiſt. 10. edit. Pamel., & S. Ambroſii epiſt. 32. veter. edit. ad Valentinianum II. teſtimonio, quo plebi ſacrorum cognitio non denegatur. Vel penes collegium ex presbyteris, & Præſulibus congregandum hanc poteſtatem reſidere perpetuo Chriſtum voluiſſe, idque confici, tum Apoſtolorum exemplo, quo ad Synodum vocatos ſeniores Act. 15. ſcimus; tum priſca Eccleſiæ praxi, qua ad Synodos pariter acciri presbyteros ſolemne fuiſſe liquet, tum Cleri Romani epiſt. 31. inter Cyprian. edit. Pamelii, SS. Ignatii, & Polycarpi in ſuis epiſtolis, Auctoris Conſtitut. Apoſtolic., & veter. Pontificum epiſtolis, quibus abſque Cleri conſcientia nihil agi in Eccleſia conſueviſſe conſtat; tum Eutychii Alexandrini in origin. Eccleſ. Alexandr., a quo Alexandrinos Patriarchas olim a presbyteris electos, & ordinatos memoriæ proditum eſt. Vel in poteſtate uniuſcujuſque Epiſcopi independenter ab alio quolibet id juris integrum eſſe; idque conſtare Act. 20, ubi Paulus poſitos ait Epiſcopos *regere Eccleſiam*, ex Tertulliano lib. de præſcript. cap. 20. Eccleſias omnes *Primas*, *& Apoſtolicas* perhibente, ex S. Cypriano lib. de unit. Eccleſ. Apoſtolos omnes æque, ac S. Petrum *pari conſortio honoris*, *& poteſtatis* fuiſſe præditos: *Epiſcopatum unum eſse*, *cujus a ſingulis pars in ſolidum teneatur*, affirmante, & S. Hieronymo epiſt. 85. ad Evagrium, ſeu ad Evangelum ſcribente: Epiſcopos omnes *ſive Romæ*, *ſive Eugubii*, *ſive Conſtantinopoli*, *ſive Rhegii*, *ſive Alexandriæ*, *ſive Tanis*, *ejuſdem eſse meriti*, *& ſacerdotii*. Vel tandem Concilio ex Epiſcopis conflando eam poteſtatem traditam eſſe; idque pateſcere ex Conciliis Apoſtolorum, in quibus ſententia omnium expectata eſt, atque forma, ratioque Eccleſiæ regendæ exhibita.

Verumtamen qui ita contra Monarchiam Eccleſiaſticam; animo Eccleſiæ univerſæ Monarcham Romanum Pontificem oppugnandi, adverſa fronte pugnant, apage illos, ſiquidem maximo in errore verſantur. Poteſtas Eccleſiaſtica quinque potiſſimum occupatur, ut ex Apoſtolorum, ac priſcæ Eccleſiæ praxi ſit perſpicuum, ſacris electionibus, & ordinationibus; judiciis

Eccleſiaſticis; legibus chriſtianis; Sacramentis, qua conficiendis, & qua adminiſtrandis. Ad Clericorum, Epiſcoporumque electiones, ordinationeſque deſiderata olim plebis ſuffragia perſpectum eſt, ut de probitate deligendorum pateret: at a plebe electiones, ordinationeſque peractas nullibi conſtat, conſtat immo plebe inconſulta peractas frequens fuiſſe, uti electos a Chriſto Domino Apoſtolos, & diſcipulos; ab Apoſtolis electos, ordinatoſque Diaconos, (etſi eorum electioni ſuffragata plebs ſit) & coadjutores, Marcum, Barnabam, Lucam, Timotheum, Titum &c. Matth. 10, 5; Marci *6*, 7, Lucæ *6*, 13; 2. ad Timot. 1, *6*; ad Tit. 1, 5, ex S. Irenæo lib. 4. cap. 3, Tertulliano de præſcript. cap. 32, & Euſebio lib. 3. cap. 4. Judicia Eccleſiaſtica, & leges chriſtianas ferendi poteſtatem ſolas penes Eccleſiaſticas perſonas ſtare patet Matth. 1*6*, & 18; Joannis 21; Act. 15, & 20, 28; 1. ad Corinth. 5; 2. ad Corinth. 2, & 13; 1. ad Timoth. 5, 1*9*; Apoc. 1, 11, & ex S. Clemente I. epiſt. 1. ad Corinth.: de Sacramentorum confectione, & adminiſtratione id adeo compertum, ut probatione non egeat: ſed de hoc argumento fuſius part. 2. in Proleg. art. *6*. Jam vero Eccleſiæ nomine Epiſcopos intelligendos eſſe, apud quos Chriſtifideles crimine accuſari Chriſtus juſſit, tum ex veteri conſuetudine Apoſtolorum, apud quos accuſatos Chriſtianos ſcimus, ut apud Paulum, & S. Joannem Evangeliſtam, cum ex interpretatione S. Cypriani epiſt. 37, 41, 52, 55, *67*, *69*, edit. Pamel., Origenis in cit. loc., S. Chryſoſtomi hom. *6*1. in Matth., S. Auguſtini enarrat. in pſal. 12*6*, & lib. 1. de Civit. cap. *9*, aliorumque vulgo interpretum. S. Matthias vero etſi plebis ſuffragio adnumeratus dicatur Apoſtolis, id tamen nonniſi proponente, volente, ac præſidente Petro factum; neque niſi a Petro, aliiſque Apoſtolis Matthiæ ſacræ deinde impoſitæ manus ſunt. Miror vero vehementer, tum quod a Corinthiis per ſeditionem, nefaſque patratum eſt, opponi, quum ob eam cauſam graviſſimis a S. Clemente eo loci objurgati ſint, admonitique de obſequio, obedientiaque ſacrorum adminiſtris deferenda: tum illos S. Cypriani teſtimonio abuti, a quo non ex neceſſitate, ſed ex voluntate, conſilii unius gratia, Eccleſiaſticarum rerum nonnullarum conſciam plebem factam ibidem patet;

quum

quum alioquin epiſt. eadem, epiſt. 6, alibique ſæpe plebis non eſſe de Eccleſiaſticis cauſſis cognoſcere apertiſſime tradat; tunc ab illis S. Ambroſio vim apertam fieri, qui etſi Auxentium Arianum refugiſſe plebis examen ſcripſit, ideſt declinaſſe teſtimonium rectæ fidei, quod plebs Mediolanenſis recte in fide Nicæna inſtituta de divinitate Chriſti perhibere poterat, expreſſiſſimis verbis tamen ibidem tradit ſacerdotum eſse, non laicorum de divinis, Eccleſiaſticiſque rebus dignoſcere.

Quam apud plebem conſiſtere poteſtatem inficiamur, penes eſſe presbyteros, æque ac Epiſcopos perinde pernegamus: quamvis enim ab Apoſtolis, olimque ab Apoſtolicis Patribus, imo ſequioris ævi Præſulibus vocati ad Synodos legantur presbyteri, nec tamen id factum ſemper eſt, ut liquet ex actis Conciliorum; conſilii vero cauſa factum aliquando: nam alioquin in Conciliis ab Apoſtolis, Apoſtolorumque exemplo celebratis, a ſolis Apoſtolis, vel ab Antiſtitibus dumtaxat dictas ſententias, decretas leges, ſtatutos canones ſcimus. De Presbyteris, ac Diaconis olim vocatis ad Concilia, deque cauſſis vocationis adiſis doctiſſ. Catalanum in Proleg. ad Concil. cap. 14, qui antecedenti cap. 13. eodem cap. 14, & cap. 25, Epiſcoporum dumtaxat, Abbatum etiam, & generalium Ordinum Præpoſitorum ex privilegio cap. *ad Apoſtolicæ* de Judic. in 6, & Clem. *Paſtoralis* tit. eodem jus ſuffragii ferendi eſſe demonſtrat. Impudentiſſime vero abutuntur Cleri Romani, & veterum Pontificum teſtimoniis, agendique ratione, qui eidem errorem ſuum fidunt, fulciuntque: in more enim poſitum fuiſſe Pontificibus Cleri Romani conſilium adhibere, idque prudentiæ, ac ſummæ in graviſſimis Eccleſiæ cauſſis agendis diligentiæ deputandum affirmamus: penes autem Clerum eumdem poteſtatis ejuſmodi particulam non ſtetiſſe, ſtetiſſe vero integram apud Pontifices, cujus vice aliquando poſt ejuſdem obitum poteſtate ab ipſis facta in Eccleſia uteretur, ex præfatis Cleri Romani, & S. Cypriani epiſt. 31. ad eumdem Clerum liquido conſtat. Nec aliam plane S. Ignatio epiſt. ad Polycarpum, ad Epheſios, ad Magneſios, ad Philadelphios, ad Trallianos, S. Polycarpo epiſt. ad Philippenſes, & Pſeudo Clementi lib. 2. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 28. ſententiam inſediſſe liquet legenti,

 ubi

ubi Presbyteri uno Epiſcopi conſiliariorum, adjutorumque nomine cohoneſtantur. Sed de his fuſius alio in loco. Eutychii vero Alexandrini in origin Eccleſ. Alexandr. apud Ecchellenſem, & Renaudotium hiſt. Patriarch. Alexandr. in *Marco* hominis alioquin obſcuri, ac nuperi, ſiquidem ſæculi X. ſcriptoris, in eo, quod ſcribit a S. Marco inſtitutum, ut ex 12. Presbyteris, ac ab iis 12. Presbyteris crearetur Patriarcha, idque integrum manſiſſe uſque ad ævum Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui Nicæno Concilio interfuit, a quo is mos ablatus fuerit, Patriarchamque Alexandrinum impoſterum ab Epiſcopis, vel ex Presbyteris illis, vel ex Epiſcopis creari juſſum, vel fides deneganda, ut viſum Renaudotio, vel ſi cum Ecchellenſi illum in pretio habeas, explicari commode dictum poteſt. Nam ſi illa res ab Alexandro conſtituta fuiſſet, putas ne quod Ariani Alexandro, & Athanaſio infenſiſſimi, de violata a S. Marco inſtituta ratione reum alterutrum non egiſſent? eoque maxime, quod Athanaſius in Diaconorum ordine verſaretur, quum ad Alexandrinæ Eccleſiæ præfecturam electus eſt? quid vero quod S. Epiphanius Hæreſ. *69*. de electione S. Athanaſii, & S. Athanaſius ipſe de electione ſua in Apolog. agentes, eam eveniſſe tradunt, ut in more veteri poſitum erat, nihilque ex eo mutatum? Quamquam, ut innui, explicari facile Eutychius poteſt; ſiquidem verbum *Creare*, quo utitur, accipi commode poteſt pro electione, non vero pro ordinatione, ut vellent Seldenus, & Procokius, quorum ſive imperitiam in Eutychii originibus latine faciendis, ſive impudentiam in erroribus intrudendis, caſtigaverunt Petavius lib. 1. de Hierarch. Eccleſ. cap. 13, Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. IV, diſſert. 44. §. 26, Renaudotius loc. cit., Lequienius Orien. Chriſt. tom. 2. de Patriarch. Alex. n. 24, & ſeqq., & Mamachius Origin., & antiq. Chriſt. tom. 5, lib. 4. part. 1, cap. 1. §. 3.

Poſtremo quod ajunt penes Epiſcopos, vel ſingulos diviſim, vel collectim in Synodo Eccleſiaſticæ poteſtatis ſummam integram conſiſtere, id nec divinæ ordinationi, nec Eccleſiæ bono congruit: Epiſcopis enim ſingulis nonniſi ſingularium Eccleſiarum cura commiſſa eſt: nec congregatis ſimul major eſt concredita, ita ut quod in ſingularem alium non poteſt alioqui ſingularis,

ris, neque poteſt unitim cum aliis collegis: quod quum ita ſit, fac quempiam officio non defungi ſuo, doctrinis peregrinis abduci, moribus Ethnicis dehoneſtari, hæreſes diſſeminare, ſicuti a ſingulis collegis diviſim, ſic ab omnibus conjunctim, nec reprimi, nec in ordinem redigi, nec coargui, nec ab ſcelere deterreri, nec caſtigari, nec loco detrudi poterit. Rurſus præterquam quod ad plenaria cogi Concilia Epiſcopos vel ab initio, quo tamen multæ exortæ hæreſes ſunt, perſecutionum tempeſtate præpeditos, vel etiam num perſæpe malitia Potentum impedimenta apponente, facile nec erat, nec eſt, fac congregata tamen ire, quid tum eorum foret exitus expectandus, ſi quæ uni Epiſcopo ſententia probatur, alteri collegæ non placeat, neque ſupremus adſit præſes, aliiſque præſtantior, cui auſcultare omnes oporteat, atque potis ſit in ſuam omnes pertrahere ſententiam? quæ exinde quæſo fuiſſet D. O. M. providentia, ſi quum maxime neceſſitas poſtulat, eum regendæ Chriſtianæ Reipublicæ præſcripſiſſet modum, qui ad exitum perduci vel nunquam, vel difficile admodum potuiſſet? Ejuſmodi autem eſſet, ſi ab uniuſcujuſque Epiſcopi diviſim, vel ab omnium Epiſcoporum conjunctim ſententia rei Chriſtianæ exitus fuiſſet expectandus. Quod enim proferunt in erroris confirmationem ex S. Paulo, & Patribus, tam longe abeſt, ut ipſis præſidio ſit, ut potius obſit. Equidem S. Paulus Epiſcopos poſitos regere Eccleſiam Dei prædicat, quemadmodum S. Petrus 1. epiſt. 5, 2, *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem*, ſignificantes videlicet ſingulis demandatam ſingularum Eccleſiarum curam, cum quo commode ſtat uni præ aliis demandatam curam univerſæ, cujus dicto ſinguli omnes eſse obedientes debeant, ut ſatis ſuperque ex S. Scriptura eſt demonſtratum.

Quam vero Patribus appingunt, ſententia procul eſt pariter a recto eorumdem ſenſu. Tertullianus eo loci, dum Eccleſias omnes *Primas*, *&* *Apoſtolicas* dixit, eo ſenſu dixit, quod cum Eccleſiarum omnium Principe Romana, ac peculiari ratione Apoſtolica conjunctæ ſint: ait enim, *Primas, Apoſtolicaſque eſſe, dum unam omnes probant unitatem*: agit ſane ibi de Eccleſiis primitus ab Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris inſtitutis, ſive juxta ipſius phraſim, de Eccleſiis *Primitivis*, *Apoſtolicis*, *Matricibus*, *&*
Ori-

Originalibus, a quibus ceteræ enatæ ratione communionis, & unitatis dictæ ſunt pariter *Primæ*, & *Apoſtolicæ*: nam alioquin a Tertulliano S. Petri Primatum agnitum oſtendimus, oſtendemuſque ab eo agnitam pariter Romani Pontificis maximam in Eccleſia poteſtatem. S. Cyprianum laudatis locis loquutum de poteſtate extraordinaria, ſive eſſentiali, in eo ſita, ut ubique gentium Evangelium annunciare, Eccleſias inſtituere, ſacramenta adminiſtrare &c. poſsent, S. Petro Apoſtolos pares, non autem in poteſtate ordinaria, ſive accidentaria, uni S. Petro in Eccleſiam univerſam collata ſuperius §. 3. in Reſpon. ad object. adnotavimus; alioquin S. Petro Eccleſiæ Primatum a Chriſto concreditum Cypriani ſententiam fuiſse. Eo itaque ſenſu dixit S.Cyprianus *Epiſcopatum unum eſse*, quod idem non modo ſit ordinis caracter in omnibus Epiſcopis, ſed quod omnes Epiſcopi ſummo Præſidi, ſummoque Pontifici communione conjuncti eſse debent: quod *Epiſcopatus pars a ſingulis teneatur in ſolidum*, quia ſane unuſquiſque Eccleſiam ſingularem adminiſtrat; *in ſolidum* vero, quia ordo unus in omnibus, atque una, eaque cum dependentia, ac ſubordinatione ad ſupremum ſacrorum Principem, unitatis ſervandæ cauſsa, eſt in omnibus ratio adminiſtrandæ Eccleſiæ, quas omnes cum Romana matre omnium, ac magiſtra communione, veluti radios cum ſole, membra cum capite, rivos cum fonte (quas ſimilitudines adhibet S.Cyprianus libro indicato) conjungi omnino oportet. Sed de S. Cypriani ſententia luculentius in Proleg. art. 8. hujuſce part. 1. S. Hieronymus proculdubio Epiſcopis præfectum eſse, ac præeminentiorem ſummum Pontificem, ut ſupra dictum eſt, ac paulo infra art. 8. §. 1. dicetur, agnovit: quare loco in objectione laudato ita accipiendus eſt, ut affirmarit equidem Epiſcopum Romanum ejuſdem eſse, atque Epiſcopos ceteros ſive meriti, ſive Sacerdotii, ſive ejuſdem ordinis, characteriſque Epiſcopalis; non quod in pari Clavium poteſtate, atque juriſdictionis amplitudine eumdem ceteris Epiſcopis coæquarit. Ea enim in epiſt. ad Evangelum agens contra quemdam, qui præferre Presbyteris Diaconos non dubitabat, atque in ſui erroris defenſionem, morem, qui Romæ invaluerat, ut ad Diaconi votum Presbyter ordinaretur, adducebat, huic Urbis

Urbis abuſui contrariam totius Orbis conſuetudinem objecit, univerſæ Eccleſiæ Epiſcopos, ne Romano excepto, eodem ordine, & charactere inſignitos ajens, exindeque ſubinferens ubique gentium ſicut Presbytero Epiſcopum, ita Diacono Presbyterum longe præſtare: *Nec altera*], inquit, *Romanæ Urbis Eccleſia, altera totius Orbis exiſtimanda eſt ... ſi auctoritas quæritur, Orbis major eſt Urbe. Ubicumque fuerit Epiſcopus ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem meriti eſt, ejuſdem eſt, & Sacerdotii .... omnes Apoſtolorum ſucceſsores ſunt*. Quod poſtremo ex Apoſtolorum Conciliis argumentum producitur, potius quam opinionem ſuam confirmet, evertit, oppoſitumque evincit, videlicet penes Epiſcopos, etſi in Concilio congregatos, rei Chriſtianæ ſummam non ſtare. Quis enim Luca perhibente in Conciliis, quæ ab Apoſtolis celebrata commemorat, Apoſtolos, quos primo loco nominat, præcipuas præ ſenioribus partes obiiſse, obtinuiſseque inficias ibit? Quinimo quiſnam Conciliis Apoſtolicis S. Petrum præfuiſse, ſententiam primum protuliſse, cui cuncti adquieſceſcerent, ſignificaſse ſe delectum a Deo, qui rem Chriſtianam Gentes edoceret, cuique cunctæ auſcultarent; ideoque ſe Chriſtianæ Reipublicæ Præſidem, Chriſtianiſque rebus a Deo præfectum S. Luca tradente, ignorat? Quorſum igitur Oſores iſti Apoſtolorum Conciliis abutuntur, ut Concilio Acephalo, in quo nemo ſit ceteris auctoritate major, ſupremam in Eccleſia poteſtatem adjudicent? Sed de hoc argumento rurſus ſeq. art., & fuſius in Proleg. ad art. 2. His præhabitis jam probatur jacta propoſitio ſequenti articulo.

Ex Sacra Scriptura

ARTICULUS I.

EX Sacra Scriptura ita argumentum inſtauratur. Ex S. Scriptura S. Petrus Chriſti Domini vices in terris geſſit, igitur qui Succeſſor eſt Petri, eaſdem Chriſti Domini vices in terris gerit: atqui Romanus Pontifex ſucceſſor eſt Petri, itaque vices Chriſti Do-

Domini in terris gerit: gerere autem Chriſti Domini in terris degentis vices, quid eſt aliud quæſo, quam in Eccleſiam univerſam ſuprema fungi poteſtate, qua functus eſt Chriſtus? antecedens ſuperiori articulo ſatis ſuperque oſtenſum eſt, oſtendenda jam minor aſſumta. S. Petro, tamquam ſui Vicario Chriſtus Dominus Claves regni Cælorum concredendo, eidem ſuam Eccleſiam ſuperſtruendo, curam paſcendi agnos, oveſque ei committendo, eique confirmandi in fide Fratres ſpartam commendando, dubio procul omni ſupremam ei poteſtatem, Eccleſiæque Primatum contulit, cujus quidem conſectaria ea eſſent, ut eſſet in fide, infallibilis, atque in Eccleſia ſuper omnes potis, ut ſupra oſtendimus: atqui eamdem poteſtatem, eumdem Primatum, eaſdemque prærogativas ſucceſſoribus S. Petri Romanis Pontificibus Chriſtus Dominus concredidit: & evincitur. Eadem Eccleſia, Chriſti uſque in ſupremum mundi ævum ex Chriſti ipſius promiſſione duratura eſt, *& portæ Inferi*, ut inquiebat ipſe, *non prævalebunt adverſus eam*: in Eccleſia Chriſti perpetuo oves paſcendæ erunt; atque Chriſtifideles in Chriſti fide confirmandi, quibuſque Cælorum januæ aperiendæ: igitur ex Chriſti inſtitutione S. Petrus futurus erat perpetuum Eccleſiæ fundamentum, perpetuus ovium Paſtor, perpetuus Fidei confirmator, perpetuus Cælorum janitor: nam ædificii perpetui perpetuum eſt fundamentum: perpetui Gregis perpetuus eſſe debet Paſtor: perpetuæ Fidei perpetuus oportet ſit confeſſor, interpres, aſſertor, judex, confirmator, vindex. At in propria ſui perſona id omne S. Petrus eſſe non poterat: ergo fuerit in perſona ſuorum Succeſſorum, Romanorum ſcilicet Pontificum, neceſſe omnino eſt. Aliter. Ex Chriſti Domini inſtitutione Eccleſiaſticæ Hierarchiæ regimen eſt Monarchicum: at in regimine Monarchico unum ſummum Principem agere neceſſe eſt: hujuſmodi itaque poſt S.Petrum agit perſonam Romanus Pontifex. Major ex præfatis ſatis pateſcit, & a noſtratibus Theologis multa argumentorum copia eſt propugnata, ſic autem uno, aut altero verbo probatur. Eadem, quam Chriſtus inſtituit, Eccleſia duratura eſt in ævum: at Eccleſiam Chriſtus inſtituens, ejuſdem Caput, quoad vixit, & Princeps ipſe extitit: igitur ejuſmodi inſtituit, ut in ea juge Caput, & perpetuus

tuus Princeps eſſet: at Eccleſia ejuſmodi, in qua perpetuo Caput, & Princeps extet, modis omnibus eſt Monarchica. Quare ſiquis id neget, & malit aſſerere Chriſti Eccleſiam eſſe mutatam, næ is adverſatur fidei articulo: *Credo unam SanƐtam Eccleſiam.* Confer S. Thomam loco ſupra indicato, & Boſſuetium inſtruƐt. de divin. promiſſ. argumentum hoc amplificantes.

Hoc vero ita conſtituto, firmatoque fundamento conſectaria cetera ita quoque firmantur, & conſtituuntur: atque inſtauratur argumentum. Ille plane in rebus, cum fidei, tum morum finiendis, Eccleſiæque univerſæ dicendis inerrantiæ privilegio gaudet, quem Chriſtus firmiſſimum Eccleſiæ ſuæ fundamentum conſtituit, adverſus quem propterea Inferi portæ non ſunt prævaliture, ideſt errores, vel hæreſes, ut S. Epiphanius in Anchor. expoſuit; cui confirmandi in fide Fratres curam demandavit, pro cujuſque fide, ne deficeret, rogavit; ideſt in veritatis orthodoxæ, morumque Chriſtianorum regulis ſtatuendis, ut S. Bernardus epiſt. 190. explicavit; in quem agnos, oveſque paſcendi munus tranſtulit; ideſt Laicos, & Sacerdotes verbo ſcripto, & tradito, ut S.Ambroſius interpretatus loco ſupra laudato eſt; cuique demum Claves regni Cælorum concredidit; ideſt jus ligandi, & ſolvendi cenſuris, & remiſſionibus, ut vulgo habent interpretes: atqui id omne in Romano Pontifice Chriſtus perfecit: is igitur inerrantiæ privilegio gaudet. Enim vero qualis eſſet ædificii firmitas, ubi fundamenti nutaret ſoliditas? Quomodo Chriſtifideles in fide Chriſti is confirmaret, cujus infirma eſſet fides, ac defectibilis? Quænam paſcua Gregi rationali ſuppeditarentur, ſi neque a noxiis præcavere ſibi poſſet Paſtor, a quibuſque abſtinendum, ad quæque adducendum Gregem neſciret? Quis demum is eſſet Clavium uſus, quando præpoſtere agendo clauderet, quibus aperiendum, aperiret, quibus foret claudendum? Iterum. Ille Eccleſia univerſali etiam in Concilio coacta ſuperior exiſtit, eamque ſupereminet, quem ejuſdem Eccleſiæ fundamentum Chriſtus conſtituit, cui, Eccleſiæ univerſæ ut fidem confirmaret, mandavit, cujus non defuturam fidem ſpopondit, quemque Eccleſiæ toti Paſtorem præfecit: is eſt Romanus Pontifex: igitur. Confer Canones Arabicos 39. ex verſione Turriani; & 71.verſ.Ecchel-

 len-

lenſis Concilii Nicœni, quibus nuncupatur Pontifex, mox *Caput*, & *Princeps* omnium Patriarcharum, (etſi tunc necdum audiebatur Patriarchæ nomen) mox *Rector omnium gentium*. Sardicenſis can. 3, & 5, & epiſt. Synod., ubi *ad Caput*, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem, undique referendum dicitur. Conſtantinopolitani I. can. 3, quo primæ partes Romano Pontifici adjudicantur. Epheſini I. act. 2, ubi Pontifex vocatur poſt S. Petrum *Caput*, *Princeps*, *fundamentum Eccleſiæ*, *& fidei Columna*. Chalcedonenſis act. 1, & 3, in quibus Pontifex uti Eccleſiarum omnium *Caput* eſt agnitum, eique acclamatum, tamquam qui S. Petri vices perſonamque gereret, atque Eccleſiæ *Petra*, *Crepido*, *& fundamentum* eſſet. Conſtantinopolitani II. act. 4, ubi Epiſcopi ſibi Apoſtolicæ Sedi obediendum omnino fatentur. Conſtantinopolitani III. act.8, in qua ab S.Agathone principalis, & Apoſtolicæ Sedis Antiſtite, tamquam per *os Principis Apoſtolorum S. Petri*, definitis ſe adquieſcere Patres profitentur. Nicœni II. act. 1, in qua ſe Hadriani litteras ſequi, & ſuſcipere Synodus conteſtata eſt. Conſtantinopolitani IV. act. 1, & 2, in quibus decreta Romani Pontificis veluti a S. Petro non modo, ſed a Chriſto D. condita agnoſcuntur. Mitto Synodos particulares in Oriente celebratas, de quibus alibi. Confer Occidentalis Eccleſiæ Concilia, Lateranenſe ſub S. Martino I. ſecret. 1, & 2, Lateranenſe III. ſub Alexandro III. can. 1, Lugdunenſe I. ſub Innocentio IV. ſeſſ. 3. in ſenten. adv. Fridericum II. Imp., Lugdunenſe II. ſub B.Gregorio X. ſeſſ.4, Conſtantienſe ſeſſ.ult. ſub Martino V, Florentinum ſub Eugenio IV. ſeſſ. ult., Lateranenſe V. ſeſſ. 11. ſub Leone X, Tridentinum ſeſſ.7. can.3. de baptiſ., ſeſſ.14.cap.7. de pœnit., ſeſſ. 24.cap. 1, & ſeſs. 25. capp.1, 2, & 21. de reform.: Mitto quoque Synodos provinciales, de quibus ſuo loco, non ſecus ac SS. PP., & Rom. Pontificum teſtimonia, quæ infra promenda erunt. Confer interea Juris Canonici diſt. 11. cap. *Conſequens*: 12. cap. *Præceptis*: 17. cap. *Concilia*: C. *Nec licuit*: 19. cap. *Sic omnes*: 21. cap. *Quamvis*, & cap. *Nunc autem*: 22. cap. *Definimus*: 40. cap. *Si Papa*: C. *Non nos*: 50. cap. *Fidelior*: 81. cap. *Si quis*: 93. C. *Qui Cathedram*; & C. *Si inimicus*. Cauſ. 2. q. 6. cap. *ad Romanam*, & cap. *Ideo*. 9. q. 3. cap. *Conqua-*

quaeſtus: cap. *Cuncta*: cap. *Nemo*: C. *Patet*: C. *Ipſi ſunt*. 17. q. 4. cap. *Si quis*: cap. *Nemini*. 24. q. 1. cap. *Rogamus*: cap. *Quoties*: cap. *Loquitur Dominus*: cap. *Non turbatur*. 25. q. 2. cap. *Si quis*. Caput *Quoniam* de conſtit, cap. *Bonæ memoriæ*: 2. de poſtul. Prælat., cap. *Ubi* de elect. in 6. cap. *Significaſti* ibidem: cap. *Solitæ*: cap. *Novit* de Judiciis: cap. *Damnamus* de Summa Trinit., & cap. *Antiqua* de privilegiis: junctis Gloſſa, & Interpretibus ibidem.

Neque hic obtrudant Buddeus, Salmaſius, Spalatenſis, Richerius, Launojus, Dupinius, ceterique hujuſcemodi ſublestæ fidei homines, ex laudatis Scripturæ locis non certe poſſe inferri prærogativas Romanis Pontificibus attributas, id eo, quod a SS. Patribus textus illi variemode explicentur: nam ſatis ſuperque oſtendimus a nullo Patrum excludi ſenſum iis locis tributum, imo a potiori Patrum cohorte eum ſenſum attribui. Ita namque (ut repetam verbo, atque ex his, & ſuperioribus, & ſequentibus habeas veluti oculis ſubjectam eorum ſynopſim, quos longo catalogo proſequemur, prætermiſſis hic, quae ex Conciliis, atque ex jure Canonico teſtimonia exponi poſſent, quorum pleraque tibi recolenda ex paulo ſuperius tradita ſylloge relinquo,) ita, inquam, laudatis locis eum ſenſum attribuunt: Ex Græcis Patribus Origenes hom. 5. in Exod., hom. 16. in Matth., & in cap. 6. ad Roman., Firmilianus Epiſt. ad S. Cyprianum, S. Athanaſius apolog. 2, & in hiſt. Arian., S. Epiphanius in Anchorato, & hæreſ. 59, S. Gregorius Nazianz. orat. de moder. in diſp., S. Baſilius in cap. 2. Iſaiæ, & lib. 2. adv. Eunom., Auctor. hom. de pœnitent. apud eumdem S. Baſilium, S. Chryſoſtomus hom. 55, & 83. in Matth., hom. 3. in Act. Apoſt., & hom. 9. de pœnit., S. Cyrillus Alex. lib. 4. de Trin., & lib. 2. in Joann. cap. 17, S. Cyrillus Hieroſol. Cath. 2, Theodoretus epiſt. ad S. Leonem, S. Ephrem Syrus in Panoplia, Philo Carpathius in Cantica, S. Nilus epiſt. ad Euſebium, Caſſianus lib. 3. de Incarn. cap. 12, Maximus Epiſc. Conſtantinop. epiſt. ad Orientales, S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 142, & 235, Baſilius Seleuc. ſer. 4. in Davidem, Victor Antiochenus in capp. 3, & 8. Marci, S. Maximus Monachus Dialog. de Incarnat. Verbi,

Stephanus Dorenſis epiſt. ad S. Martinum Pap., S. Joann. Damaſcenus orat. de Transfigurat. Domini, S. Theodorus Studites epiſt. ad S. Paſchalem I, S. Ignatius Conſtantinop. Epiſc. epiſt. ad Hadrianum II, Theophylactus in 16. Matt., 22. Luc., & 21. Joann., Michael Syncellus in Dionyſio Areopagita, Pſellus in Cantic., Oecumenius in cap. 1. Act. Apoſt., & in cap. 1. epiſt. ad Galat., Euthymius in cap. 16. Matth., 16. Marci, & 21. Joann., Nilus Theſſalon. de Primatu Papæ, Theodorus Balſamon in Can. 16. Concilii Carthagin., Nicephorus lib. 2. hiſt. cap. 44, Gennadius Scholarius de Primatu Papæ ſect. 2, aliique ſuo loco laudandi.

Ex Latinis S. Cyprianus epiſt. ad Jubajan., & lib. de unit. Eccleſ., Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 21, & Scorp. cap. 10, S. Zeno Veron. ſerm. de Circumciſione, S. Ambroſius ſerm. 47. de fide Petri, & lib. 6. in Luc. 24, Prudentius in hymno de S. Laurentio, S. Optatus lib. 1. contra Parmen., S. Pacianus epiſt. 3. ad Sympronianum, S. Hieronymus in cap. 16. Matth., lib. 1. adv. Jovinian., lib. 1. Dialog. adv. Pelag. cap. 4, epiſt. 54. ad Marcellam, & 57. ad S. Damaſum, S. Auguſtinus tract. 56, & 124. in Joann., lib. 2. de baptiſm. cap. 1, in pſal. 108, & lib. 1. Retract. cap. 21, S. Maximus Taurin. hom. 1. in Natali SS. Petri, & Pauli, & hom. 3. de eiſdem, Philippus Presbyter in Concilio Epheſino, S. Petrus Chryſologus ſer. 53, 78, 107, & 157, S. Eucherius Lugdun. hom. de Natali Apoſt., Auctor. lib. de vocat. Gentium lib. 2. cap. 28, Poſſeſſor Epiſc. African. epiſt. ad S. Hormiſdam, Caſſiodorus lib. de amicitia, S. Iſidorus Hiſpal. de vita, & morte Sanct. cap. 69, & de offic. Eccleſ. lib. 2. cap. 5, Ven. Beda in cap. 22. Lucæ, 13. Joannis, hom. in vigilia Apoſtol., & hom. in die SS. Apoſt. Petri, & Pauli, Alcuinus in cap. 21. Joannis, Rabbanus Maurus in 16. Matth., & ultim. Joannis, Lupus Ferrarienſis epiſt. 84, Eulogius Toletanus in memoriali Sanctorum, S. Petrus Damianus ſer. 1. de S. Andrea, S. Anſelmus in 16. Matth., Ivo Carnot. epiſt. 54, Honorius Auguſtodun. ſerm. de SS. Petro, & Paulo, Rupertus lib. 1. de Trin. cap. 25, & lib. 9. de Proceſs. Spiritus Sancti cap. 18, Hugo Victorin. ſerm. 64. de Apoſtol. Petro, & Paulo, S. Bernardus lib. 2. de Conſid. cap. 9, & epiſt. 237. ad Eugenium III, Potho Prumienſis lib. 1. de ſtatu do-

domus Dei, Hugo Etherianus lib. 3. de proceſſ. Spiritus Sancti cap. 17, Jacobus de Vitriaco hiſtor. Oriental. cap. 75, Albertus Magnus in capp. 10, & 16. Matth., S. Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 32, aliique innumeri, quorum loca alibi dabimus. Accedunt his Romani Pontifices, qua ſapientia, & qua ſanctitate præſtantes quam maxime, qui non tam ſuam, quam Eccleſiæ cauſſam agentes, eadem privilegia ex laudatis S. Scripturæ locis de S.Petro prædicarunt. Sunt vero inter alios S. Julius I. epiſtola genuina ad Orientales apud S. Athanaſium; S. Damaſus epiſt. ad Orient. apud Theodoretum, S. Siricius epiſtola tractatoria ad Afros Epiſcopos, quam contra Queſnellum diſſert. 15. in opera S. Leonis vindicant Schelestratius, Natalis, & Pagius; S. Innocentius I. epiſt. ad Victricium Rothomag., S. Leo Magnus ſerm. 2, & 3. in anniverſ. ſuæ aſſum., S. Simplicius epiſt. 4. ad Zenonem Imp., S. Felix III. epiſt. 4. ad Petrum Cnapheum, S. Gelaſius epiſt. 11. ad Epiſcop. Dardaniæ, S. Gregorius M. lib. 1. epiſt. 24, lib. 3. epiſt. 33, lib. 4. epiſt. 32, lib. 6. epiſt. 37, & hom. 21. in cap. 16. Marci, S. Agatho epiſt. ad Conſtant. Imper., S. Zacharias epiſt. ad Vittam, Stephanus III. epiſt. ad Carolum Regem Francorum, Hadrianus I. epiſt. 3, S. Nicolaus I. epiſt. 6, & epiſt. ad Mediolanenſes, Joannes VIII. epiſt. 75. ad Michaelem Bulgar. Regem, S. Leo IX. epiſt. 1. ad Michaelem Conſtantinop., & Leonem Acridanum, & epiſt. 5. ad Petrum Antiochenum, Alexander II. in Synodo Romana, S. Gregorius VII. lib. 8. epiſt. 21. ad Herimannum Epiſc. Metenſem, Alexander III. epiſt. ad Epiſcop. Tuſciæ, & epiſt. 48. ad Indorum Regem, Innocentius III. ſerm. in feſto S. Gregorii Papæ, & lib. 1. Myſter. Miſsæ cap. 8, Pius II. Conſtit. *In minoribus*. Mitto ceteros, ne ſim longior, nam multam paulo poſt, maximam vero partem par. 2. referemus.

Neque iterum obtrudant hic adverſarii laudatos S. Scripturæ textus id evincere de S.Petro, non etiam de Romanis Pontificibus, quandoquidem illi quidem, non iſtis ejus generis prærogativas a Chriſto Domino collatas pronum eſt, ac parcius dicere. Verum enim vero Eccleſiam Romanis Pontificibus, æque atque S. Pe-

S. Petro a Chriſto Domino ſuperſtructam, atque non ſecus ac S. Petrum Romanos Pontifices conſtitutos in Eccleſia a Chriſto fidei fundamenta, contra quam portæ inferi non prævalerent: iſtis, non ſecus ac illi curam confirmandi in fide Fratres concreditam, pro qua, ne deperiret, rogavit Dominus: uni, alteriſque regni Cælorum Claves concreditas, paſcendique Gregis operam, provinciamque impoſitam ex verbo Dei ſcripto docuit ſane jugis, nec uſquam interrupta SS. Patrum traditio, quorum quanti in Sacrarum Scripturarum intelligentia, ac ratione interpretandi facienda ſit auctoritas nemo neſcit; iſque unus inficias ibit, negabitque, qui aut quomodo nunc Novatorum quamplurimi a Majorum ſuorum, qui ſolis agi ſcripturis volebant, recepto more recedentes, iis modo ſemotis rem omnem una confici ratione contendunt, quos hic non moror, ſed caſtigandos magis dimitto a doctiſs. P. Anſelmo Deſing diſquiſit. libri *Spiritus Legum* par. 3, de *Præjudiciis repreh.* p. 2, de *Regno rationis* par. 3, S. Scripturas minoris, aut imo nihili faciat: aut quomodo Dallæus, Rivetus, Barbeyracius, hujuſque furfuris homines, præjudiciis, ac ſtudio hæreticarum partium abſtractus, abreptuſque SS. Patres minori, quam par ſit, orthodoxumque hominem deceat, in pretio habeat. Ita enim, ut brevi catalogo comprehendam, quos fuſiori calamo ſuo loco perſequemur, dixerunt, ſcripſerunt, crediderunt SS. Patres.

Vel qui primo S. Petri ſucceſſorem Romanum Pontificem, aut Sedem Pontificis Romani Sedem S. Petri, atque eamdem poteſtatem ſupremam, ac principalem nominant, uti ex Græcis S. Irenæus lib. 3. adv. hæreſ. cap. 3, Origenes in pſal. 1, & in cap. 6. ad Rom., S. Athanaſius apologia 2. adverſ. Arianos, Epiſcopi Syn. Sard. epiſt. ad S. Jul. I. apud S. Hilar. 4. frag., S. Cyrillus Hieroſolym. Cath. 2., Theodoretus epiſt. ad S. Leonem, Acacius Conſtantinop. Epiſcopus epiſt. ad S. Simplicium Papam; Epiſcopi Orientales in profeſſione fidei poſt Schiſma Acacii; Orientales Monachi epiſt. ad S. Agapetum, Eutychius Conſtantinop. Epiſc. epiſt. ad Vigilium, S. Theodorus Studites epiſt. ſuo, & Monachorum nomine ad S. Paſchalem I. inſcripta, & epiſt. ad Leonem III, S. Maximus Abbas, & Martyr epiſt. ad Thalaſſium Abbatem,

tem, Anaſtaſius S. Maximi diſcipulus apud Gennadium Scholarium de Primatu Papæ ſect. 8, S. Sophronius Epiſcopus Hieroſolymit., Sergius Epiſcopus Cypri in Synodica ad Theodorum Pap., Epiſcopi Synodi VI. epiſt. Synodica ad S. Agathonem; Joannes Patriarcha Conſtantinopolit. epiſt. ad Conſtantinum Pap., Tharaſius Conſtantinopolit. Patriarcha in Synodo Nicœna II. act. 2, S. Joannes Damaſcenus orat. de Transfiguratione, S. Methodius Conſtantinopolit. in Concil. Florent. ſeſſ. ult., Gennadius Scholarius lib. de Primatu Papæ capp. 9, & 16. Ex Latinis vero S. Cyprianus epiſt. 52, & 55. ad S. Cornel., S. Optatus lib. 2. contra Parmen., S. Ambroſius in 1. Timoth. 3, & epiſt. 81. ad S. Siricium, S. Auguſtinus epiſt. 126, nunc 43, in pſal. contra partes Donati, & lib. 1. contra Pelagian. cap. 4, S. Hieronymus lib. 3. adver. Ruffin. capp. 5, & 6, & epiſt. 57. ad S. Damaſum, Philippus Presbyter in Synodo Epheſina act. 16, S. Maximus Taurin. hom. 2. de Natali S. Laurentii, Legati S. Leonis in Synodo Chalced., Poſſeſſor. Africanus Epiſc. epiſt. ad S. Hormiſdam, Epiſcopi Provinciæ Arelatenſis epiſt. ad S. Leonem apud Baronium ad an. 450, Africani Epiſcopi epiſt. ad Theodorum Papam, Vincentius Lirin. Comm. 1. cap. 5, S. Proſper Carm. de ingrat. cap. 2, & lib. contra Collat. cap. 41, S. Fulgentius lib. de Incarn. cap. 11, Epiſcopi Dardaniæ epiſt. Synodica ad S. Gelaſium, S. Eugenius Carthagin. Epiſcopus apud Victorem Vitenſem lib. 2. de Perſecutione Vandal., S. Ennodius Ticinenſis lib. de Synodis, S. Cæſarius Arelat. epiſt. ad S. Symmachum, Epiſcopi Provinciarum 4. Africæ Synodica ad Theodorum Pap., Liberatus in Breviario cap. 22, S. Bonifacius Epiſcopus Moguntinus epiſt. ad S. Zachariam, & epiſt. ad Stephanum II, Alcuinus lib. de Divin. Off. cap. 19, Paulinus Aquilejenſis lib. adverſus Felicem Urgelit., Ambroſius Anſpertus epiſt. ad Stephanum Pap. præfixa comment. in Apocalyp., S. Anſelmus Lucenſis lib. de Incarn. cap. 7, Æneas Epiſcopus Pariſienſis opuſc. adv. Græcos, S. Anſelmus Cantuar. Epiſc. epiſt. ad Epiſcopos Angliæ, Potho Prumienſis de ſtatu domus Dei lib. 1, Hugo Etherianus lib. 3. de proceſſ. Spiritus Sancti cap. 17, Albertus Magnus in cap. 16. Matth, S. Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 32, S. Laurentius Juſtinian. de obedien-

dientia cap. 12, S. Joannes a Capiſtrano in opuſc. de poteſt. Concil., & Papæ. Ita innumeri: unde videant qui aliis interpretationibus delectantur, num in eodem, atque Tertullianus verſentur errore, qui poſtquam Montani in partes deſcendiſſet lib. de pudicit. cap. 1, ut Romanis Pontificibus Claves ligandi, & ſolvendi a Chriſto per S. Petrum traditas eriperet, dicere non erubuit id privilegii fuiſse Petri perſonæ dumtaxat conceſſum, in Romanos Pontifices neutiquam transferendum.

Vel qui 2. S. Petri perſonam, imo Chriſti Domini Vicariam Poteſtatem in Romano Pontifice agnoverunt, aut dicta de S. Petro, de Romano Pontifice dicta perinde a Chriſto Domino intelligenda jubent, uti ex Græcis Origenes hom. 5. in Exodum, S.Gregorius Nazianz. in Carm. de vita ſua, S. Joannes Chryſoſt. loc. ſupra citat., S. Baſilius epiſt. data Sabino Diacono ad Romanum Pontificem, Maximianus Epiſc.Conſtantinop. epiſt.ad Orientales, Theodoretus epiſt. ad Renatum Presbyterum, Joannes Conſtantinop. Epiſcopus epiſt. ad S. Hormiſdam, Monachi ſecundæ Syriæ epiſt. ad eumdem Hormiſdam, Sophronius Hieroſol. epiſt. ad Honorium Papam, Stephanus Dorenſis in libello ad S. Martinum I, Sergius Cyprius epiſt. ad Theodorum, S. Theodorus Studita epiſt. ad Michaelem Imper., & epiſt. ad Naucrazium, cujus teſtimonium adverſus Græcos Schiſmaticos protulere Gregorius Protoſyncellus in apologia adverſus Marcum Epheſin., & Gennadius Scholarius Patriarcha Conſtantinop. pro Concil. Florent. cap. 5, S. Ignatius Conſtantinop. Epiſcopus epiſt.ad S.Nicolaum I. lecta act. 3. Synodi VIII, Theophylactus, & Euthymius loc.cit. E Latinis Tertullianus lib. adverſus Praxeam, S. Pacianus epiſt. ad Sympronianum, S. Ambroſius in 24. Lucæ, Prudentius carm. de S. Hippolyto, S. Hieronymus epiſt. 57. ad S.Damaſum, Ruffinus in expoſit. Symboli, S. Auguſtinus epiſt. 162, & 165, S. Petrus Chryſologus epiſt. ad Eutychetem, Epiſcopi provinciæ Tarraconenſis epiſt. Synodica ad S. Hilarum Papam, S. Avitus Viennenſis Epiſcop. epiſt. ad Senatores, Poſſeſſor Africanus Epiſcop. epiſt. ad S. Hormiſdam, Eulalius Carthagin. Epiſcop. epiſt. ad Bonifacium II, Epiſcopi 4. Provinciar. Africæ epiſt. ad Theodorum, Jonas Monachus in vita S.Euſta-

ſtachii cap. 5, Ven. Beda hiſt. Angl. lib. 3. cap. 25, Jonas Aurelianenſis lib. 3. de cultu Imag., Rabanus Maurus Carm. de laude Crucis ad Gregorium IV, Regino Prumienſis in Chron. ad an. 865, S. Petrus Damiani epiſt. 11. ad Nicolaum II, S. Anſelmus lib. adverſus Guibertum, Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis cap. 43, S. Bernardus lib. 3. de Conſid. cap. 8, epiſt. 190. ad Innocentium II, & ſerm. de S. Joanne Baptiſta, Albertus Magnus in 22. Lucæ, S. Thomas 22. q. 1. art. 10, S. Bonaventura par. 6. Breviloquii cap. 12; uno verbo latini ſermonis innumeri ſcriptores, & de ſchola Theologi, & S. Scripturæ interpretes, & juris Canonici conſulti. Hinc Boſſuetius, etſi non multum æquus Pontificibus, veritate tamen adactus in oratione habita ad Clerum Gallic. in Comitiis celeberrimis an. 1682. collectum, unde percelebris illa declaratio de Poteſtate Eccleſiaſtica emanavit, *Non audiendum ei*, ait, *qui diceret cum Petri perſona extinctum Petri miniſterium: illud enim, quod Eccleſiæ æternæ eſt firmamentum, finem habere non poteſt.... Petrus*, inquit, *ſemper loquetur in ſua Cathedra. Hanc veritatem confirmarunt* 600. *Epiſcopi Synodi Chalcedonenſis: Roma ut Religionis, Eccleſiæque Caput foret prædeſtinata, ea de re Petri Eccleſia ut foret oportuit; atque ita Romæ Cathedra æterna conſtituta eſt. Quamobrem Eccleſia Romana a Petro, ejuſque ſucceſſoribus edocta nullam unquam hæreſim amplexa eſt.... Ita Romana Eccleſia ſemper Virgo permanſit, ac Romanæ Eccleſiæ fides ſemper univerſæ Eccleſiæ fides extitit. Semper creditur id, quod ſemper creditum eſt; eadem vox ubique perſonat, & Petrus in ſuis ſucceſſoribus ſemper Chriſtifidelium eſt fundamentum. Id Chriſtus dixit, Cæli, & Terra tranſibunt, verba autem ejus non præteribunt.* Hæc ille: unde non erat cur a ſemet diverſus una cum Dupinio, Launojo, Natali, Tournellio &c. diceret: ea Chriſti verba: *Rogavi pro te* &c. de fide perſonali Petri eſſe accipienda, quæ proinde in ejuſdem ſucceſſores cum poteſtate non tranſierit: nam S. Petro non modo, ſed S. Petri perinde ſucceſſoribus eam promiſſionem factam, idemque indefectibilitatis in fide privilegium a Chriſto collatum docuere Patres ſuperiori numero relati, ac Pontifices quamplurimi mox referendi.

Poſtremo qui S. Petro collata privilegia eadem in Romanis Pontificibus conſiſtere integra, atque intemerata; ita ut quid quid ille potuit, poſſint iſti, atque ita univerſorm ſit juris, quod unius quondam fuerat ſpeciali modo, cujus partes forent, jus in omnes dicere, juri nullius ſubjacere: cogere Concilia, condere Canones :licere ad ipſos appellare omnibus; nulli licere appellare ab ipſis, aliaque id genus, de quibus fuſe part. 2. per totam, docuere ex Græcis Origenes in 16. Matth.; S. Athanaſius apolog. 2. contra Arianos; S. Dionyſius Alex. epiſt. ad Roman. apud Euſebium lib. 4. cap. 22; S. Baſilius epiſt. 52. ad S. Athanaſium; S. Gregorius Nazianz: epiſt. 2. ad Cledonium; S. Chryſoſtomus epiſt. ad S. Innocentium I, & hom. de Petro, & Elia; S. Cyrillus Alex. epiſt. ad S. Cæleſtinum; Socrates lib. 2. hiſt. Eccleſ. capp. 5, & 11., & lib. 4. cap. 30.; Sozomenus lib. 3. capp. 7, & 9; lib. 4. cap. 15., & lib. 6. cap. 22.; S. Epiphanius Hæres. 51, 68, 72, & in Anchorato; Theodoretus epiſt. 116. ad Renatum, & lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 22; Flaccianus Epiſcop. Rhodopenſis epiſt. ad Petrum Cnaph., S. Theodorus Studites epiſtolis ad S. Paschalem I, ad Michaelem Imp., & ad Naucrazium; S. Ignatius Conſtantinopolit. Epiſcop. epiſt. ad S. Nicolaum I; Simeon Metaphraſtes in vita S. Stephani Junioris; Joſephus Patriarcha Conſtantinop in Synodo Flor. ſeſſ. ult.; Gennadius Scholarius loco citato, aliique ſupra laudati. E Latinis Tertullianus lib. adv. Praxeam, Scorpiaci cap. 10, & lib. 4 contra Marcionem; S. Cyprianus lib. 1. epiſt. 3, & 8.; lib. 2. epiſt. 12, lib. 4. epiſt. 2, 8, & 9, & lib. de unitate; unde ſine cauſa Eraſmus dubitavit, quæ de Pontificis Romani Primatu fuerit S. Cypriani ſententia, eo, quia S. Cornelium *Fratrem* appellarit, quum videre facile potuerit eodem *Fratris* nomine frequens appellatum eumdem S. Cyprianum a ſuis Presbyteris, & Clericis; S. Hilarius in Pſal. 131.; S. Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 1, in cap. 9. Lucæ, & epiſt. 78. ad Theophilum; S. Hieronymus epiſt. 57. ad S. Damaſum, Dialogo contra Lucifer, & epiſt. ad Pamach., & Oceanum; S. Auguſtinus lib. contra epiſt. Fundamenti cap. 4., epiſt. ad S. Innocent. I., lib. 2. de Baptiſm. cap. 1., lib. 1. ad Bonifac. cap. 1., & epiſt. 157, 165, & 171; S. Optatus loc. cit.; Poſſidius in vita S. Au-

S. Auguſt. cap. 18.; Victor Carthagin. epiſt. ad Theodorum Pap.; Caſſiodorus lib. 11. epiſt. 2. ad Joannem Pap.; Joannes Ravennas epiſt. ad S.Gregorium Magnum; S. Iſidorus Hiſpal. præfat. in collect Concil. ;Walafridus Strabo de rebus Eccleſ. capp. 22, & 31; Strabus Fuldenſis in Gloſſa ordinaria 2. Paralipp. 17.; S. Burchardus VVormatienſis lib. 1. cap. 42; S. Petrus Damiani in vita S. Barbatiani, in vita S. Vitalis, & loc. cit.; Lanfrancus Cantuar. lib. de Corp., & Sang. Domini; Hincmarus Remenſis epiſt. ad Hadrianum II.; Ivo Carnot. epiſtolis 48, 71, & 83,; S. Bernardus loc. cit.; V. Petrus Cluniac. lib. 6. epiſt. 14, & 44. ad Eugenium III.; S. Hildegardis epiſt. ad eumdem Eugenium, & epiſt. ad Alexandrum III.; Petrus Bleſenſis epiſt. 45. ad Pontif. Rom.;Alexander Alenſis p. 3. q. 40. memb. 2.;Vincentius Bellovacenſis prologo ſpecul. cap. 13. Albertus Magnus in 16. Matth., & 22. Lucæ; S. Thomas de regim. Princip. cap. 14.,ſi tamen ejus eſt opus, 22. q. 1. art. 10., & q 39. art. 1.;S. Bonaventura Breviloq. p. 6. cap. 12, aliique, quos ad unum perſequi modo non vacat, quique longo catalogo deſcripti adiri poterunt apud Jodocum Coccium Theſauri Cathol. lib. 7. de Hierarch. Eccleſ., Sanderum lib. de viſib. Eccleſ. Monarch., Suarezium diſput. 10. de Sum. Pontif. ſect. 2., Bellarminum lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 16., ac præſertim apud Perronium in reſponſ. ad magnæ Britanniæ Regem cap. 25., quibus attexere eſt juris Canonici, & Sacræ Scripturæ interpretes in cit. textus.

Prælaudatis teſtimoniis, magna eruditionis copia innumera adjecit exempla Petrus de Marca lib. 1. Concor. cap. 8, & ſeqq., vir alioquin erga Pontifices Romanos aſſentationis ſuſpicione minime aſperſus, quibus ſub oculos poneret a primis ævis ſupremi in Eccleſia Primatus provinciam a Romanis Pontificibus egregie exornatam,ejuſdemque Primatus partes omnes modis omnibus expletas, quod ante, & poſt ipſum præſtitere viri numero plures, doctrinaque præſtantiſſimi, quorum a nobis laudes ſuo loco ſunt celebratæ. Haud me latet quoſdam non deeſſe, qui vel Catholici audiri volunt, neque tamen erga Pontifices animo optime affecti ſunt, a quibus argumenti declinandi gratia id effugii quæſitum eſt,ut dicerent nec Patres, nec Ponti-

ſices ſatis Scripturæ Sacræ iis in locis aſſecutos ſenſum, quibus alium præferri putant, quam qui de Pontificis Romani privilegiis præſumitur. Verum Oſores iſti hoc reſponſum habeant. Recens Hetherodoxorum ſyſtema eſt, ad aſſequendam Sacræ Scripturæ intelligentiam nec ſpiritui privato fore auſcultandum, nec privatis doctoribus attendendum, neque imo majorum dictis ſtandum, deferendumque, ſiquidem id omnino eſſet, atque ſit alieno ſenſui miſerrime deſervire: magis igitur ducem ſequi naturalis rationis lumen oportere, iſtudque tum Spiritus Sancti adſiſtentiæ, ut ajunt, tum majorum ſententiæ longe anteponendum eſſe. Ejuſmodi excogitatum invexere Joannes Halles in lib. Anglice exarato, & Londini an. 1653. edito, & deinde an. 1707, & 1708. recuſo, & Duker publicis datis theſibus anno 1686., ſectati ſunt poſtea Poiretus, Veigelius, Schuveinfeldus, Vejerus, Coccejus, & alii; aliis tamen, ut obſervavit doctiſſ. Blanchus, ex ipſis Proteſtantibus contra pugnantibus apud Joannem Wolphangum Jægerum in ſuo *examine novæ Theologiæ* an. 1707. evulgato, ac præſertim Voetio, & Deſmaret. Videant igitur num ſyſtemati huicce ab ſe pariter ſit ſubſcribendum, dum aliter, quam interpretati Majores noſtri ſint, interpretandas Sacras Scripturas volunt. Videant etiam num in devia abripi, ac decipi facile ſibi contingat, dum a monſtrato, tritoque a majoribus tramite aberrare malunt, ſui captus ductum poſtire, ac pluſquam Patribus ſapientiſſimis perſpectum fuerit, ſapere ſuperbe geſtiunt.

Ad hæc, quæ SS. Patres ſuperioribus numeris de Romani Pontificis Primatu, privilegiiſque præclare dixerunt, Romani ipſi Pontifices cum eodem Primatu eadem privilegia ſibimet adjudicarunt, vindicarunt, adſcripſerunt, dictis, ſcriptis, geſtis: quorum ſi quis teſtimonia audeat in ſuſpicionem adducere, nonne is errore maximo Romanæ Eccleſiæ traditionem elevaret, cui cæteroquin Eccleſiæ univerſæ firmitas veluti, *fundamento* innixa eſt? Ii vero innumeri. Eorum multos alibi dabimus, hic nonnullis eſto locus. Sint autem S. Julius I., qui epiſt. ad Oriental. apud S. Athanaſ. in cauſſa ejuſdem, & Marcelli Ancyrani: *An ignari eſtis*, inquit, *hanc conſuetudinem eſſe, ut primum nobis ſcribatur, ut hinc quod juſtum eſt, definiri poſſit?* S. Damaſus, qui epiſt.

ad

ad Epiſcop. Orientales apud Theodoretum lib. 5. cap. 10, & Nicephorum lib. 12. cap. 17. *Quod veſtra charitas*, inquit, *debitam Apoſtolicæ Sedi reverentiam tribuit, filii honoratiſſimi, vobis ipſis quoque maximo ſane honori eſt. Nam tametſi in S. Eccleſia (in qua S. Apoſtolus ſedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ ſuſcepimus, tractanda ſint) nobis primæ partes deferuntur, tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longe inferiores eſſe.* S.Siricius, qui epiſt.ad Orthodoxos per diverſas provincias, *Cui*, inquit, *omnium Eccleſiarum cura eſt, ſi diſſimulem, audiam Domino dicente, rejicitis mandatum Dei, ut traditiones veſtras ſtatuatis.* De eo alia par.2. art.1. S. Innocentius I.,qui epiſt. ad Decentium Eugubinum, *Quis enim neſciat*, inquit, *id quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuper induci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum?* Confer quæ cit. par. 2. ex S. Innoc. proferemus. S. Zozimus, qui epiſt. ad Carthagin. Concil., *Tantam*, inquit, *huic Apoſtolo* [Petro] *canonica auctoritas per ſententias omnium voluit eſſe potentiam, ex ipſa quoque Chriſti Dei noſtri promiſſione, ut legata ſolveret, & ſoluta vinciret: par poteſtatis data conditio in eos, qui ſedis hæreditatem ipſo annuente meruiſſent: habet enim ipſe cum omnium Eccleſiarum, tum hujus maxime, ubi ſederat, curam, nec patitur aliquid privilegii, aut aliqua titubare aura ſententiæ, cui ipſe ſui nominis firma, & nullis hebetata moribus conſtituit fundamenta, & quæ ſine periculo temere nullus incuſſat.*

S. Bonifacius I, qui epiſt. ad Orientis Epiſcopos, *Nemo unquam*, inquit, *Apoſtolico culmini, de cujus judicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, niſi qui de ſe voluit judicari.* S. Cæleſtinus I, de quo legenda, quæ de Concil. Epheſ. act. infra trademus; qui epiſt. ad Epiſcop.Illyrici, *Nos*, ait, *præcipua circa omnes cura conſtringimur, quibus neceſſitatem de omnibus tractandi Chriſtus in S. Petro Apoſtolo indulſit.* S. Leo M., ex quo plura, eaque præclara teſtimonia, ubi de Concil. Chalcedon., & par. 2. proferemus, non tamen prætermittendus locus ex epiſt. 93 ad Epiſc. provin. Vienn.

Vienn. ubi *Nobiſcum*, inquit, *veſtra fraternitas recognoſcat Apoſtolicam Sedem . . . innumeris relationibus eſse conſultam, & pro diverſarum . . . . appellatione cauſsarum, aut retractata, aut confirmata fuiſse judicia*: & infra:*cui* ſubdit (S. Petro) *quum præ cæteris ſolvendi, & ligandi tradita ſit poteſtas, paſcendarum tamen Ovium cura ſpecialis mandata eſt, cui quiſquis principatum æſtimat denegandum, illius quidem nullo modo minuere poteſt dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ ſemetipſum in inferna demergit*. Idem ſerm. 3. de ſua aſſumt. ex verbis Lucæ 22. Apoſtolicæ Sedi in fide indeficentiam adjudicat. S. Simplicius, qui epiſt. ad Zenonem Imp. *Cui*, (S. Petro) ſcribit, *portas inferi nunquam prævalituras eſse promiſit*. Inſignis eſt alter ejuſdem locus in epiſt. ad Acacium Conſtantinop., ſed de eo par.2.S. Gelaſius, cujus integer, legenduſque omnino locus extat diſt. 15. cap. *S. Romana Eccleſia*, ubi ex verbis Chriſti Matth. 16. docet Eccleſiam Romanam a Chriſto Domino ceteris Eccleſiis fuiſſe prælatam. Sed & legenda ejuſdem epiſtola 7. ad Epiſcop. Dardaniæ, qua ait *Sedem S.Petri jus habere judicandi de omni Eccleſia, nulli vero licere de ejus judicare judicio*: nec non Commonit. ad Fauſtum, quod S. Felici III.ab aliis tribuitur apud Cl. Maffejum in ſupplem.Acac.,quo aſſerit ad Apoſtolicam Sedem ab omnibus poſse appellari, ab eadem vero nulli id licere; & epiſt.4. ad AnaſtaſiumImp., ubi,inquit: *Pietas tua evidenter advertit nunquam quolibet penitus humano conſilio elevare ſe quemquam poſse illius privilegio, vel confeſſioni, quem Chriſti vox prætulit univerſis, quem Eccleſia veneranda confeſsa eſt ſemper, & habet devota Primatem*: & infra: *qua in Sede*, ſubnectit, *Apoſtolica Immaculata eſt ſemper ſervata Religio*. Vigilius, qui epiſtola ad Profuturum, *Sancta*, inquit, *Romana Eccleſia ejus* (Petri) *merito Domini voce conſecrata, & SS. Patrum auctoritate roborata Primatum tenet omnium Eccleſiarum*. Pelagius I. epiſt. ad Sapaudum Arelat.Epiſcop., de qua cit.loco. Pelagius II, qui epiſt.3. ad Epiſcop. Iſtriæ inter alia ſic ait: *Veritas mentiri non potuit, nec fides Petri in æternum quaſsari poterit, vel nutare, nam pro ſolo Petro ſe Dominus rogaſse teſtatur, & ab eo voluit ceteros confirmari*; & epiſt. 6. ad Pſeudo - Synodum Conſtantinopolit. *Quæ etiam*, inquit,

quit, *poteſtas* (ligandi, & ſolvendi Petro tradita) *in ſucceſsoribus ejus indubitanter tranſivit*.

S. Gregorius Magnus innumeris ferme locis Sedi Apoſtolicæ præfata privilegia vindicat, præſertim vero lib. 2. epiſt. 72, lib. 4. epiſt. 7, & 32. ad Mauritium Imp., qua ſic ait: *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet quod Sancto, & omnium Apoſtolorum Principi Petro Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt: ipſi quippe dicitur ... Paſce oves meas ... Ego rogavi pro te, ut non deficiat .... Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ... & Tibi dabo Claves ... Ecce Claves regni Cæleſtis accepit, poteſtas ei ligandi, atque ſolvendi tribuitur, cura ei totius Eccleſiæ, & principatus tribuitur* ibid. epiſt. 52, lib. 5. epiſt. 13, & epiſt. 53, lib. 6. epiſt. 37, lib. 7. epiſt. 40, 63, 64, & 117, & lib. 11. epiſt. 42, & 44. S. Martinus I, de quo ubi de Conc. Later. S. Vitalianus, qui epiſt. 1. ad Paulum Cretenſem Archiepiſc. *Quæ præcipimus tibi*, inquit, *tuque Synodo ſtude illico peragere, ne cogamur non miſericorditer, ſed ſecundum virtutem ſacratiſſimorum Canonum converſari, ſcriptum namque eſt: Petre rogavi, pro te &c. & rurſum quodcumque ligaveris* &c. S. Agatho epiſt. ad Epiſcop. VI. Synodi, & ad Imp., de quibus eo loci, & apud Gratianum diſt. 19. *Sic omnes*, inquiens, *Sanctiones Apoſtolicæ Sedis accipiendæ ſunt tamquam ipſius divina voce Petri firmatæ*. S. Leo II, cujus egregium locum habebis, ubi de VI. Synodo agetur. Hadrianus I, cujus teſtimonia ut recolas, ubi de VII. Synodo Nicœna II. tibi auctor ſum. S. Nicolaus I, de quo multa, ubi de Synodo VIII. Hadrianus II, quem adeas ibi eodem de VIII. Synodo loco. Joannes VIII, a quo diſertis verbis ex Matth. 16, & Lucæ 22. cum infallibilitatis privilegium, tum ſupremam poteſtatem Sedi Apoſtolicæ vindicata legere erit par. 2. art. 1. de Rom. Pontif. S. Leo IX, qui epiſt. 1. ad Michaelem Cærul. inter alia, *Hactenus*, inquit, *fides Petri non defecit, nec uſque in finem deficiet: erit ergo quiſquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle eſt poſſe, audeat in aliquo vacuam putare?* S. Gregorius VII. privilegiorum Sedis Apoſtolicæ propugnator, & acerrimus vindex, de cujus præclare geſtis multa inſtituenda erit oratio, epiſt. 18. ad Simeonem Epiſc. lib. 3. *Apoſtolica Sedes*, inquit, *firma per-*

permanſit ab ipſis primordiis, eoque tuente (Deo) *illibata perpetuo permanebit*: id vero adſtruit ex Chriſti promiſſione: *Tu es Petrus* &c, *Rogavi pro te Petre* &c. Urbanus II, de quo in Synodis Claromontana contra Philippum Galliæ Regem, & Barenſi adverſus Græcorum errores de proceſſ. Spiritus Sancti. Paſchalis II, de quo in Synodo Romana, in qua condita eſt Catholicæ fidei profeſſio de præſtanda ab omnibus Romano Pontifici obedientia; in Concil. Later. II., & epiſt. ad Epiſc. Panormit., quæ habetur cap. *Significaſti* extra de elect. Calliſtus II; de quo in Concil Remen., ubi ex Chriſti verbis: *Rogavi pro te* &c. idem inerrantiæ privilegium ſucceſſoribus Romanis Pontificibus adcenſet. Innocentius II, de quo in Conc. Later. II, & par. 2. de Rom. Pontif. dictis, geſtis, & juribus. Eugenius III, de quo in Concil. Remen., & epiſt. ad Canonic. Later. ex præfatis locis Matth. 16, & Lucæ 22. Apoſtolicæ Sedis Antiſtitibus indeficientiam in fide, & ſuprémam in Eccleſia poteſtatem aſſerit. Hadrianus IV. eadem privilegia ex præfatis locis de Apoſtolica Sede prædicat epiſt. ad Henricum Gradenſem Patriarcham. Alexander III. epiſt. ad Indorum Regem eiſdem Evangelii verbis eadem privilegia Sedis Apoſtolicæ explicat, & exponit. Urbanus III, epiſt. ad omnes Epiſcopos de ſua elect. eaſdem prærogativas ex iiſdem Chriſti promiſſionibus Matth. 16, & Lucæ 22. Apoſtolicæ Sedi adſciſcit. Innocentius III. ſerm. 2. de conſecr. Rom. Pontif.,& epiſt.209. ad Patriarch.Conſtantinop.,& Gregorius IX. epiſt. ad Germanum Patriarcham Conſtantinop. eamdem vindiciarum Apoſtolicæ Sedis ſpartam iiſdem excerptis ex Evangelio 16. Matthæi, & 22. Lucæ verbis egregie exornant.

Legendi in eamdem rem Innocentius IV. in actis Concil. Lugdun. I, & Decretal. lib. 2. tit. 14. cap. 2. *De ſententia, & re judicata*, ſcilicet in ſententia adverſus Fridericum II. Imp. Clemens IV. in profeſſ. fidei a Græcis ſubſcribenda, & ſuſcipienda. B.Gregorius X. in Conſtit., quæ incipit: *Exultat Mater Eccleſia*, & in Concio Lugdun. II. Nicolaus III. *De elect., & electi poteſt.* cap. 17. Bonifacius VIII. in Conſtit. *Unam Sanctam*: Joannes XXII. in Diplom. Canoniz. S. Thomæ, & extra *Ne Sede vacante* tit. 5. Cap. *Si Fratrum*, Benedictus XII. extra de elect. lib.1.

lib.1.tit.3. cap.3. *Sancta Romana Eccleſia*, & Conſtit., quæ incipit *Benedictus Deus*. ClemensVI. epiſt. ad Conſolatorem Armeniæ Catholicum. Urbanus V. in formula fidei Joanni Palleologo propoſita. Martinus V, de quo in Concil. Conſtantienſi. Eugenius IV, de quo in Concil Florent. Calliſtus III. epiſt. ad Fridericum Imp., quæ apud Æneam Sylvium extat n. 371. Pius II. Conſtit. *In minoribus*, & epiſt. ad Muhamedum II. Turcar. Imp. apud Auguſtinum Oldoinum in addit. ad Ciacconium. Sixtus IV. in Cenſura propoſit. Petri Oxonenſis, & Conſtit. 11. Innocentius VIII. Conſtit. 16. Leo X, de quo in Concil. Later. V. Hadrianus VI. epiſt. ad Fridericum Saxoniæ Ducem. Paulus IV. Conſtit.13, & 19. S. Pius V. Conſt. 101. in ſententia adv. Elizabetham prætenſam Angliæ Reginam. Gregorius XIII. Conſtit.22. Sixtus V. Conſtit. 54. Alexander VIII. in decreto die 7. Decemb. 1690, quo inter alias hanc ordine 29. propoſitionem damnavit: *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, & in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*. Quorum omnium, aliorumque multo plurium teſtimonia par. 2. art. 1. fuſiori ſermone proſequemur. Quid amplius quæſo deſideratur? Dicam hic illud Varii Judicis apud Tullium 2. de Finib. *Aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio quid ſatis ſit*.

Neque tertio obſiſtant adverſarii ex laudatis teſtimoniis illud unum evinci: in Eccleſia Romana in ævum non defuturam fidem; neque Sedem Apoſtolicam errore contra fidem aliquando ſordidandam fore: non etiam Pontificem quemcumque, qui a fide plane extorris ire poteſt, erroribuſque contra fidem turpiter coinquinari. Ita plane Pontificem inter, & Sedem Apoſtolicam inanem diſtinctionem invehentes, ajunt Sedem quidem non poſſe a fide deficere, non ita ſedentem in ea Sede Pontificem. Quis enim non videat effugia hæc vana oppido eſſe, adinventaque hominum ad evadenda, eludendaque Chriſti, Patrum, Pontificumque, quibus premuntur, teſtimonia, quæ ſi ſemel aperiatur via, nihil in Scriptura ſacrum erit, nihil in Traditione ſartatectum. Enim vero (hoc loci operæ eſt pretium, ut hac vice pro omnibus præcludatur effugium iſtud, & diſtinctio iſta exſufflctur, quæ ubi-

que ad nauſeam uſque obtruditur, ne ſæpius id reponentibus idem repetere cogamur, eaque de re faſtidio legentibus ſimus) enim, inquam, vero quæ de Sede Apoſtolica, atque Romana Eccleſia referuntur privilegia, ea profecto intelligi oportet ratione habita Romani Pontificis in ea ſedentis, quem proinde a Sede ſua, & Eccleſia diſtinguere inſanum eſt. Cedo ſi ſemel adſtruatur diſtinctio illa inter Sedem Apoſtolicam, & in ea ſedentem Pontificem, ita ut juxta contradictores iſtos ſingulus quique Pontifex ſit fallibilis, infallibilis vero ſit Pontificum Romanorum ſeries, & ſucceſſio, atque ita proinde hac ratione infallibilis dicatur Sedes Apoſtolica, quod ſi unus ex Pontificibus errabit, alter ex ſucceſſoribus emendabit errorem: ex hac, inquam, diſtinctione ſemel admiſſa illud graviſſimum admittendum erit incommodum Romanos Pontifices a ſerie Romanorum Pontificum eſſe ſecernendos; ſcilicet non erit unde Traditionis initium auſpicemur. Si enim non Petro, nec nominatim uni poſt alterum ex ſucceſſoribus collatum fuit infallibilitatis privilegium, ſane nulla eſt ſucceſſio infallibilis Magiſterii, ſi unus nempe, & alter, alterque a primo uſque ad poſtremum falli, & fallere poſſunt; ac proinde nulla quoque erit Paſtorum, & Magiſtrorum Eccleſiæ univerſæ ſucceſſio; nulluſque erit quin imo Magiſter, & Paſtor, cui ceteros in fide confirmare, & paſcere incumbat, ſi ſinguli alteri, & alteri ſuccedentes errandi periculo ſubjacent. Fac vero alterum præ ceteris ex Pontificibus hoc privilegio fuiſſe inſignitum: unde huic hujuſmodi privilegium acceſſit? Nonne ex promiſſionibus Chriſti Petro, ejuſque ſucceſſoribus factis? at promiſſiones hujuſmodi nonne omnibus ſucceſſoribus indiſcriminatim factæ ſunt? Præterea fac in uno tantum, aut altero haſce promiſſiones locum habituras, ac unum, aut alterum hocce indeffectibilitatis privilegio fore donandum: unde id Eccleſiæ conſtabit unum præ altero privilegio inſignitum eſſe, ut uni præ altero Eccleſia aſſentiatur?

Conſtabit, inquiunt alii quidem cum Serrio, ex Romanæ Eccleſiæ aſſenſu; alii vero cum Dupinio, Boſſuetio, Natali, aliiſque, ex Eccleſiæ aſſenſu univerſæ. Deus meliora! ita plane ut Eccleſia uni præ altero ex Romanis Pontificibus adhæreat, & aſſentiatur, erit nota Eccleſiæ ejuſdem aſſenſus, & adhæſio, ideſt

Eccle-

Eccleſiæ aſsenſus, & adhæſio ratio erit, ob quam uni præ altero adhæreat, & aſsentiatur. Rurſum quum Eccleſia Romano Pontifici parere debeat, ut ſecum ipſa ſentiendi neceſſitatem ceteris imponat, uti fatetur Petrus de Marca concord. lib. 1. cap. 2, ei plane adhærere, & aſsentiri tenetur: proinde quum omnibus Pontificibus teneatur adhærere, & aſsentiri, aſsenſus ipſe, & adhæſio ratio erit, cur uni præ altero adhæreat, & aſsentiatur, & neceſſitas omnibus obediendi erit nota internoſcendi ſingulos, num unus præ altero infallibilitatis privilegio præfulgeat. Vah evaſiones vaniſſimas! Præterea ſicuti ex verbis Chriſti Eccleſiæ factis, quibus SS. PP. univerſæ Eccleſiæ collatum agnoſcunt privilegium, ut nulla hæreſi poſſit inquinari, quin ulla accedat conditio, qua pacifice eo fruatur privilegio, ita ex verbis Chriſti factis Petro idem privilegium Romanis Pontificibus a SS. Patribus adſertum, nulla interpoſita conditione, ideſt nulla ulterioris Eccleſiæ conſenſus expectata acceſſione, eſt concedendum: eo magis, quod Chriſti verba dicta Petro, de Eccleſia perinde dicta intelligi debere plerique Patrum velint, & adverſarii noſtri contendunt: ea namque verba, uti dicta de Eccleſia, Eccleſiæ inerrantiam inferunt, eccur ergo dicta de Petro, ejuſque ſucceſſoribus eorumdem indefectibilitatem non inferent? Plane S. Thomas, ut ſuo loco oſtendemus, perpetuus eſt in inferenda Romani Pontificis infallibilitate ex eo, quod Chriſtus ſuam infallibilem voluerit Eccleſiam. Legendus S. Doctor 22. q. 1. art. 10, & quodlib. 9. art. 26; ex eo enim, quod Eccleſia errare non poſſit, infert: *Standum eſſe ſententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide.* Quid plura? nequidem invicem conſentiunt, qui Pontificum decretis Eccleſiæ conſenſum jubent accedere. Qualis, Deus bone, & quantus eſſe debet? Conſenſus ne ſolius Eccleſiæ Romanæ, an totius? Primum plerique neceſse, & ſatius eſſe exiſtimant, quos præclare Thomaſſinus diſſert. 20. in Concil. VI. generale refellit his verbis: *Pontifex*, inquit, *erret, at errare Sedes negatur, quia plebs, & Clerus Romana Eccleſiæ abhorret ab eo errore. Præpoſterum id quidem eſt, quum ita plebi, & Clero, hoc eſt membris plus indatur ſapientiæ, quam Capiti: quum ex adverſo, ſi quæ ſunt dotes corporis,*

poris, & membrorum egregiæ, a capite illæ derivari cenſendæ ſint ; & fidei Romanæ Pauli elogio conſecratæ, SS. Patrum honori, & miraculo habitæ, gloria principalis, & palma ipſi Pontifici ut Magiſtro præ Clericis, & laicis, hoc eſt præ diſcipulis neceſſario adſeratur. Hæc vir Doctiſſimus.

Alii vero totius potius Eccleſiæ conſenſum deſiderant. Optime. At Epiſcoporum ne omnium conſenſum, an vero fidelium etiam poſcunt? an vero a majori parte Epiſcoporum, an vero a ſolis Epiſcopis unius Provinciæ conſenſus adhibitus ſufficiet? Conſenſus autem explicitus eſſe ne debebit, an ſufficiet implicitus? Nam primo explicitus exigi videtur, ſiquidem conſenſus talis exigitur, qui ab omnibus fidelibus præſtari debeat, hujusmodi vero eſt explicitus, nam ut fidei aſſenſum propoſitio a Deo revelata impetret, ut ab Eccleſia ſit quoque propoſita oportet. Secundo omnium Antiſtitum conſenſum non exigi Eccleſiæ monumenta evincunt: in Conciliis enim nihili habitas fuiſſe quorumdam contradictiones in decretis fidei edendis compertum eſt, alioqui quum nulla nunquam defuerit contradictio, nulla unquam valuiſſet fidei definitio. Sufficere, ajunt multo plures, conſenſum majoris partis Eccleſiæ. Belle quidem: at quis eſt, qui Eccleſiam in partes diſcindat, diſciſſaſque dinumeret, ac deinde partem unam eligat, alteram rejiciat, quæ decretum Papæ vel recipiat, vel reſpuat? Rurſus numerationem hujuſce partis majoris fidelium, vel Epiſcoporum conficiet ne fidelis quiſque? at quis hoc valebit? conficiet potius Epiſcopus, ut compertum id perferat, fidelibus ſuæ Diœceſis? ſed ille falli oppido, & fallere poteſt. Conficiet ne quiſpiam pro tota Eccleſia? at quis hic erit? atque interim nonne inquirendus, & expectandus conſenſus eorum quoque ex majori ſaltem parte, qui per Indorum, Scytharum, Tartarorum, Sinarum, verbo, vel per algentes, torridasque regiones diſperſi ſunt; vel ſub Polos degunt; atque interim pendulus hærere debebit in ſua fide Europæus, protrahens in menſes, annos, & æva aſsenſum circa dogma a Pontifice propoſitum, donec edoctus ſit de aliorum conſenſu? Verum ſufficit, ajunt alii, conſenſus Epiſcoporum unius Provinciæ. Ita plane infallibilitas Pontificum dependebit a conſenſu unius provinciæ. Verum erunt ne tunc

tunc Pontifices infaillibiles in ea ſolum Provincia, an etiam ubique? ſi ubique, ergo una Eccleſia conditionis æqualis cogetur ab altera ſuam fidem mutuare, potius quam a Romana, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum, quum tamen a Romana ceteras Eccleſias fidei dogmata didiciſse frequentiſſime legimus, nuſquam vero particularem Eccleſiam ab altera particulari. Si vero infallibiles evadant Pontifices in ea tantum provincia, ubi recipitur dogma propoſitum, ergo altera poterit eſſe fides Gallorum, altera Hiſpanorum; atque ita non una amplius erit omniumfides, non una Eccleſia. Sed quid ſi Epiſcopi illius provinciæ inter ſe diffideant, vel in conſenſu prꝑſtando, vel in explicando Pontificio decreto? quid ſi Epiſcopi, præſtito prius conſenſu, reſpuant deinde, ac præſtitum revocent, ut experientia didicimus hæc omnia in Galliis peſſime ceſſiſſe in mota quæſtione circa Conſtitutionem Clementis XI *Unigenitus*? Itidem ſcimus Eccleſias particulares ſæpe defeciſſe in ſuo particulari judicio, etiam in Synodis edito; unde Ruffino exprobrabat S. Hieronymus lib. 3. cap. 5. adver. Ruff. *Miror quomodo probaverit Italia, quod Roma contemſit: Epiſcopi ſuſceperint, quod Sedes Apoſtolica condemnavit*. Potius ne ergo præſtat audire Eccleſias particulares, quam Romanam omnium Matrem, & Magiſtram? plane opinio hæc, quam falſo Eccleſiæ Gallicanæ adſcribi ſuo oſtendemus loco, ſatiſque oſtendit epiſtola an. 1711. ad Clementem XI. conſcripta a Cardinali Noaillio, & 11. aliis Epiſcopis, qui Comitiis Cleri Gallicani an. 1705. interfuerant, de qua ſuo loco, hæc, inquam, opinio Eccleſiæ conſenſum exigens id agit, ut omnia fidelium arbitrio permittat, quum circa illum conſenſum tot quæſtiones facile exoriri poſſint, id agit, ut ſupra Cathedram Petri aliud tribunal erigat. Ad hæc quid amplius quæſo cujuslibet Eccleſiæ particularis Epiſcopi gradu Pontificis Romani Primatus, ac privilegia præſeferent? An non, ut in prænot. 2. artic. primi dicebamus, Epiſcopi cujuslibet judicium confeſtim, certiſſimeque indefectibile evadet, ſi Eccleſiæ univerſæ, ſeu Epiſcoporum omnium conſenſus accedat? quid enim aliud deſiderare erit? At quid inde diſcriminis intercedet Pontificem inter & Epiſcopos, Caput & Membra, Paſtorem & Oves, Magiſtrum & diſcipulos? Non me latet unum hoc eſſe Janſeni-

ſeniſtarum effugium, cenſurarum declinandarum cauſſa, quibus ſemel, & iterum a Sede Apoſtolica Janſenii hæreſis confoſſa eſt. Nempe principio docuere Romani Pontificis judicium in cauſis fidei finiendis non eſse indefectibile, niſi ei Eccleſiæ conſenſus acceſserit: at quum hic ipſis aditus præcluſus fuiſset, alterum ſibi aperientes, repoſuere in factis Dogmaticis Romanum Pontificem, quamvis ipſius judicio major Eccleſiæ pars acquieſcat, falli & fallere nihilo ſecius poſse. Quo de argumento infra.

Poſtremo, quod peremptorium eſt, major pars Eccleſiæ, imo ferme omnis Pontificem infallibilem dicit, & credit nullo accedente conſenſu Eccleſiæ, ut conſtabit ex dicendis; igitur inepte minima pars Eccleſiæ contendit Pontificiis, ut ſint infaillibiles, definitionibus accedere debere Eccleſiæ conſenſum. Sed eſto accedere debeat Eccleſiæ conſenſus: atqui jam pars major, & ferme tota docuit,& credidit Pontifices eſse infallibiles; itaque jam Pontificiæ infallibilitati acceſsit conſenſus majoris partis,& ferme totius Eccleſiæ. Poſt enim Pontificis ſententiam nihil aliud deſideratum in Eccleſia fuiſse oſtendemus ex Eccleſiarum traditione. Illud unum adjiciam,quod ſi Eccleſia omnis Romanis omnibus Pontificibus tenetur parere, nulla aſſenſſio, nulla adhæſio mediare poteſt, aut requiri, quæ infallibilitatem judicii perficiat, & abſolvat, & in palam faciat, ne in incertum obedientia incidat, aut in diſcrimen adducatur; ne diſtracta aſsenſſione, vel dilata adhæſione obedientia ipſa fruſtetur; aut e converſo præſtita, & præhabita obedientia, adhæſio ipſa, & aſsentio periculo erroris ſubjaceat, atque ita univerſa in errorem turpiſſime labaſcat Eccleſia. Opportune hic illud S. Hilarii facit, quod Conſtantio Imp. olim expoſuit circa pugnam excitatam ſuo tempore inter diſſidentes Arianos: *Dum in verbis pugna eſt*; [verba enim Chriſti in alienum a ſcriptura, & traditone ſenſum adverſarii detorquent) *Dum de novitatibus quæſtio eſt* (novitia namque, neque Conſtatienſis Synodi Epocham antevertit opinio Pontificibus inerrantiæ privilegium abjudicans) *Dum de ambiguis occaſio eſt* (nam de traditionis teſtimoniis omnibus ambigunt adverſarii) *Dum de Auctoribus querela eſt* [nam Pontificum ipſorum teſtimonia apertiſſima laceſſere non erubeſcunt, Theologos vero aliter ſapientes nequiter tradu-

traducere non verentur, ſed neque SS. Patribus parcunt) *Dum de ſtudiis certamen eſt*, (nam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta ſusdeque reverſa ad ſuam revocant, & retorquent ſententiam] *Dum in conſenſu difficultas eſt*, (maxima plane, dum Theologis, Patribus, Pontificibus, Conciliis, & S. Scripturæ aſſenſum denegantes, Eccleſiæ aſſenſum ad nauſeam recoquunt, & reponunt) *Dum alter alteri Anathema eſse cæpit*, (plane & hoc, Gerſonius præſertim, auſi ſunt adſtruere hancce Gallicanæ Eccleſiæ doctrinam, & fidem eſſe, quæ aliarum Eccleſiarum Romanæ præſertim doctrina, & fides non eſt) *prope jam nemo Chriſti eſt. Incerto enim, doctrinarum vento vagamur*, [vagantur] *& aut dum docemus*, [docent] *perturbamus* [perturbant] ; *aut dum docemur* [docentur] *erramus* [errant].

Opponunt pleraque Scripturæ Sac. loca, quibus Pontifices tum infallibilitatis privilegio minime præditos, tum generali Concilio ſubjectos perſuadeant. Primo illud Matth, 18, *Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati* &c. in quem locum S. Cæleſtinus I. epiſt. ad Synod. Epheſin. act. 2. lecta, *Spiritus Sancti*, ait, *teſtatur præſentiam Congregatio Sacerdotum*; *verum eſt enim quod legimus . . . ubi duo, vel tres congregati* &c. Secundo illud Joann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum* &c., & Act. 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*; in quæ loca probantia plane Concilii generalis auctoritatem immediate a Chriſto eſſe S. Leo epiſt. 6, ſeu 93. in editione Queſnelli ad Theodoretum *Hæc præcipue*, inquit, *credimus admonendum . . . in nullo ab illis, quas Spiritus S. Divinitas in Chalcedonenſi Concilio protulit fidei regulis recedentes . . . ſermonem noſtrum cum omni cautela libremus*. Epiſt. 73. ſeu 115. edit. Queſn. ad Leonem Imp., *In illo Concilio*, inquit, (Chalcedonenſi) *per Spiritum Sanctum congregato, tam plenis, atque perfectis definitionibus cuncta firmata ſunt, ut nihil ei regulæ, quæ ex divina inſpiratione prolata eſt, addi poſſit, aut minui*; & epiſt. 78, ſeu 152. ad eumdem, *De rebus*, ait, *apud Nicæam, & apud Chalcedonem definitis nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia, vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas*. Similia repetit epiſt. 55, ſeu 79. edit. cit. Queſnelli. Tertio illud Matth. *Si peccaverit in te Frater tuus* &c. *ſi Eccle-*

Eccleſiam non audierit &c. unde S. Paulus Petrum reprehendit non recte ambulantem ad Evangelii veritatem: unde S. Gregorius M. epiſt. ad Joannem Conſtantinop. *Si in mea*, inquit, *correctione deſpicior, reſtat ut Eccleſiam debeam adhibere*: & Silveſter II. epiſt. 11. ad Seguinum Archiepiſc. Senonenſem, *Conſtanter dico*, inquit, *quod ſi ipſe Romanus Epiſcopus in Fratrem peccaverit, ſæpiuſque admonitus Eccleſiam non audierit .... præcepto Dei eſt habendus* ſicut Ethnicus, & publicanus. Quarto illud Matth. ibid. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram* &c. ex quo loco Claves immediate Eccleſiæ datas contendunt: unde S. Auguſtinus Ser. 108. de diverſ. *Has enim claves*, ait, *non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ .... ſed hoc Petro dixit, ut ſcias quia Petrus univerſæ Eccleſiæ perſonam tunc gerebat*. Eumdem locum vehementer adverſus Pontifices pro Concilio urgent Gerſonius tract. de poteſt. Eccleſ. conſid. 4; Joannes Major comm. in 18. Matth., & alii Pariſienſes. Quinto illud Act. 8. *Quum audiiſſent Apoſtoli* &c. *miſerunt ad eos Petrum, & Joannem*. In quæ verba Gerſonius loc. cit. conſid. 11, *Apoſtoli*, inquit, *miſerunt in Samariam Petrum, & Joannem, tamquam ſubditos Eccleſiæ*; & Renatus Benedictus in Panoplia adverſus hæres. Gregorio XIII. dicata an. 1575. *Non eſt miſſus*, inquit, (Petrus) *ab aliquo in particulari, ſed ab illis congregatis, qui Eccleſiam repreſentabant. Non fuit autem B. Petrus ſuperior tota Eccleſia, ſicut nec nunc ſucceſſor ejus Papa, ſaltem in determinando: aliud autem eſſe puto forſan in determinationum executione*. Quam interpretationem, inquit Natalis, æqui, bonique duxit Gregorius XIII.

Reſponſioni præmitto, eos, qui ſupra Pontificem Concilii Oecumenici poteſtatem adeo extollunt, & exaggerant, non recta meo ſenſu incedere, ſed in tranſverſum ire. Eccleſiaſticam Monarchiam Ariſtocratia temperatam eſſe propugnantes, eatenus propugnant, quia propugnant Concilia Oecumenica a Chriſto Domino auctoritatem immediate obtinere, ex Chriſti promiſſione in fide nec falli, nec fallere poſſe; ideoque Pontifici ipſi poteſtate præſtare: Epiſcoporum etiam juriſdictionem a Chriſto immediate proficiſci, ac permanare, non a Pontifice: itaque illos in Conciliis congregatos tanta poteſtate pollere, ut vel in Pontificem ipſum

ipſum ſint potes. Ut argumenta dimittantur, quibus perfectam in Eccleſia Monarchiam, loco ſtatuere ſuo adnixi jam ſumus; quæ quæſo ea eſt regendæ Chriſtianæ Reipublicæ ratio Monarchica Ariſtocratia mixta, in qua corpori Caput, cœtui Princeps, gregi Paſtor, familiæ Pater: verbo: Concilio Pontifex ſubjici, faſcesque ſubmittere cogitur? Nonne magis dicenda eſt Ariſtocratica Monarchia, ſi jubeant, temperata forma iſta in Eccleſiam invecta, utpote cujus præcipua, ac ſuprema pars non apud Pontificem, ſed apud Concilium omnino conſiſtit? Nonne etenim Pontifex ita Monarchæ nomen præfert, ut rem plane præferat Concilium, cujus eſt Pontifici ipſi leges præſcribere, inque Pontificem animadvertere quoque pœnis? Hinc vero huc facit, quod de Pſeudo-Synodo Baſileenſi id poteſtatis ſupra Pontificem, inque Pontificem evehenti, ſibique vindicanti Eugenius Papa, ac Petrus Meldenſis Epiſcopus, & Caroli VII Galliarum Regis Orator olim pronuntiarunt apud Raynaldum ad an. 1441. num. 10, & ſeqq. *Nobiliſſimam politiam, quæ Beatitudinem cæleſtem habet pro fine ad democratiam*, (facile fit, unoque gradu fit ab Ariſtocratia ad democratiam tranſitus: exemplo, experimentoque eſt Anglicana Eccleſia, quæ Pontificis Monarchia poſthabita ad Ariſtocratiam primo ſe convertit, atque ad Democratiam poſtremo devenit, deſcenditque) *vel ad Ariſtocratiam redigere Baſileenſes velle, & ulterius in malis procedendo, unum ſibi in capite aſſumſiſſe, qui non eis præferretur*, (fit quoque facile Ariſtocratia in Eccleſiam ſemel invecta Pontifice legitimo abrogato alterum Schiſmaticum in abjecti locum ſubrogari, ac tandem omni prorſus rejecto, ut Anglicanæ Eccleſiæ eveniſſe compertum eſt, vel ſemet in ſupremum jus adſerere, vel in Principis laici jura tranſcribere) *quin etiam*, ajebat Meldenſis Antiſtes, *quid quæſo magis poſſet in perpetuitatem Schiſmatis tendere, quam Monarchiam Eccleſiæ, quæ Chriſtianos tenuit in unitate, tollere, & abolere? quam auctoritatem ſupremam multitudini, quæ cito ſcinditur, tribuere? quam poteſtatem judicandi Superiores inferioribus dare?... quibus ſtantibus non eſt pax in Eccleſia Dei poſſibilis*. Porro quæ ex Baſileenſium facto eveniſſe perhibentur, eadem pariter ex horum Recentiorum doctrina evenire facile nemo non videt. Illud vero

fieri interea conſequens eſt non eam Eccleſiam eſſe, quam Chriſtus Dominus inſtituit, & quoad vixit adminiſtravit; ſiquidem ſuprema, atque Monarchica, abſolutaque auctoritate eam adminiſtraſſe certo certius eſt: nunc vero ratio cui ejuſdem adminiſtratio ſubeſſet, non abſoluta, ac Monarchica eſſet, ſed magis dependens, atque Ariſtocratica. Propterea rectius Petrus de Marca, homo alioquin de Pontificibus haud optime meritus, de Concord. lib. 5, cap. 8. §. 4. ſicuti in Comitiis Imperii penes Imperatorem, ita in Conciliis Eccleſiæ penes Pontificem rerum ſummam ſtare debere, conſervandæ unitatis ſive Civilis, ſive Chriſtianæ cauſſa obſervavit: *Rerum*, inquiens, *gerendarum, & ſanciendarum auctor* (Pontifex) *eſse debet, quemadmodum & Senatus conſulta olim in imperio fiebant auctore Principe*. Hiſce præhabitis, quæ pluribus egregie illuſtrat, exornatque Clariſ. Orſius de Rom. Pontif. auctorit. lib. 8. cáp. 2, & ſeqq., jam ad objecta diluenda progrediatur oratio.

Reſpondeo primo Concilia convocare, Conciliis præſiſidere, Concilia confirmare, quorum ſi alterum ex Concilii culpa, vel Pontificis repugnantia deſit, Concilia fruſtra abeant, juris Pontificis eſſe, ex quo Pontificibus, tum infallibilitatem, tum ſupra Concilia præſtantiam vindicabimus, & ſuo loco oſtendemus. Perperam ergo Concilii auctoritas adverſus Pontifices effertur, quum Concilium ſine Pontifice eſse nequeat, & de Concilio ſuo Capiti coadunato Scriptura intelligenda ſit. Reſpondeo ſecundo. Eccleſiam ſane errare non poſse inconcuſsa veritas eſt: at inerrantiam hancce duplicis generis eſse diligenter eſt animadvertendum: paſſivam alteram, qua nempe fides in credendo omnino in tota Eccleſia deficere nequeat, hanc ultro citroque Eccleſiæ etiam a Pontifice abſtrahendo adferimus: alteram activam, qua fides in docendo non deficiat, ſeu potius in quaeſtionibus fidei noviter emergentibus definiendis nec fallat, nec fallatur: atque hanc Eccleſiæ prout a Pontifice diſtinctæ denegamus, id contendentes Eccleſiam abſque Pontifice nil poſse de novo Fidelibus credendum proponere: *Quemadmodum animal*, inquit Didacus Payva in defenſ. Trid. fidei, *capite abſciſso truncus eſt, atque ſtipes; ita Epiſcoporum quantumvis frequentiſſimo con-*

conventui Concilii nomen convenire minime poteſt, ni Romani Pontificis, qui univerſalis Eccleſiæ Caput, & moderator eſt, imperio convocetur, auctoritate foveatur, nutu gubernetur ... Quemadmodum univerſalis Eccleſia dici non poteſt, quæ Capitis expers ſit, ita neque univerſalis Eccleſiæ judicium, in quo univerſalis Capitis ſententia deſideretur. Reſpondeo tertio Concilium ſejunctum a Pontifice Eccleſiam univerſam repreſentare non poſse, a Pontifice autem optime Eccleſiam univerſam absque Concilio repreſentari: unde verba illa in object. laudata de Concilio, ſicut de Apoſtolis, & de Eccleſia ſecluſo Petro, vel Pontifice intelligi nullo modo poſsunt: at verba Petro dicta: *Tibi dabo Claves* &c. *Tu es Petrus* &c. *Rogavi pro te Petre* &c. de ſolo Petro optima ratione intelligenda ſunt: unde, ut ſupra diximus, ſæpe S. Auguſtinus aſserit S. Petrum Eccleſiæ perſonam geſtaſse, eo nempe ferme modo, quo Familiam Pater, Regnum Rex, Ovile Paſtor repreſentant: unde ſi ille infallibilis eſt, ille ceteris omnibus præeſt, qui Eccleſiam repreſentat, hujuſmodi plane eſt Romanus Potifex. Ex quibus facile objecta refelluntur.

Verum ulterius reſpondeo ad primum, ſi in iis verbis vim faciunt, id privilegii fore concedendum etiam Concilio Provinciali: at ſi de Concilio univerſali intelligi jubeant, intelligenda dicimus de Concilio non ſeorſum a Pontifice congregato, ſecus enim nullius auctoritatis eſt, etſi numeroſiſſimum, quale fuit Pſeudo-Concilium Conſtantinopoli an. 757. habitum. Reſpondeo ad ſecundum, eo loci non excludi Petrum, ſeu Pontificem, ſicut a corpore non excludendum eſt caput, a quo ſicut in corpus influxus promanat, ita Spiritus Sancti adſiſtentia a Petro, ſeu Pontifice in ceteros Epiſcopos derivatur. Quamvis Apoſtolos cunctos fatemur ſpeciali, atque extraordinaria Spiritus Sancti aſſiſtentia donatos fuiſse, quia id Eccleſiæ infantia exigebat; quam negamus in ceteris Epiſcopis; eam tamen Spiritus Sancti adſiſtentiam in Petro ordinariam fuiſse, atque ad Romanos tranſiiſse Pontifices, a quibus in Eccleſiam, ſeu Concilium diffluat. Qua ratione intelligendum S. Leonem oſtendemus, quum de Concil. Chalced. ſermo erit. Reſpondeo ad tertium ea verba dicta eſse reſpectu fratris, non reſpectu Patris. Verum correctionis fraternæ officium, veluti cha-

ritatis opus ab inferiori præſtari poteſt. Ad quartum reſponſio patet ex dictis: confer quæ dicta ſunt in Proleg. §.3.in reſp. ad 2. Ad quintum reſpondeo Miſſionem non ſemper ſignum eſse ſuperioritatis, ut patet in divinis Perſonis. Ullo demum abſque delectu dicitur a Gregorio XIII. ratam habitam expoſitionem Renati ideo, quod ei fuerit dicata. Hactenus de primo argumento ex S. Scriptura. Jam vero ſequenti art. 2. inſtaurandum argumentum ex Conciliis, ac primo.

Ex Oecumenicis Eccleſiæ Orientalis Conciliis.

ARTICULUS II.

De Auctoritate Conciliorum Generalium

PROLEGOMENON.

Concilia Oecumenica ex majori Epiſcoporum numero coacta, ſi eis Romani Pontificis, cujus eſſe Concilia cogere, & confirmare, eiſque præſidere, & præcipere, nec non formam præſcribere luculento ſermone ſuo loco par. 2. demonſtrabimus, accedat auctoritas, tantæ in Eccleſia evadere, ut absque piaculo, & fidei periculo illis de fide pronuntiantibus denegari obſequium, & animi adhæſio non poſſit, Theologi noſtrates probant, eo præ ceteris ineluctabili argumento, quod quum Eccleſia indeficiens in fide ſit, eadem autem ſit, quæ extra Concilium diſperſa, atque quæ in Concilio collecta, eodem procul dubio privilegio utroque modo polleat. Contra pugnant Proteſtantes, ac nonnulla momenta objectant, quibus ſuadere conantur erratum a Conciliis Oecumenicis: quæ quia nullius negotii ſunt, ſi alioquin exſufflata viſere aveas, noſtrates homines adeas apud Melchiorem Canum de loc. Theolog. lib.5. de Conciliis; Bellarminum lib.2. cap. 2., & ſeq.; Alphonſum a Caſtro lib.4. adv. hæreſ. V. Concilium; Suarezium de fide diſput. 11.; Azorium tom. 2. par. 2. lib. 5. cap. 12.; Tournellium de Eccleſia q. 3. art. 3, Bail in appar. Concil.; alioſque innumeros auctoritate præſertim Tertulliani

liani lib. de Jejun. cap. 13; S. Cyrilli Alex. dialogo de Trinit.; S. Ambroſii lib.3. de fide cap.7; & epiſt.32; S. Auguſtini epiſt.57. ad Januar., lib. 1. contra Creſcon. cap. 33, lib. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 7., & lib. 7. cap. 53; Facundi Herm. lib. 2. cap. 2, & lib. 5. cap. 5; S. Cæleſtini I. epiſt. ad Synod. Epheſ.; S. Leonis M. epiſt. 63. ad Theodoretum, in edit. Queſnelli 93, 54, nunc 77. ad Marcianum Auguſt., 73, nunc 115. ad Leonem Aug.; Vigilii epiſt. ad Epiſcop. Galliar.; S. Gregorii M. lib. 1. epiſt. 24; & S. Agathonis epiſt. 8. ad Cæſarium Arelat. pugnantes adverſus Lutherum art. 29, Kemnitium præf. 1. p. exam. Concil. Trid.; Confeſſioniſtas Wirtemberg. cap. de Concil., aliaſque hujus generis peſtes, contra quas pugnant quinimo Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 9. §. 13, Oecolampadius epiſt. ad Bertoldum Hallerum, Palatini Pſeudo-Theologi admonit. de lib. concordiæ cap. 10, aliique, quos poſthabeo, quibuſque eadem perinde ſententia hæſit. Quinimo eadem Concilia, etſi ex Epiſcoporum minori parte coaleſcant, ſi tamen abſentium ſententiam, & numerum ſuppleat præſentia ſua, aut poteſtate Pontifex, eadem non minoris eſſe auctoritatis, adeo ut promto animo ab eis pronuntiatis obſequendum ſit ab omnibus, nullamque inobedientiæ cauſſam obtendi legitimam poſſe, oſtendunt ex eo, tum quod quandoque Generalia longe minorem Epiſcoporum numerum recenſuerint, uti II. Synodus, Conſtantinopolitana nempe I., quæ Antiſtites 150. dumtaxat numeravit, quam Nationalia, uti Concilium Carthaginenſe, cui interfuit S. Auguſtinus, quodque Epiſcopis 217. conſtitit: tum quod celebrata in Oriente, non niſi ex Orientis, ſi ſolos exceperis Apoſtolicæ Sedis Legatos, non ſecus ac celebrata in Occidente majori parte ex ſolis Occidentis Epiſcopis, ſi Lugdunenſe II, & Florentinum detraxeris, conflata fuerint: tum quod Concilia generalia rata non haberi, quoaduſque Romanus Pontifex ipſis Sedis Apoſtolicæ robur adjecerit; quinimo Concilia particularia, quæ firma idem Pontifex eſſe juſſerit, confeſtim invictum robur obtinuiſſe; atque demum extra Concilium etiam de fide pronuntianti Romano Pontifici ex animo omnino auſcultandum fore, eumdemque ita pronuntiantem, aut falli, aut fallere nefas eſſe arbitrari,

data

data opera demonſtrandum ſuſcipiamus; ut ea de re huic veritati demonſtrandæ longiorem operam navare ſupervacaneum ſit. Adiſis interea, ſi aveas, Cabaſſutium Notit. Eccleſ. Sæculi I. obſervat. de Concil. Eccleſiae, Suarezium de fide diſp. 11. de Conciliis ſect. 2, alioſque infra laudandos, cum quibus confer, quæ Cl. Boſſuetius paſſim in defenſ. hiſt. Variat. adv. Baſnagium hanc in rem noſtram obſervat; nec non in Inſtruct. paſtor. *Juper promiſſis Eccleſiæ* ſecundis curis adornata contra eumdem Baſnagium adfert.

Nihilominus nobis lapis unus hic amovendus. Quandoquidem Proteſtantium veſtigia prementes Janſeniſtæ, atque inter iſtos Auctor libri gallici *du Temoignage de la verite*, cujus nefandi libri infelix parens circumfertur Pater la Borde Oratorienſis apud Auctorem Bibl. Janſen., cuique libro a Comitiis Cleri Gallicani an. 1715. anathema dictum non modo, ſed imo a ſuprema Pariſienſi curia edicto publico inflicta infamiæ nota fuit; atque Auctor alter libri Gallice inſcripti: *La verite rendu ſenſible a toute le Monde contre les defenſeurs de la Conſtitution Unigenitus*, quem librum in Epiſcoporum, Regis, Pontificiſque poteſtatem injurioſum, ſi quem alterum, quam maxime, nuncupavit quondam Epiſcopus Sueſſionenſis apud Auctorum Bibl. Janſen.; Janſeniſtæ, inquam, veſaniam imo imitati Donatiſtarum, e quibus Vincentius apud S. Auguſtinum epiſt. 481, nunc 93. cap. 9; Luciferianorum apud S. Hieronymum in dialogo adverſus ipſos; & Pelagianorum, e quibus Julianus apud S. Auguſtinum lib. 2. oper. imperf. cap. 3, & lib. 1. adv. ipſum cap. 75, qui ut in ſuorum parvo numero veram Chriſti Eccleſiam integram conſiſtere ſibi ſuaderent, nec de paucitate ſua pudore ſuffunderentur, Eccleſiæ multam, majoremque partem turpiter in errorem prolapſam dictitabant, & ſcripturiebant, veramque inter fines, vel Africæ, ut Donatiſtæ, vel Sardiniæ, ut Luciferiani, vel loci alterius, ut Pelagiani concluſam fuiſſe a Chriſto effutire non erubeſcebant; quod quidem vetus figmentum avide a Lutheranis, & Calviniſtis arreptum jampridem penitus convulſerunt, & confutarunt præ aliis doctiſſimus Boſſuetius in celebri ea de re collatione habita cum Miniſtro Claudio, atque ipſemet imo Janſenius libro, cui

cui titulum fecit *Spongia notarum adverſus Voetium Sylvæducenſem Miniſtrum*, cujus proinde iſthæc agendi ratio ipſos ab eo jam abſoluto recudendo, ac recoquendo argumento abſterrere debuiſſet, Janſeniſtæ iterum, ut ſeceſſionem ab Eccleſia ſuam excuſarent, atque pugnacis frontis adverſus Romanos Pontifices audaciam fuco delinirent, & obducerent, Eccleſiam, ſeu potiorem Epiſcoporum partem una cum Romano Pontifice errare poſſe, ſive in Concilio definientes, ſive extra Concilium Pontifici definienti adquieſcentes, refricant, & repetunt. Id autem ut efficiant, Ariminenſis Concilii exemplum reſumunt, & regerunt, quod quidem ex majori Epiſcoporum parte conflatum fuiſſe ogganniunt, atque, quod pejus, turpiter prolapſum una cum Liberio Pontifice blaſphemant. Utrumque autem toto oſtio abs vero aberrare brevi oratione eſt oſtendendum. Equidem iſtud me hic agere idipſum videri poteſt, atque præter rem meam agere; ſed quia a fundamentis, ut ferunt, diſputationem meam, quam mox ex Conciliorum Generalium auctoritate conficere adgredior, pulſari, atque impeti cerno, patiatur liberalis lector, ut quatenus patitur pariter ratio prolegomeni, extra propoſitum unum vel alterum gradum exeam, ut firmato ita fundamento tam ſecure poſtea, quam ſolide ædificium ſuperſtruam.

Principio igitur Patres Latinos Ariminenſis Concilii, atque una quidem cum Præſulibus Græcis Concilii Seleucienſis numero longe inferiores fuiſſe ceteris per Orbem diſperſis Epiſcopis ita demonſtratur. Non eo inficias Ariminenſi interfuiſſe plusquam 400. ex Occidente Epiſcopos: Seleucienſi autem ſub idem tempus collecto ex Oriente Præſules 150. plus minus adſtitiſſe. At longe plures in Orbem diſperſos Antiſtites numerabat Eccleſia: Nam P. Labbeus in ſua Concil. collect. mille in Occidente Epiſcopales Cathedras adnumeratas, & in Oriente octingentas teſtatur; & Carolus a S. Paulo Epiſcopus Abrincenſis in Occidente 1316., in Oriente 723. recenſuit. Certe Nilus Doxopatrius lib. 5. de Thronis Patriarchal. ſuo, ideſt XI. ſæculo, Patriarchæ Alexandrino Metropoles 13. obnoxias, ingenteſque numero Epiſcopales ſedes deſcripſit: Antiocheno Metropoles 13, Epiſcopatus omnino 139: Hieroſolymitano præter inferiores, Metro-

tropoles 4, Archiepiſcopatus vero 25: Conſtantinopolitano Metropoles 100, Epiſcopales minores Eccleſias 664. Confer Pagium ad annum 37, & Lequiennium in Oriente Chriſt., de quibus nos luculentius alio in loco. 2. Vel in ſola Africa Epiſcopales ſedes numeratæ ſunt ex Catholicis 486, ex Donatiſtis vero 279, ut conſtat ex Breviculo collationis cum Donatiſtis in collatione primæ diei apud S. Auguſtinum cap. 14: etſi vero ſub Hunnerico Wandalorum Rege minor eorum fuerit; magnus tamen adhuc numerus fuit; quippe in provincia Proconſulari 52. Epiſcopi erant: in Provincia Numidiæ 123: in Bizacena 113: in Provincia Mauritaniæ 126: in Sitifenſi 44: in Tripolitana 5: omnes omnino 463, vel etiam 466; quot nempe anno 484. iniqui Regis juſſu Carthaginem convenientes, poſtquam egregium orthodoxæ fidei teſtimonium perhibuiſſent, in exilium pulſi fuerunt. Videſis Notitiam Epiſcoporum Africæ apud Scheleſtratium tom. 2. Antiq. illuſt. in append., & apud Pagium ad an. 484. num. 18. Si tantus autem in Africa, quantus putas in Italia, Illyrico, Gallia, Germania &c. numerus fuit? 3. Auctor eſt S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. cap. 3. ſub ævum S. Cypriani multa extitiſſe Epiſcoporum millia, a quibus error (Anabaptiſmi) a S. Cypriano primum exortus, a Donatiſtis poſtea revocatus, fuerat exploſus; proinde inquit: *Si omnino jam credendum ſit 50. Epiſcopis Orientalium* (cum Firmiliano) *id eſſe viſum, quod 70. Afris* (cum S. Cypriano), *vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Epiſcoporum, quibus hic error in toto Orbe diſplicuit!* 4. Sub tempus Concilii Epheſini, hoc eſt an. 431, ideſt annis 70. poſt Concilium Ariminenſe, ſex numerabantur in Orbe chriſtiano Epiſcoporum millia. Id conſtat ex reſcripto Epiſcoporum Orientalium Conſtantinopoli commorantium ad commonitorium Synodi Epheſinæ: in eo ſiquidem reſcripto ſic Dalmatius Archimandrita affatus legitur Theodoſium Imperatorem: *Sex millia ne Epiſcoporum audire mavis, an unum hominem, eumque impium?* (Neſtorium nempe) *Sex millia autem eos ajebam, qui ſub Metropolitanorum Sanctiſſimorum Epiſcoporum poteſtate degunt.* 5.

S. Athanaſius epiſt. ad Jovinianum Imperat. anno 363, ideſt duo-

duobus annis poſt Ariminenſe Concilium conſcripta, paucos admodum Nicœnæ fidei adverſos iviſſe ſcribit: *Scito*, inquit, *religioſiſſime Auguſte... hanc ipſam fidem.... ſuffragio ſuo comprobare univerſas totius Orbis Eccleſias, nempe Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, totius Italiæ, Dalmatiæ, Daciæ, Myſiæ, Macedoniæ, Græciæque, & Africæ univerſæ, necnon Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Iſauriæ, Ægypti, Libyæ, Ponti, Cappadociæ, vicinas quoque nobis, necnon Orientis Eccleſias, paucis exceptis, quæ Arii hæreſim ſequuntur*. 6. Lucifer Calaritanus in libello, cui titulum fecit, *Quod moriendum ſit pro Filio Dei* an 360, adeoque ſub tempus ipſum Ariminenſis Concilii exarato, Conſtantio exprobrans Eudoxii Ariani hominis in Sedem Conſtantinopolitanam opera ſua intruſionem, quod factum an. 360. refert Socrates lib. 2. capp. 42, & 43, eidem Imperatori exprobrat quoque exiguum admodum Arianæ hæreſeos ſectatorum numerum: *Omnes*, inquiens, *momento ſi poſſes peragrare gentes, inveniſſes ubique Chriſtianos ſicut nos credere... at tua novella prædicatio, & recens Religio ſub prætextu fidei blaſphemia... non ſolum adhuc limitem Romanum peragrare non valuit... ſed & ubi radices figere tentaverat, aruit recedentibus ſcilicet omnibus Dei famulis a te, atque paucis tuis... tecum manentibus*. 7. Socrates lib. 2. cap. 27. tempus, quod paullo anteceſſerat Synodum Ariminenſem, commemorans, *Achajæ*, inquit, *& Illyrici civitates, & reliquæ Occiduarum partim Eccleſiæ tranquillæ adhuc erant, & inconcuſſæ, tum quod inter ſe conſentirent, tum quod fidei regulam a Nicæno Concilio traditam conſtantiſſime retinerent*. 8. Sozomenus lib. 6. cap. 12. de Synodo Tyanenſi ſcribens, in qua ὁμοούσιος doctrina conſtabilita eſt, & Liberii, & Occidentalium Epiſcoporum litteræ recitatæ ſunt, teſtatur Epiſcoporum eamdem doctrinam aſſerentium numerum longe majorem fuiſſe eorum, qui Concilio Ariminenſi adfuerant. *Scripſerunt*, inquit, *ad omnes Eccleſias* (Epiſcopi Tyanenſis Synodi) *ut Occidentalium Epiſcoporum decreta perlegerent, & epiſtolas, tum Liberii, tum Epiſcoporum Italiæ, Africæ, Galliæ, & Siciliæ; nam & iſtorum litteras attulerant Legati a Synodo Lampſacena miſſi; atque omnium illorum numerum conſide-*

rarent: *multo enim plures erant iis*, *qui in Ariminenſi Concilio ſederant*. Quibus nihil diſſertius ad rem noſtram proferri potuit. 9. Vel in Concilio Chalcedonenſi multo plures conſederunt Epiſcopi, quamvis illi ex Occidente quinque dumtaxat adfuerint, tres ſcilicet Legati, & duo Africani, Aurelius, & Reſticianus. Ex Oriente enim interfuiſse 520. legitur in relatione Synodi ad S. Leonem, & in Lege Marciani Imp.; adſtitiſſe 630. legitur in epiſt. Epiſcoporum Provinciæ Helleſponti ad eumdem S. Leonem; & S. Leo ipſe epiſt. 57, nunc 77. in edit. Queſnelli ad Epiſcopos Galliarum 600. circiter adnumerat: In actis autem Concilii 472. ſubſcripti leguntur; neque vero ex Oriente omnes advenerant. Ex Ægyptiis enim, quorum Sedes 114. recenſet laudatus Carolus a S. Paulo, act. 4. tredecim tantummodo commemorantur, qui epiſtolæ S. Leonis ſubſcribere detrectarunt; act. vero 6. habetur Metropolitas Patriarchatus Conſtantinopolitani, & Alexandrini ſubſcripſiſſe pro Epiſcopis 110. abſentibus, ſibique ſuffraganeis.

Accedit demum, quod ad vindicandum Patrum Ariminenſium lapſum frequentiſſimæ, qua in Oriente, & qua in Occidente habitæ Synodi ſunt, in quibus ageretur de Epiſcopis, qui Arianorum communione ſe fœdaverant, deque ipſis decernenda pœnitentia, quas Synodos commemorant S. Athanaſius epiſt. ad Ruffinianum, & Severus Sulpitius lib. 2, inter quas præſertim audiunt Pariſienſis an. 360; Alexandrina an. 362; Antiochena an. 363; Illyrica an. 365; Sicula an. 366; Tyanenſis eodem anno 366. &c. Synodis vero iſtiuſmodi interfuiſſe Epiſcoporum Ariminenſis Synodi multam, aut etiam majorem partem non facile crediderit, qui recogitet eoſdem reos non facile paſſos ſe ſe pœnitentiæ adici, alios autem Judices non facile pariter permiſſuros, ut illi rei de crimine in judicium vocati, Judices in ſua cauſſa conſederent. Paucis id omne complexus eſt Janſenius ipſe in præcit. *Spongia* cap. 7. Voetium perſtringens; *Quum vel maxime*, inquit, *ſæviret illa* (Conſtantii) *perſecutio*, *veriſſimum fuit illud Auguſtini*, *quod Eccleſia in ſuis firmiſſimis tamquam columnis ædificii immobiliter ſtantibus eminebat*. *Tum enim non ſolum Athanaſius*, *ſed fideliſſimi cooperatores ejus Cajus*, *Ammonius*,

nius, Agathodæmon, Adelphus, Marcus, Paphnutius, aliique tam Africæ, quam Ægypti Antiſtites partim in deſerta relegati, partim ſpontanea fuga durante tempeſtate dilapſi fortiſſime perſtiterunt. Tunc Gregorius ille Hiſpaniarum Epiſcopus, & Philo decus Libyæ, quos Hieronymus nunquam Arianæ impietati mixtos dicit, Dracontius, quem S. Hilarion exulantem viſit, Serapion Tmuenſis ſub Conſtantio confeſſione celeberrimus, & S. Antonii hæres, Euſebius Samoſatenus ipſi Conſtantio præ conſtantiæ generoſitate mirabilis, Cymatius Epiſcopus Celeſyriæ, & Cartetius, quos pro fide exulaſſe teſtis eſt Athanaſius, catholica confeſſione clariſſimi, eluxerunt: &, ut nihil de Epiſcopis inferioris notæ dicam, quos Arianus furor, dum celebrioribus ſubvertendis incumberet, in ſuis ſedibus intactos relinquebat, ſtatim a morte Conſtantii integra Concilia catholicorum Epiſcoporum in Oriente celebrata ſunt, in quibus de lapſorum Antiſtitum receptione tractaretur. Teſtatur enim epiſtola Synodalis ex Concilio Alexandrino ſcripta multos præclaros Epiſcopos ex Italia, Ægypto, & Libya hac de cauſſa confluxiſſe. Quod ſi vero ad Occidentem nos convertamus, Eccleſia Catholica non obſtante quacumque Conſtantii immanitate velut tabernaculum Domini in Sole poſitum radios ſuos in Orientem uſque fundebat. Nam ut admirandos illos Epiſcopos (Liberium primo proferre debuiſset) *S. Euſebium Vercellenſem, S. Hilarium, Dionyſium Mediolanenſem pro fide exules prætermittam, idem ille Hilarius conſtantiam Epiſcoporum Germaniæ primæ, & ſecundæ, Belgicæ primæ, & ſecundæ, Lugdunenſis primæ, & ſecundæ, provinciæ Aquitaniæ, & Novempopulanæ, & Narbonenſis, & provinciarum Britanniæ miris laudibus prædicat, uſque adeo, ut eos dicat miſsam ex Sirmienſi Oppido infidelis fidei impietatem, non modo non ſuſcepiſse, ſed etiam nuntiatam, ſignificatamque damnaſse, manſiſse, & permanſiſſe ibi innocentem, inviolatamque Religionem, fidei imperturbatæ, inconcuſsæque formam quoſdam etiam Orientalium Epiſcopos commoviſse. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt quam falſum ſit quod dicis* (Voeti) *Arianos, applaudente toto terrarum orbe, audiviſse Catholicos.* Hæc Janſenius. Confer & doctiſſimos viros Boſsuetium in laudata collat. cum Miniſtro Claudio; Tournellium de Eccleſ. q.3. art. 4, & Au-

ctorem obſervat. in hiſt. Eccleſiaſt. D. de Fleuri diſsert. de Concil. Arimin., & Seleucienſi. Hinc ſiquidem iſthæc carptim delibavimus.

At ajunt, recoctam jam a Calviniſtis crambem obtrudentes Janſeniſtæ, maxime vero duo Auctores relati, primo ſtare pro ſe contra nos S. Gregorium Nazianz.; qui orat. 21. Epiſcopos omnes aſserit paucis exceptis tempore Conciliorum Arimin., & Seleucienſis in hæreſim Arianam prolapſos: *Si perpaucos*, inquit, *exceperis, qui vel ob nominis obſcuritatem, contemptui habiti fuerunt, vel ob virtutem reſtiterunt... omnes tempori obſecuti ſunt*. 2. S. Hilarium, qui lib. de Synodis in Oriente catholicam fidem extinctam pene ſuiſse ſcribit, ac paucis demtis, reliquos Orientis Epiſcopos Arianam impietatem calculo ſuo comprobaſse: & lib. de Trinit. omnes ferme Romani Imperii provincias hæreſi Ariana infectas, inquinataſque teſtatur. 3. S. Auguſtinum, qui epiſt. 48, nunc 93. ad Vincentium Rogatiſtam cap. 9. paucos fuiſse fatetur, qui conſtanter fidem adverſus Arianos defenderint. 4. Vincentium Lirinen., qui Comm. capp. 6, & 7. tempore præfatorum Conciliorum ab Ariano veneno penes Orbem integrum contaminatum dolet, *Adeo ut*, inquit, *prope cunctis latini ſermonis Epiſcopis partim vi, partim fraude deceptis caligo quædam mentibus offunderetur. Paucos vero fuiſse, qui univerſum jam pene mundum ſæva repentinæ hæreſeos tempeſtate perculſum ad antiquam fidem... revocarunt*. 5. Theodoretum, qui lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 21. ſcribit in hæc verba: *Alii metu perculſi, alii fraude inducti ſubſcripſerunt*, (formulæ Arianæ) *quotquot vero conſentire his recuſarunt, in ultimos Orbis fines relegati ſunt*. 6. Socratem, & Sozomenum, quorum ille lib. 2. cap. 37, iſte vero lib. 4. cap. 19. tradunt poſt Concilium Ariminenſe Conſtantii Imperatoris juſsu formulam Ariminenſem, cui Epiſcopi illi Syngrapham appoſuerant, in omnes Occidentis Eccleſias fuiſse directam, proculdubio ut ſubſcriberetur. 7. S. Hieronymum, qui in dialogo adv. Lucifer. univerſum Orbem ſe Arianum miratum ingemuiſse poſt Ariminenſem Synodum perhibet. 8. Marcellinum, & Fauſtinum Presbyteros, qui in libello Imperatoribus Valentiniano, Theodoſio,

doſio, & Arcadio oblato auctores ſunt Epiſcopos omnes, pauciſſimis exceptis, Arianæ hæreſi infando illo Synodorum Arimin., & Seleucienſis tempore nequiter nomen dediſse. 9. Auxentium Mediolanenſem Epiſcopum, qui apud S. Hilarium lib. contra eumdem Auxentium ad Imperatores Valentinianum, & Valentem ſcripſit paucos fuiſse oppido Præſules, qui formulæ Sirmienſi non ſubſcripſerint. 10. Julianum Eclanenſem Epiſcopum, qui apud S. Auguſtinum lib. 1. oper. imperf. adv. ipſum cap. 75. aſserit confidentiſſime ſub Conſtantio omnem pene Orbem a fide Apoſtolorum dilapſum fuiſse, ac de 650. Epiſcopis, vix 7. inventos, qui Deo magis, quam Imperatori obediendum judicarint.

Verum enim vero quam iſta futilia, ac floccifacienda ſint, liquet quam maxime ex his, quæ ſubnecto, reſponſis. Nam ad primum repono S. Gregorium loqui eo loci de actis poſt Pſeudo-Synodum ex 59. Epiſcopis Arianis Conſtantinopoli an. 360. conflatam, quo tempore Patres Ariminenſes, jam facti pœnitentes ad communionem Liberii, & Eccleſiæ redierant, ut conſtat ex epiſt. 21. S. Ambroſii, atque ex epiſt. Concilii Gallicani an. 360. ad Orientales ſcripta, de qua adeundi S. Epiphanius hær. 73, S. Hilarius lib. de Synod., Phoebadius lib. adv. Arianos, in qua Epiſcopi Ariminenſes referuntur Arianorum fraude deluſi, & dolis circumventi in *Uſiæ* ſilentium conſenſiſſe, paulo poſt tamen ad frugem, rectamque fidem redjiſſe. Itaque ibidem S. Gregorium de ſolis Orientalibus Epiſcopis loqui liquet; imo neque de omnibus, ſed dumtaxat de aliquibus, de ſolis ſcilicet decem provinciis Aſianis, quas Gregorius Cappadox Pſeudo-epiſcopus Alexandrinus Arianus divexabat, ut conſtat ex orationis contextu, quo narrat ejus nefarium opus fuiſſe Synodum Seleucienſem, ac dein Conſtantinopolitanam ex 50. Epiſcopis Arianis coactam. Præterea S. Gregorius Patres Ariminenſes ab hæreſis crimine eo loco expurgat, tamquam qui mente nequaquam prolapſi ſint, ſed tantum ſubſcriptione in tranſverſum acti. Ad ſecundum repono a Vincentio Rogatiſta S. Auguſtino olim objectam eamdem S. Hilarii auctoritatem, ut efficeret in paucis Eccleſiam poſſe integram manere: cui reſpondens S. Doctor epiſt. 48, nunc 93. cap. 16. ait

a S. Hilario id dictum de ſolis decem provinciis Aſiaticis; ſed neque illas omnes Ariana labe infectas fuiſſe, inquinataſque; atque ita intelligendum S.Hilarium jubet. Porro decem illæ provinciæ Aſianæ nonniſi tertiam partem Conſtantinopolitani Patriarchatus poſtmodum compoſuere. Quod ſi Romani Imperii provincias fere omnes Arianę hæreſeos macula contaminatas dixit S.Hilarius, id accipiendum ut dictum de aliquibus omnium, ut monent Logici, non de omnibus ſingularum. Ad hæc S.Hilarius lib. adver. Conſtantium Epiſcopos Semiarianos in Concilio Seleucienſi Arianis numero ſuperiores longe extitiſſe narrat, nam aderant 105; Ariani vero non niſi 34. juxta Socratem, aut vix 37. juxta Sozomenum, reliqui 15. ex Ægypto orthodoxi erant.

Ad tertium reſpondeo juxta S.Auguſtini ſententiam paucos quidem fuiſse Epiſcopos, qui viriliter, ſtrenue, ac conſtanter, uti S. Athanaſius, Euſebius, Hilarius &c. Nicænam fidem defenderent, congreſſique cum Conſtantio palam, & publice, ac pro virili parte pro Chriſtiana re decertarent: at non etiam paucos, qui ex animo ſincere eidem adhærerent, quamvis eorum quoſdam parvos ſenſu, alios timidos, aliquos quoque infirmos fide nuncuparit. Paucos demum dixit in fide firmiſſimos; non ex omnibus, ſed ex ſolis decem Aſiæ provinciarum Præſulibus, de quibus ſermo illi erat, & concertatio cum Vincentio Rogatiſta. Ad quartum reſpondeo Vincentium Lirinen., ut legenti liquet, hyperbolice locutum fuiſse, atque ita ut nedum Epiſcoporum, ſed fidelium partem maximam in hæreſim Arianam prolapſam fuiſse affirmare videatur, quod tum abs ſe dictis neque bene cohæret, ut qui perpetuus eſt in docendo tres eſse Catholicæ fidei caracteres, *univerſitatem*, *antiquitatem*, *& conſenſionem*; tum contrarius ſit ceteris ſcriptoribus, iiſque ipſo melius res geſtas perſpectas habentibus, S. Athanaſio, qui cit. epiſt. ad Ruffinian. Ariminenſes Epiſcopos ab hæreſi excuſat; atque præl. epiſt. ad Jovinian. Ariminenſes Patres longe a ceteris orthodoxis numero ſuperatos ſcribit: S. Damaſo, & Synodo Romanæ ſub ipſo, qui epiſtola Synodica ad Epiſcop. Illyrici auctores ſunt Ariminenſibus ſubreptum fuiſſe, ipſos nequaquam inter hæreticos habendos, cognitaque fraude datam ſubſcriptionem revocaſſe,

ſe, & reſcidiſſe: Orientis vero, & Occidentis Epiſcopos partem maximam Nicænæ fidei indivulſe adhæſiſſe: S. Baſilio, qui epiſt. 72, & 75. ad Neocæſareenſes, vel ipſam fidelium plebem comparatione omni poſthabita Arianos longe ſuperaſſe ſcribit. Enim vero ex Chriſtianis plebibus Alexandrina, Conſtantinopolitana, Antiochena, Samoſatena, Mediolanenſis, Gallicana, Romana &c. Arianis invicta animi fortitudine ſemper in faciem reſtitiſſe leguntur; ut de innumeris Monachorum turmis ſileam, qui Arianam hæreſim deteſtati non modo ſunt, ſed imo exertis viribus contra eam dimicarunt: Theodoreto, qui lib. 3. cap. 3, & lib. 8. cap. 1 - refert a militum quoque potiori parte veluti pro aris, focisque pro fide Nicæna decertatum, ut propterea Joviniano poſt Juli anum rerum potiente confeſtim milites Nicænæ fidei teſtimonium palam, idque præclarum exhibuerint: Socrati lib. 2. cap. 22, & Sozomeno lib. 3. cap. 12. narrantibus ab Occidente univerſim Arianam hæreſim anathemate damnatam; Orientis vero partem maximam fidei Nicænæ fuiſſe retinentiſſimam. Ad quintum repono Theodoretum eo loci agere de ſolis Epiſcopis Synodi Ariminenſis: ſubdit vero cap. ſeq. eam formulam ab univerſis veritatis propugnatoribus, ab Occidentalibus præſertim fuiſſe reprehenſam, eaque propterea de re a Damaſo, & Romano Concilio ex 90. Epiſcopis collecto exaratam epiſtolam ad Epiſcopos Illyrici, quam lib. 2. cap. 22. exhibet.

Ad ſextum reſpondeo ex Socrate, & Sozomeno id unum extundi Conſtantium juſſiſſe equidem, atque tentaſſe, ut omnes per Orbem, ſi fieri poſſet, Arianæ formulæ adquieſcerent, ſed caſſo, irritoque conatu, ut palam fit ex perſecutione eam ob rem (eidem tamen non ceſſam ex ſententia) ab eodem mota in Epiſcopos, Clericos, Monachos &c., de qua illi citatis locis. Ad ſeptimum repono S. Hieronymum eodem ſenſu effatum, atque Vincentium Lirinenſem, itaque intelligendum, atque eumdem Vincentium: ſive ut eumdem explicat Janſenius in cit. *Spongia*, illis S. Doctor ſignificavit ingemuiſſe Orbem impoſturæ perduellium Arianorum, & miratum eſſe, quod, ut infra explicat, ſine conſcientia hæretici Epiſcopi Ariminenſes ferrentur. Nam alioquin ex actis ipſius Concilii S. Doctor refert Epiſcopos Arimi-

minenſes Arianam hæreſim execratos. Ad octavum reſpondeo aures non adhibendas Marcellino, & Fauſtino, hominibus Luciferiano ſchiſmati pertinaciſſime addictis, unaque cum Lucifero duce Ariminenſes Epiſcopos ut hæreticos habentibus, imo in Epiſcopos Catholicos obloquentibus, eaque de re ab eorumdem communione ſe abſtinentibus, quod Ariminenſes ſententiam revocantes in communionem recepiſsent. Ad nonum repono eo minus auſcultandum Auxentio homini Ariano, qui, ut recte monuerunt doctiſſimi Monachi operum S. Hilarii editores, quo meliorem cauſsam ſuam faceret, Ariminenſes Patres Arianos non modo fecit, ſed imo illorum numerum ad 600. evexit; quando non multi ſupra 400. juxta S. Athanaſium, & Sulpitium, imo juxta Maximinum Arianum nonniſi 330. fuerint. Ad decimum reſpondeo Pelagianos, cujus gregis homo Julianus erat teſte S. Auguſtino loc. cit., non ſecus ac Donatiſtas ſuorum paucitatem ex præſumpta Eccleſiæ defectione tempore Conciliorum Arimin., & Seleucenſis defendiſſe. Aliunde etiam Julianus falſitatis aperiſſimæ revincitur, dum aſſerit fidentiſſime Patres Ariminenſes fuiſse numero 650, ideoque Trinitatis confeſſionem negaſse, ne Athanaſium audirent. Sed ut innui, id ipſi dicere opportunum erat, ut ſcilicet Eccleſiam poſse deficere ex majori illo Epiſcoporum aſserto numero ſpecioſius, & facilius ſuaderet. Hactenus de prima quæſtione.

Quod ad ſecundam pertinet, quamvis lapſum Liberium concederemus (id enim concedendum nullo modo; neque eum aliquando, aliquove errore ſe polluiſſe ſunt, qui acriter propugnant) lapſum tamen citra fidei jacturam contendimus, invictiſque argumentis ſuo loco promendis ejus fidem ab invidioſa quacumque hæreſis nota expurgabimus. Neque tamen ullo modo lapſum (quoquo modo vel lapſus pridem fuerit, vel non) eumdem Liberium, eoque tempore, eoque in errore obverſatum, quo Patres Ariminenſes, quin imo eorum lapſui viriliter obſtitiſſe, utque lapſi erigerentur, ſollicite manum ſuppoſuiſſe ſuam, brevi calamo eſt demonſtrandum. Ergo Liberium jam biennio ferme ante Ariminenſis Concilii epocham, (nam Ariminenſis Synodus an. 359. habita eſt, Liberius autem Romam an. 358. reverſus ab exi-

ab exilio eſt) quod ab ſe peccatum fuerat, (ſi peccavit revera) formulæ Sirmienſi ſubſcribendo, emendaſſe, & pœnitentia diluiſſe, adeo ut fidem omnem ſuam liberarit, imo eumdem formulæ ab Ariminenſibus ſubſcriptæ conſenſum ſuum denegaſse non modo, ſed eam magis diris omnibus devoviſſe, atque poſtremo acta Synodi Ariminenſis pravo errore illo vitiata & rejeciſſe prorſus,& reſcidiſse conſtat 1. ex ipſius Liberii decretis ad Chriſtifideles anno 362. miſſis, quibus Synodum Ariminenſem tamquam erraticam, & formulam ibidem ſubſcriptam tamquam blaſphemam execratur, & reprobat, teſtaturque Epiſcopos, qui huic Syngrapham adjecerant, ad ſanam mentem reverſos eamdem anathemate damnaſse. Deſiderantur equidem iſthæc Liberii decreta, magnoque rei ſuæ detrimento, & bonorum omnium dolore interjere; at eorum meminit S. Siricius in epiſt. ad Himerium Tarraconenſem an. 385. inſcripta, qua aſserit Liberium, ut erroris omnis ſe expertem, fideique inviolabilis invictum ſe aſsertorem, ac vindicem acerrimum univerſo orbi Catholico oſtenderet, Ariminenſe Concilium obliteraſse, eaque de re generalia decreta ad Chriſtifideles omnes direxiſse: *Prima*, inquit Siricius, *paginæ tuæ fronte ſignaſti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem Catholicam feſtinare, & quoſdam de fratribus noſtris eosdem denuo baptizare velle, quod non licet, quum hoc fieri & Apoſtolus vetet, & Canones contradicant, & poſt caſsatum Ariminenſe Concilium miſsa ad provincias a venerandæ memoriæ prædeceſsore meo Liberio generalia decreta prohibeant*. Conſtat. 2. ex epiſtola Synodica S. Damaſi, & Synodi Romanæ ex Epiſcopis 90. ſub ipſo confectæ an. 369. ad Epiſcopos Illyrici conſcripta, quam refert Theodoretus lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 22, ex qua, quod mox dicebamus, ſatis liquet, ſcilicet a Liberio damnatam Synodum Ariminenſem: ſic vero legitur: *Neque præjudicium aliquid naſci potuit* (fidei Nicænæ) *ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, quum conſtet neque Romanum Epiſcopum*, (Liberium) *cujus ante omnes fuit expetenda ſententia, neque Vincentium* (Capuanum ejuſdem Liberii Legatum) *qui tot annos Sacerdotium illibate ſervavit, neque alios hujuſmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſse*. Et infra. *Perſpicit igitur*

veſtra ſinceritas hanc ſolam fidem, quæ Nicææ auctoritate Apoſtolica fundata ſit, aſſidua firmitate tenendam eſſe.

Conſtat 3. ex legatione Concilii Lampſaceni ad ipſum Liberium: ſcilicet ab exilio jam reverſus Liberius Semiarianorum, & Macedonianorum litteras recipere renuit, eoſque communione ſua cohoneſtare detrectavit, donec Nicænam formulam in libello propoſitam ſe profiteri conteſtarentur, ut referunt S. Epiphanius hær. 73, S. Baſilius epiſt. 74., Socrates lib. 4. capp. 11, & 12., & Nicephorus lib. 4. cap. 60. Id præſciverant procul dubio Epiſcopi Synodi Lampſacenæ, ſcilicet rem ſibi recte non ceſſuram, ſi cum Liberio de formula fidei Nicænæ diſceptandum ſumerent, atque ab ejuſdem confeſſione, & ſubſcriptione abſtinendum apud ipſum contenderent: quare ad Liberium Legatis an. 365 directis in mandatis dedere, ne a Liberio de fide diſſentirent, ſed fidem *Conſubſtantialis* ratam facerent, in eaque fide cum Liberio ſe communicare faterentur: nonniſi hacce lege Liberius, atque ea quoque expreſſa, quod anathema nominatim fidei formulæ in Concilio Ariminenſi recitatæ, utpote Nicænæ repugnanti, dixiſſent, eoſdem communione ſua donavit. Conſtat 4. ex epiſtola ejuſdem Liberii ad Epiſcopos Orientales, ſuo, & Epiſcoporum Italiæ nomine data anno 365, quam exhibet Socrates cap. 12, qua non modo ipſe toto oſtio ab impacto errore illo alienus oſtenditur, ſed imo Ariminenſes ipſos ad frugem receptos, Ariminenſis formulæ ſubſcriptione revocata, ad Nicænam ultro citroque adſpiraſse: *Quod itaque*, inquit, *omnes Occidentis Epiſcopi Ariminum fuerant congregati, quo eos Arianorum improbitas ob id coegerat, ut vel perſuaſione quadam, vel ut, quod verius eſt dicere, mundana potentia coacti, quod cautiſſime erat in fide poſitum tollerent, aut oblique negarent, nihil effecit eorum verſutia. Nam prope omnes illi, qui Arimini vel illecti, vel coacti tum fuerunt, reſipuerunt, & expoſitionem Ariminenſem anathemate condemnantes Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei Nicææ dictatæ ſubſcripſerunt, qui & nobiſcum convenientes Ariano dogmati, & illius diſcipulis ex animo ſuccenſent*. Ita ne vero ſcripſiſset Liberius, ſi in eodem atque Ariminenſes errore volutatus fuiſſet? Conſtat 5. ex Orientalium,

lium, & Occidentalium optima de Liberii recta fide opinione: Nam teſte Socrate loco cit., accepta Liberii mox laudata epiſtola ad Epiſc. Orientales Legati præfatæ Synodi Lampſacenæ Siciliam profecti, ibique coacta Synodo cum Siculis Epiſcopis fidem pariter *Conſubſtantialis* profeſſi ſunt. Orientales vero Epiſcopi Liberii epiſtola accepta ad omnes Epiſcopos conſubſtantialitatis aſſertores Legatos miſerunt oraturos, ut omnes Tarſum Ciliciæ convenientes fidem Nicænam uno animorum conſenſu confirmarent. Cui tamen Synodo malis ſuis artibus moram texuit Eudoxius. Sed & anno 367. Liberius Elpidio Legato in Orientem miſſo, ut Nicænam fidei formulam ab omnibus ſubſcribi ſatageret, id obtinuit, ut paulo poſt a Synodo Illyriciana ederetur decretum in hæc verba: *Nos non aliter ſentimus atque duo Concilia, quorum alterum jam Romæ, alterum habetur in Gallia: nimirum unam, eamdemque eſſentiam eſſe Patris, & Filii, & Spiritus Sancti in tribus perſonis, hoc eſt in tribus perfectis hypoſtaſibus*. Decreti huiuſce Illyricis Epiſcopis S. Damaſum auctorem fuiſſe iis, qui affirmant, non obſiſto: negari tamen nequit iis etiam decretum colliueaſſe, quæ de Chriſti divinitate a Liberii Legato Illyrici acceperant. Tandem in Orientem reduces Legati a Lampſacena Synodo miſſi, ea de re a Synodo Tyanenſi anno 369. recepti ſunt, quod perlatis Liberii litteris oſtendiſſent ſe a Liberio communione cohoneſtatos fuiſſe, atque fidei Nicænæ formulæ illo jubente ſubſcripſiſſent.

Conſtat 6. ex S. Athanaſio, qui apud S. Euſebium Vercellenſem in Bibli. PP. in epiſtola ad Epiſcopum Hiſpalenſem Liberium laudibus cumulat, quod invicti animi conſtantia Oſio Cordubenſi, qui prævaricatus fuerat, reſtiterit, eaque de re eumdem acerrime redarguerit. At ita ne egiſſet, ſi jam in errore cum Oſio, eſto abſimili, verſatus ille eſſet? ſatis hæc ſunto: non enim eſt cur apertiſſimo in argumento diutius tempus teramus. Quare ergo majorem Epiſcoporum partem a fide defeciſſe, atque, quod pejus eſt, a Liberio uno tempore, unaque ſententia cum Patribus illis in fide peccatum effutire Janſeniſtas depuduit? ita ſcilicet, ut geminato atrociſſimo mendacio, alterum utroque pejus ſuperſtruerent, Eccleſiam una cum Pontifice errare poſſe

in fide, atque aliquando erraſſe. Quum imo nedum a Liberio minime erratum, ſed & citra fidei jacturam erraſſe Ariminenſes, apertis, invictiſque argumentis oſtendant Theologi de ſchola noſtri, e quibus provinciam hancce præclare exhauſerunt doctiſſimi Monachi Benedictini in fragmentis S. Hilarii, quæ egregiis adornarunt notis, Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. IV. diſsert. 33, Tournellius de Eccleſ. q. 3. art. 4, Gabriel Antoine tract. de SS. Trinit. cap. 1. art. 5, Cabaſsutius in notit. Eccleſ. ſæcul. IV. de Concil. Arimin., Auctor obſervat. Theologic., hiſtor., & critic. in hiſt. Eccleſ. D. de Fleuri diſsert. de ſtatu Eccleſ. ſub tempus Concil. Arim., & Seleuc. tom. 1. ad calcem lib. 15, & D. Laſſeteau Epiſcopus Siſterionenſis in hiſt. Conſtit. *Unigenitus*: nobis enim, qui non Epiſcoporum, ſed Romanorum Pontificum vindicias adornamus, a re extra inſtitutum noſtrum, jamque ſatis acta abſtinendum eſt, ſatius arbitrati, ſi oſtenderimus illos ceteris non fuiſse numero majores, neque illis adhæſiſse Pontificem, ex quo fit, quod quamvis illi revera a fide defeciſsent, (quod negamus) integra maneret nihilominus, & permaneret Conciliorum generalium, & Romani Pontificis (a quo, id nunc dicam, nam alio loco luculentius dicendum erit, ut inter ceteros docet Canus de loc. Theolog. lib. 5. de Concil., in eadem Concilia manant vis, & auctoritas) a fide indeficientia. Quibus firmatis probatur Propoſitio ſecundo, atque ita inſtauratur argumentum ex Conciliis generalibus, ac primo ex celebratis in Eccleſia Orientali, ut ſequens indicat §.

Ex Nicæno I., Sardicenſi, & Conſtantinopolitano I.

§. I.

EX Conciliis Oecumenicis 20 ad minus in Eccleſia celebratis ab anno 325, hoc eſt Nicæno in Orientali, uſque ad annum 1545, ideſt Tridentinum in Occidentali, conſtat Chriſti Domini in terris vices gerere, S. Petro in Romano Epiſcopatu ſuccedere, Eccleſiæque per Orbem diffuſę viſibile Caput eſſe Summum Pontificem: eidem in perſona S. Petri a Chriſto Domino colla-

collatum Primatum honoris, auctoritatis, & juriſdictionis, ejuſdemque Primatus appendices veluti eſſe, cum in fide indeficientiam, tum in Concilia ipſa Oecumencia ſupremam poteſtatem: & probatur primo ex Conciliis generalibus in Eccleſia Græca celebratis, atque ex iſtis primo ex Nicæno I. De numero Nicænorum Canonum controverſia eſt inter Criticos nondum compoſita. Nicænos Canones non amplius 20. a magno illo Concilio conditos ſuadent momenta iſta. Primo Collectores veterum Canonum nonniſi 20. commemorant. Ita Ruffinus in ſua hiſt. Eccleſ.; Theodoretus lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 30; Gelaſius Cizicenus lib. 2. cap. 31; Dionyſius Abbas; S. Iſidorus, & Hincmarus Remen. epiſt. ad Hincmarum Laudun. 2. In Canonum Eccleſiæ Orientalis codice laudato in Concilio Chalced. act. 11. nonniſi 20. recenſentur. 3. Cæcilianus Carthaginenſis Epiſcopus, quem conſtat Nicænos inter Patres conſediſſe, in Africam reverſus 20. dumtaxat attulit, ut conſtat ex relatione Concilii Carthaginenſis VI. 4. Ab Africanis Epiſcopis, dum exardeſceret celebris illa S. Zozimum inter, & Africanos Epiſcopos controverſia de Appellationibus, illo affirmante, iſtis dubitantibus de decreto a Nicæno Concilio edito de Appellationibus ad Sedem Apoſtolicam, rogati Atticus Conſtantinopolitanus, & Cyrillus Alexandrinus Epiſcopi 20. dumtaxat, ut conſtat ex cit. Concil. VI. Carthag., ad eoſdem tranſmiſere.

Contra vero primo. Canones Arabici vulgo dicti Concilio Nicæno attributi, quos primum vertit Fanciſcus Turrianus Soc. Jeſ., & poſtmodum ex Arabico exemplari Abrahamus Ecchellenſis, in verſione Turriani 80., in verſione Ecchellenſis 84. recenſentur: ſunt vero Canones iſti magno in pretio apud Orientales omnes Melchitas, Armenos, Maronitas, Græcos, Jacobitas, Neſtorianos, Cophtos, Abiſſinos &c. Quamquam Canones iſtos ad unum omnes a Nicæno Concilio editos putare id prohibet, quod plerique legitimis Nicænis Canonibus aperte adverſentur: cujuſmodi eſt 36, quo Epiſcopus Æthiopicus ſubjicitur Alexandrino, cui tamen Nicæni Patres limites intra Ægyptum, Libyam, & Pentapolim fixerant: cujuſmodi eſt 37, quo ordinatio Archiepiſcopi Salaminæ in Cypro Antiocheno adjudi-

judicatur, quum ex Synodo Epheſina conſtet Epiſcopos Cypri ſubjectos non Antiocheno, ſed imo ſui juris extitiſse: cujuſmodi eſt 38. in edit. Ecchell., ſeu 33. in edit. Turriani, quo Epiſcopus Hieroſolymitanus ſubmovetur a ſubjectione cujuſque Epiſcopi, quum tamen ex Nicæna Synodo conſtet eum Epiſcopo Cæſareenſi fuiſse ſubjectum. Quamobrem veriſimilimum fit Nicænis canonibus, maxime poſt Synodum Chalcedonenſem, pleraque additamenta facta fuiſſe. Quamquam abs vero quoque non abhorreat ex pleriſque decretis, nec in canones relatis temporum ſucceſsu efformatam fuiſse canonum Arabicorum maximam partem. Porro Canonum Arabicorum collectionem adornatam a Jacobo Niſibenſi ſanctitate, & miraculis celeberrimo aſserit quidem Ecchellenſis, ſed minus veriſimiliter: nam Jacobus iſteConcilio Nicæno interfuit, Nicænis vero genuinis canonibus nonnulli ex Arabicis, ut dictum eſt, adverſantur: & inſuper Patriarchæ nomen legitur in iiſdem canonibus, quod nonniſi poſt Concilium Chalcedonenſe uſurpari cæpit. 2.

A Concilio Nicæno Canones 80. conditos fuiſse auctor eſt S. Athanaſius in epiſt. ad S. Marcum Papam, qua poſtquam retuliſſet ab Arianis acta Concilii Nicæni ab ſe Alexandriam ex eodem Concilio olim allata combuſta fuiſſe, rogabat Pontificem, ut ad ſe tranſmitteret octoginta canones eo in Concilio editos, quorum nullum jam erat reliquum exemplar in Ægypto, Libya, & Pentapoli, eo quod omnia Ariani flammis deleviſſent. Auctor etiam eſt S. Marcus Papa reſpondens Athanaſio ſe diligenter conquiſiviſſe in Chartario Romanæ Eccleſiæ eoſdem canones octoginta, eoſdem a Nicæna dein Synodo in ſeptuaginta redactos ex autographo manuſcriptos ad ipſum tranſmittere. Auctores ſunt Ægyptii Epiſcopi in epiſtola ad S. Felicem II. Pontificem ſic enuntiantes: *ſcimus in magna Nicæna Synodo CCCXVIII. Epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Epiſcopi ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari, licet hæc, & complura alia neceſſaria Synodi capitula fuerint ab hæreticis quotidie nos infeſtantibus exuſta, nobiſque prærepta.* Quibus reſcribens Felix id ipſum fatus eſt, confirmavitque Liberius epiſt.ad Ægyptios epiſcop. Quoniam vero has omnes epiſtolas

las Liberii, Felicis, Synodi Alexandrinæ ad Felicem, Athanaſii ad Marcum, & Marci ad Athanaſium, tametſi hæ duæ poſtremæ probatæ recens ſint doctiſſimo Cavalcanti lib. 7. diſſert. 2. Vindiciar. Honorii, ut pura, putaque figmenta rejiciunt Baronius, Pagius, Cabaſsutius, aliique viri eruditi, nolim eis robur aliud adſciſcere. 3.

Plurima præter illos 20. Canones decreta a Nicæno Concilio edita multis modis conſtat. Gelaſius Cizicenus lib. 2. cap. 3. ex collectione Dalmatii Ciziceni, ex quo neque omnia ſe referre ait, deſcribit novem decreta a Nicænis Patribus condita: I. De Chriſtianæ vitæ inſtitutione: II. De Manuum operibus: III. De Eccleſiaſtica Hierarchia, & honeſtate Clericorum: IV. De prædicatione laicis interdicta: V. De Gratiæ collatione in baptiſmo: VI. De Euchariſtia, & Sacrificio Miſſæ: VII. De Chriſti, & noſtra reſurrectione: VIII. De unica Eccleſia, & fide, extra quam non eſt ſalus: IX. De Divina providentia, & prædeſtinatione. In epiſtola Synodica ejuſdem Concilii ad Eccleſiam Alexandrinam nonnulla alia leguntur decreta. S. Ambroſius ad Vercellenſem Eccleſiam Nicæno decreto Digamos a Clero arceri ſcribit. S. Hieroymus præfat. in lib. Judith hunc librum a Nicæna Synodo inter Canonicas Scripturas fuiſſe connumeratum affirmat. Decretum de non celebrando Paſchate die 14, neque ante æquinoctium vernum a Nicænis Patribus conditum teſtantur Concilium Antiochenum can. 1; Conſtantinus Imperator epiſt. apud Euſebium lib. 3. ejus vitæ; S. Athanaſius lib. de Synodis Arimin., & Seleuc., & S. Epiphanius hær. *69*. A jejuno ſacrificium offerendum Concilii Nicæni nomine ſtatuit Carthaginenſe III. cap. 48. Rationem, ac modum conſcribendi litteras, quæ olim Canonicæ, ſeu Formatæ dicebantur, præſcriptam a Patribus Nicænis, quarum exempla ibidem exhibet, teſtatur Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cujus relatio extat ad calcem Synodi Chalcedonenſis. Concilium Chalcedonenſe act. 1*6* canonem *6*. Concilii Nicæni his verbis laudat: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*. Unde S. Nicolaus I. epiſt. 8. ad Michaelem Imp. eumdem canonem ex Nicæna Synodo laudavit: *Si inſtituta*, inquiens, *Nicænæ Synodi diligenter inſpi-*

ſpiciantur, invenietur profectò, quia Romanæ Eccleſiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum, ſed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ Eccleſiæ tribuerat particulariter, ſumſit exemplum. S. Julius I. epiſtola ad Orientales canonem 3. ex Concilio Nicæno profert, quo omnibus liceat ad Epiſcopum Romanum appellare, eumdemque canonem ex eodem Concilio laudarunt S. Zoſimus epiſt. ad African., S. Innocentius I. epiſt. ad Oriental. apud Nicephorum lib. 13. cap. 32, & epiſt. ad Victorem Carthag. S. Cæleſtinus epiſt. ad African.; S. Leo epiſt. 24. ad Theodoſium Imp.; Thedoretus vero lib. 2. cap. 4. ad Julium appellaſſe S. Athanaſium referens ait, ea in appellatione S. Athanaſium ſectatum fuiſſe Eccleſiæ canonem, quem vero, niſi Nicænum i, quum Sardicenſem Synodum ea S. Athanaſii ab Arianorum judicio appellatio ad Julium antejerit? S. Julii imo epiſtolam ad Orientales, qua Apoſtolicæ Sedi appellationis jus ex canonibus Nicænis vindicatur, recitat ipſemet etſi paulo aliter S. Athanaſius in apolog. 2. . Idem Julius eadem epiſtola alium canonem ex Nicæno Concilio depromit: *Non debere præter ſententiam Romani Epiſcopi Concilia celebrari*. Eumdem canonem ex eodem loco laudarunt S. Damaſus epiſt. ád Orientales; S. Leo I. cit. epiſt. ad Theodoſ.; S. Gelaſius tomo *de vinculo anathematis*, & epiſt. ad Epiſcop. Dardan.; Nicephorus lib. 9. cap. 5; Socrates lib. 2. capp. 8, & 17; Sozomenus lib. 3. capp. 10, & 11. Mitto epiſtolas Damaſi ad Concilium Mauritaniæ, & viciſſim iſtius Concilii ad Damaſum, ne criticis eas explodentibus tamquam ſpurias provocare ſtomachum videar. Quamquam vero geminos hoſce duos canones de jure convocandi Concilia, & de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam ex Nicæno Concilio laudatos a Pontificibus, & Patribus cenſendos fore canones Sardicenſes, qui quum in codice Romanæ Eccleſiæ ſub eodem titulo, ſub quo Nicæni legebantur, continerentur: (nam Sardicenſis Synodus appendix Nicænæ, ejuſque veluti complementum exiſtimari conſuevit), exindeque factum fuerit, ut Nicænæ Synodo adſcriberentur, emunctioris naris critici hodie cenſeant, idque veriſimilimum arbitremur, nil tamen prohibet, quominus eos canones ex decretis aliis Nicænæ Synodi, a qua alia edita tam multa ſuadent, productos fuiſſe putemus. Eſto

Eſto igitur multa Nicæno Concilio ex Arabicis canonibus aſſuta acceſſerint: eſto multa Nicæno Concilio attribuantur, quæ Sardicenſi accepta referri debeant; conjicere tamen prudens poteſt multa a Nicæno Concilio decreta, quæ in vulgatis 20. canonibus non leguntur: quorum in cenſum probe referri poſſent, quæ tum ex conciliis Arelatenſi, Carthaginenſi, Narbonenſi ſub Reccaredo Rege, & Duziacenſi II. tum ex Pontificibus Summis Innocentio I, Leone M., & Nicolao I: tum ex Galla Placidia, Theodoſio Diacono Alexandrino, Gregorio Turonenſi, Carolo M., Socrate, Sozomeno, & Petro Damiani profert, quin tamen probet, ſed imo diluere perinde ſtudet doctiſs. Chriſtianus Lupus diſſert. de Synodo Nicæna cap. 8. quamquam duos præmemoratos a S. Julio canones *Eccleſiæ canones* a Theodoreto etiam dictos iccirco, quod divina inſtitutione jampridem in Eccleſia obtinerent, alibi obſervabimus. Non itaque abs vero multum aberrarit, qui Nicæna inter decreta adnumeret, ſi non quoad verba, quoad rem tamen, canonem Arabicum 39. in verſione Turriani, qui ſic habet: *Ille, qui tenet Sedem Romæ Caput eſt, & Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, ut qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & cunctam Eccleſiam Chriſtianam, & quicumque contradixerit a Synodo excommunicabitur.* Canon 44. apud Labb. tom. 2. edit. Venet., qui ſic effertur: *Poteſtatem habet Romanus Pontifex ſuper univerſos Patriarchas, quemadmodum habebat Petrus ſuper univerſos Chriſtianitatis Principes, & Concilia ipſorum, quoniam Chriſti Vicarius eſt ſuper .. Eccleſias*: & Canon 71. in verſione Ecchellenſis, quo appellandi jus a Concilio ad Apoſtolicam Sedem confimatur: *Nec debere præter aſſenſum Romani Epiſcopi Concilia celebrari*. Eiſdem Nicænis decretis adcenſendus canon a Concilio Chalcedonenſi act. 16. ex Nicæno 6. laudatus illis verbis *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*. Quod ſi, conſtanter, ſicuti cum multis nuper a doctiſs. Berardi pugnatum eſt, contra Turrianum, & Ecchellenſem e Nicænorum canonum numero, & cenſu expungendos omnino canones Arabicos pugnes, non admodum repugnaverim, modo

non inficias eas canones iſtos Orientalibus univerſim probari. Ex quo fit,ut quæ ex Nicænis Patribus detrahitur auctoritas,ex Orientalis Eccleſiæ conſenſſione eiſdem accedat. Certe Nicænos Patres a Dionyſio Papa vocem *Omouſion*, quæ tantum Arianis faceſſivit negotii, mutuaſſe, auctor eſt S. Athanaſius lib. de Synodis. Nicænos iterum Patres Romanorum Pontificum præ oculis habuiſſe prolatum jam judicium in edendis decretis de Paſchate nonniſi die a S. Victore condicta celebrando, atque de non rebaptizandis hæreticis juxta ſtatutum a S. Stephano veriſimilimum eſt.

Auctor obſervat. Theolog. hiſtor. crit. in hiſtor. Eccleſia ſt. D. de Fleuri lib. 11. tom. 1. pugnat a Patribus Nicænis, quos putat exemplum ſectatos Concilii Arelatenſis I. ex univerſo Occidente collecti, a quo datis litteris Pontifex geſtorum omnium certior eſt factus, rogatuſque,ut geſta illa confirmaret,quod equidem exemplum ſequioris ævi Synodi imitatæ jugiter ſunt, a Patribus, inquam, Nicænis S. Silveſtro adprecatum de Concilii approbatione. Eam in rem laudat epiſtolam apud Labbeum nomine Nicænæ Synodi ad S. Silveſtrum, quam Surius e veteri codice Ms. Colonienſi excerptam edidit, quæque extat item in collectione Creſconii: in ea vero ſic legitur: *Quidquid autem conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur veſtri oris conſortio firmetur*. Promit quoque fragmentum, quod apud Labbeum tom. 2. proſtat Synodi Romanæ III. ſub S. Silveſtro, in quo Nicæna Synodus ab eodem S. Silveſtro confirmata legitur. Verumtamen mutuas epiſtolas cum Synodi Nicænæ ad S. Silveſtrum, tum S. Silveſtri ad Nicænam Synodum, unaque cum prima, ſecunda, & tertia (quamquam tertia hæc Romana Synodus eruditis nonnullis, ac nuper doctiſs. Blanco de polit., & poteſt. Eccleſ. tom. 4. pag. 554. probetur) tertia, inquam, Synodo Romana ſub S. Silveſtro, quas primus omnium confixit Iſidorus Mercator, qui circa annum *619*. ſuas propalare impoſturas cœpit, a quo deſumſere ceteri, qui ejuſmodi incaute merces expoſuere, Hadrianus I. in Capitul. ad Ingilramnum; S. Nicolaus I. in epiſt. 8. ad Michaelem; Luitprandus Ticinenſis, Burchardus, Ivo, Gratianus, iſthæc, inquam, omnia ſpuria eſſe, & ſuppoſititia conveniunt eruditi Hincmarus Remenſis, Petrus de Marca,

ca, Chriſtianus Lupus, Emmanuel Schelſtratius, Labbeus, Cabaſsutius, uterque Pagius, Natalis, Harduinus, ſexcentique alii, iis ducti momentis, tum quod ea omiſit Dionyſius Abbas, qui Romæ Codicem canonum adornavit, atque in codicibus omnibus veteribus melioris notæ deſiderari obſervarunt Juſtellus, & Queſnellus: tum quod iis in Synodis mentio occurrat Photini hæreſis damnatæ, quæ longe poſt a primo Concilio Sirmienſi proſcripta eſt; Diaconorum, & presbyterorum Cardinalium nomina ſequioris longe ætatis; & baptiſmi a S. Silveſtro Conſtantino collati, quod quamvis affirment Baronius, Binius, Labbeus, & Blanchinius in notis hiſtor. ad Anaſtaſium Biblioth. Euſebium explicans de ſacramento Confirmationis, baptizatum vero Romæ a S.Silveſtro ex Chronographia Joannis Malalæ ſcriptoris Antiocheni ſub Juſtiniano comprobans, negant tamen Euſebius lib. 4. vitæ Conſt. cap. 64. aſserens eum Nicomediæ prope moriturum ab Euſebio Nicomedienſi baptizatum; S. Athanaſius lib de Synod.; S. Ambroſius orat. in obitu Theodoſii; S. Hieronymus in Chron.; Socrates lib. 1. cap. 39; Theodoretus lib. 1. cap. 32; Sozomenus lib. 2. cap. 32; Caſſiodorus lib. 3. hiſt. tripartit.; Gelaſius Cizicenus apud Photium cod. 88; S. Iſidorus Hiſpal. in chron.; Chronicon Alexandrinum ad an. 337; & poſt ipſos Æneas Silvius in dialogis; Cardinalis Cuſanus lib. 3. Concordantiæ cathol. cap. 2; Henricus Valeſius not. in Euſeb.; Perronius apud Tillemont. annot. 65. in Conſtant. Magn.; Hermannus Doctor Sorbon. obſervat. ad vitam S. Athanaſii; Papebrochius comm.hiſt. ad vitam Conſtantini die 21. Maji; Noriſius append. ad hiſt. Donatiſtarum; Pagius crit. Baronii ad ann. 324; Monachi Benedict. in notis ad orat. citat. S. Ambroſii; Cabaſsutius in Conc. Rom. ſub S. Silveſtro; Natalis hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. IV. diſsert. 23; & Sandinus diſput. 12. Quare hiſce incertis monumentis cauſsam, quam ago, committere vereor. Ceterum Synodo Nicænæ S. Silveſtrum per ſuos Legatos præfuiſſe, atque decreta ab ea condita Sedis Apoſtolicæ calculo comprobaſse, alibi oſtendere pretium operis erit: non ſecus atque canone 6. Romani Pontificis Primatum non modo, ſed etiam Patriarchatum agnitum fuiſse, & aſsertum.

Sardicenſis Synodus habita eſt an. 347. ſub S. Julio, ſed non ſatis apte Nicænæ appendix habetur: quandoquidem quum neque utrique iidem Patres interfuerint, neque iidem Legati utrique præfuerint, neque fuerint idem Pontifex, ſub quo congregata, neque idem tempus, quo utraque celebrata, neque iidem canones ab utraque conditi, neſcio propterea quomodo factum ſit, ut Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 25, aliique poſt ipſum, Synodum Sardicenſem Nicænæ appendicem appellent. Quamquam eo quod in codice Romanæ Eccleſiæ ſub eodem titulo, atque Nicæna legeretur, diſtinctum ab ea oecumenicæ nomen non obtinuit. Multo minus eſt cur cum eodem dicatur Sardicenſis Synodus partim approbata, & partim reprobata. Nam etſi ab ea Arianis partibus addicti Præſules receſſerint, nullum inde præjudicium Synodo acceſſit, ut propterea ex Arianorum parte, ſeu ex ipſorum receſſu eſſet reprobanda. Oecumenica ergo undequaque fuit, neque dumtaxat convocatione, quod concedit Petrus de Marca lib. 7. de Concord. cap: 3, ſed etiam celebratione, & exitu, quod ille negat. Nam vel a S. Julio, ut contendunt Baronius, & Lupus, vel ſaltem de S. Julii conſcientia ab Imperatoribus Conſtante, & Conſtantio, ut arridet magis Natali hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. IV. diſſert. 27, ex univerſo Orbe convocata eſt teſtibus S. Athanaſio apolog. 2; Severo Sulpitio lib. 2. hiſt.; Vigilio Tapſenti lib. 5. contra Eutychet.; Socrate lib. 2. cap. 20; & Juſtiniano in Edicto fidei. Neque vero nonnullorum Epiſcoporum ab Synodo ſeceſſio efficere potuit, ut Synodus ab oecumenicæ gradu excideret, quandoquidem ii pauci erant, ac non amplius 80, ii abſque cauſſa receſſere, iique hæretici, vel hæreticorum ſectatores. Ei præfuit S. Julius per Legatos Acridamum, & Philoxenum Presbyteros, quorum numero quidam Oſium adcenſent, quidam abjudicant. Epiſcopi interfuere ingenti numero, qua ex Occidente, & qua ex Oriente: ex Occidente 250. juxta Theodoretum lib. 2. cap. 7, vel circiter 300. juxta Sozomenum lib. 3. cap. 11, & Socratem lib. 3. cap. 16: ex Oriente 76. juxta Socratem, & Sozomenum. S. Athanaſius in apolog. 2. ex Occidente 284. adfuiſſe refert, ſcilicet ex Italia 78; ex Canalio Italiæ 14; ex Galliis 34; ex Africa 36;

ex

ex Ægypto *92*; ex Cypro 12; ex Palæſtina 15: adjicit quamplures ex aliis provinciis conveniſſe Epiſcopos ex Iſauria, Pamphylia, Lycia, Galatia, Dacia, Thracia, Dardania, Macedonia, Epyro &c. adeoque adfuiſſe plus minus tercentos Antiſtites ex provinciis 35, ſubſcripſiſse autem præterea Epiſcopos 344. Vigilius lib. 5. adv. Eutych. 38. provincias adnumerat, quorum Præſules Sardicam ad Synodum convenerunt: cujus locum a Chiffletio detruncatum reſtituit, & defendit Lupus diſsert. de antiq. Gallic. Eccleſ. appell. cap. 32. Scriprores vitæ cum S. Athanaſii, tum S. Pauli Conſtantinopolit. apud Photium cod. 257. perhibent Synodo Sardicenſi ex Oriente adſtitiſse Epiſcopos *76*; ex Occidente ſupra 300., quod poſtremum dictum accipi debere vult Lupus de Epiſcopis etiam, qui perinde Synodo Sardicenſi adhæſerunt.

Sardicenſem equidem Synodum adverſarios paſsam aliquando S. Baſilium Cæſar., Aurelium Carthag., Photium, & Auxilium presbyterum animadvertit prælaudatus Lupus diſsert. de Synodo Sardic. cap. *6*. At S. Baſilii, & Aurelii odium ex facti ignorantia fuiſse profectum, quia nempe ille Marcellum Ancyranum hæreticum hominem a Synodo Sardic. abſolutum ægre ferret: iſte vero editum a Sardicenſi Concilio canonem de appell. ad Apoſtolicam Sedem prorſus ignoraret. Photii autem, & Auxilii exaſperatum ingenium ferre nequiviſse, ſive quod can. 10. damnata fuiſset Epiſcopi ex laico ordinatio: ſive quod can. 2. tranlatis Epiſcopis etiam laica communio ſuiſset denegata. Canones Sardicenſes tandem 20 a Græcis, 21 a Latinis recenſitos confeſtim ab Eccleſia univerſa receptos, quod inficias iverunt, ſed perperam, Petrus de Marca lib. cit. cap. 5, & poſt ipſum Queſnellus, ante Concilii Trullani tempora ab Eccleſia non approbatos autumantes, oſtendunt Baronius, Perronius, Lupus, Natalis, aliique. De Eccleſia Orientali conſtat ex Conciliis Conſtantinopol. I. in Synod. ad S. Damaſum; Chalcedonenſi in relat Synod. ad Marcianum Imperat.; ex Edicto Juſtiniani; nec non ex Collectionibus canonum Joannis Scholaſtici, quæ falſo præfert Theodoreti nomen; Auctoris Synodici; Arſenii Monachi; Alexii Ariſtini; Simeonis Logothetæ; ex Nomocanone

Pho-

Photii, in quibus 21. canones Sardicenſes leguntur. De Eccleſia vero Occidentali conſtat ex Codice Rom. Eccleſiæ, quem vulgavit Queſnellus, ex quo canones Sardicenſes ſub uno eodemque titulo, ac Nicænos comprehenſos laudarunt S. Siricius epiſt. 3. ad Orthod.; S. Innocentius I. epiſt. 25. ad Synod. Tolet.; S. Zoſimus epiſt. ad African.; & S. Leo M. epiſt. ad Theodoſium Imp.; ex quo effectum eſt, ut promiſcue pro Nicœnis Sardicenſes allegarentur. Nonniſi ergo maximi habenda eſt Synodi Sardicenſis auctoritas.

Quid autem de Romani Pontificis privilegiis non præclare dixit, decrevit, ſcripſit? Uno aut altero verbo id omne comprehendam, ut rem omnibus compertam. Canone 3, 4, & 7. in edit. Latinis Dionyſii, & Iſidori, ſeu can. 3, 4, & 5. in edit. Græcis ſemel, & ter ſtatuit, ut Epiſcopus quicumque, undecumque, a quocumque, quinimo ab ipſis Conciliis cujuſque generis appellare ad Sedem Apoſtolicam poſſet: ita autem appellanti Epiſcopo ſucceſſorem neque a Synodo ſubſtitui poſſe, donec Romanus Pontifex ſententiam protuliſſet. Quibus quidem canonibus non jus novum, ac Eccleſiaſticum tributum, ſed jus antiquum, ac divinum a Chriſto Domino Pontificibus collatum explicatur, aſſeritur, & comprobatur, ſicuti par. 2. oſtendemus tum teſtimoniis S. Julii I. epiſt. ad Orient.; S. Zoſimi epiſt. ad African.; S. Leonis epiſt. ad Epiſcop. provinc. Vienn.; S. Gelaſii commonit. ad Fauſtum, quod S. Felici III. tribuendum eſſe cenſet Cl. Maffejus, & epiſt. ad Epiſcop. Dardaniæ; Vigilii epiſt. ad Profuturum; S. Nicolai I. epiſt. ad Michaelem Imp.; aliorumque: tum exemplis appellationum, quæ tum ante Trullanam Synodum non modo, ſed imo ipſam Sardicenſem; tum poſt id temporis, omnique tempore ad Apoſtolicam Sedem interjectæ ſunt, ac inter alias ex Græcis Marcionis ad Clerum Romanum, Sede vacante; Valentis, & Urſacii ad S. Julium I; S. Athanaſii ad eumdem; Euſtathii Sebaſteni ad Liberium; Maximi Cinici ad S. Damaſum; S. Chryſoſtomi ad S. Innocentium I; Helladii Tarſenſis, & Eutherii Tyanenſis ad S. Sixtum III; Eutychetis ad S. Leonem; S. Flaviani ad eumdem; Theodoreti ad eumdem S. Leonem; Joannis Talajæ ad S. Felicem III; Stephani Lariſ-

ſenſis

ſenſis ad Bonifacium II; Joannis Lapſenſis ad S. Vitalianum; Hadriani Thebani ad S. Gregorium M., Macarii Antiocheni ad S. Agathonem; S. Ignatii Conſtantinopolitani Epiſcopi ad S. Nicolaum I. Ex Latinis vero Feliciſſimi, & Fortunati ad S. Cornelium; Baſilidis Emeritenſis ad S. Stephanum I; Cæciliani Carthag. ad S. Melchiadem; Pelagii ad S. Innocentium I; Cæleſtii ad S. Zoſimum; Chelidonii ad S. Leonem; Lupicini ad eumdem; Contumelioſi ad S. Agapetum; Salonii, & Sagitarii ad Joannem III; Januarii, & Stephani ad S. Gregorium M; S. Wilfridi ad S. Agathonem; Aldrici ad Gregorium IV; Vulfadi ad S. Leonem IV; Rothadi ad S. Nicolaum I; Hincmari Laudunenſis ad Hadrianum II; S. Thomæ Cantuarienſis ad Alexandrum III; pluriumque aliorum, atque præterea Clericorum; de quorum cauſſis etiam in prima inſtantia, ut ajunt, Summi Pontifices cognoverunt, ut eo loci lato calamo planum faciemus.

Interea quantum nunc intereſt, ac pretium operæ patitur, Sardicenſes canones ab invidioſa, ſiniſtraque quorumdam interpretatione, quos eſſe in Pontifices Romanos parum æquos perſpectum eſt, vindicare, ſuoque loco ſtabilire juvat. Petrus de Marca de Concord. lib. 6. cap. 9, poſtquam a Pontificibus Romanis appellationes a Metropolitanorum judicio ad Apoſtolicam Sedem introductas fuiſſe ſcripſiſſet, & lib. 7. cap. 2. can. 15. Concilii Antiocheni an. 341. decretum fuiſse, ut ſupremum foret Concilii provincialis judicium, a quo nullus amplius appellationi fieret locus, (qui quidem canon alibi ad incudem revocabitur) affirmaſset, canone 3. Sardicenſi Pontifici nonniſi reviſionis judicium, aut jus delatum fuiſſe contendit. Poſt Petrum de Marca, Richerium, & Launojum, eamdem in opinionem pedibus, manibuſque deſcendunt Dupinus de antiq. Eccleſiæ diſcipl. diſſert. 1, Queſnellus, & Duguet *Conferences Eccleſiaſtiques* diſſert. 67., cujus interpretatio auctori Epitomes hiſt. Eccleſ. gallice inſcriptæ *Abrege del'Hiſtoire Eccleſiaſtique* tom. 2. edit. Colon. anno 1752. art. 13. n. 7. arriſit, nec ab ea abluſit Gerbaſius *de Antiq., & major. Epiſcop. cauſſis.* Igitur juxta ipſos illiuſmodi jus a Sardicenſi Synodo Pontifici Romano collatum nuperum, novumque eſt; nec tamen Synodorum provincialium juri detractum ab ea dicen-

dicendum; ſiquidem revera appellandi jus a Concilio provinciali ad Romanum Pontificem non inductum ſit, ſed ſolummodo jus reviſionis, ſive recognoſcendi de judicio ita lato, iſtudque vel confirmandi, vel reprobandi: neque vero id juris abſolutum, ſed limitatione, certaque lege adhibita; ideſt ut allegationibus hinc, illinc adducendis rite perpenſis, non quidem finitivam ſententiam proferret Pontifex, ſed cauſſam iterum dignoſcendam, ac dijudicandam Epiſcopis provinciæ dimitteret. Id liquere ex can. 7. ejuſdem Sardicenſis Concilii, liquere ſcilicet Pontifici haud licitum eſſe de Synodi provincialis judicio judicare, nec judicium iſtud reſcindere, nec judices, ut libuerit, judicii jam lati reviſores deſignare.

Quam vero a veteri Eccleſiæ doctrina, & diſciplina interpretatio iſta aliena ſit, & aberret, part. 2, ubi de jure appellat. ad Pontificem agendum erit, palam fiet. Impreſentiarum ut illud prætercam, quod, ut mox innui, privilegium iſtud divino jure Pontifices ſibi jugiter vindicarunt: illud præterea, quod vel Fleurius animadvertit, Sardicenſi huic canoni locum feciſſe S. Athanaſii ad S. Julium a judicio Synodi Tyriæ appellationem, in qua quidem ſummo jure a S. Julio judicatum, reſciſſumque Synodi judicium, ſuo loco, quo alia quoque, & quam plurima ejuſmodi appellationum exempla perſequemur, faciam palam. Certe eumdemmet canonem Sardicenſem 7. in edit. Dionyſii Exigui, 5. in edit. Græca Gentiani Herveti, quem ſibi præſidio eſſe putant, obeſſe magis mox oſtendo. Enim vero eo canone ſtatuitur: 1, quod Epiſcopus a Synodo damnatus, ſi ſententiæ ſtare noluerit, Romam Pontifici ſcribat; ut renovari, retractarique alia] in Synodo judicium jubeat: 2, quod Romanus Pontifex judicet num renovandum ſit, retractandumque judicium: 3, quod ſi judicaverit renovandum judicium, judices det, aut in provincia, aut ex provincia: 4, quod ſi e re eſſe is exiſtimarit, Legatos ſuos ad ſecundum judicium dirigat. Quæ quæſo quid aliud præferunt apud æquum rerum æſtimatorem, quam quod contendimus, ſcilicet canone Sardicenſi aſſertum Sedi Apoſtolicæ ſupremum appellationis jus? ejuſmodi enim juri nihil officit, quod judex num retractandum judicium ſit dijudicet: quod judex

dex alios judices deleget: quod judices in provincia, vel ex provincia deligat, utpote quibus maxime perſpecta cauſſa ſit, ac finiendæ cauſſæ ſint præſto: quum id omne, idque quam maxime, quod a latere Legatos dirigere in poteſtate ipſius ſit poſitum, nihil aliud præferat, quam jus appellationem recipiendi, aut respuendi; atque jus de primo judicio judicandi, illudque aut probandi, aut reprobandi: multo magis, quod eodem canone 7. Sardicenſi tum in verſione Dionyſii latina, quæ aliis eſt anteferenda, quum Sardicenſes canones latine editi ſint, tum in verſione Græca Gentiani Herveti appellationis vocabulum adhibetur.

Præterea hoc revera Patribus Sardicenſibus inſediſſe conſilium ſit manifeſtiſſimum ex altero capite ubi egregium de Romani Pontificis Primatu teſtimonium perhibent: in epiſtola ſiquidem Synodica ad S. Julium apud S. Hilarium in fragmentis hæc habent: *Hoc enim optimum, & congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad Caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem, de ſingulis, quibuſque provinciis Domini referant Sacerdotes*. Ad hæc Theodoretus lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 8; Sozomenus lib. 3. cap. 12; & Vigilius Tapſenſis lib. 5. contra Eutych. auctores ſunt a Patribus Sardicenſibus fidei formulam, apprime quidem Nicænæ conſonam, ſed verbis explicatiorem, exaratam: veritos vero, ne ea de re in crimen vocarentur, ſcripſiſse ad S. Julium, operis, & conſilii eum certum facientes; quippe intelligebant ſine Julii conſenſu novam cudi fidei formulam non licere: *Eodem tempore*, ſcribit Sozomenus, *aliam fidei formulam ediderunt, pluribus quidem verbis ſcriptam, quam quæ in Concilio Nicæno edita fuiſset, ſed tamen eamdem complectentem ſententiam, & verbis non multum ab illa diſcrepantem. Ad extremum Oſius, & Protogenes veriti, ne quibuſdam viderentur decreta Concilii Nicæni innovari, ſcripſere ad Julium, & teſtati ſunt ſe illa quidem rata habere, ſed quo facilius intelligerentur, eadem pluribus verbis explicaſse, eo conſilio, ne Arianis, qui brevitate formulæ fidei in eo Concilio editæ abutebantur, facultas ex verbis daretur imperitos in abſurdam aliquam opinionem rapiendi*. Verum quia iſta fidei profeſſio Sardicenſis eruditis ſuſpecta eſt, eo quod Synodus Alexandrina anno 362. ſub S. Athanaſio epiſt. ad Antiochenos negat a Syno-

do Sardicenſi ullum editum fidei exemplar, idemque confirmat S. Euſebius Vercellenſis ſubſcriptione ſua ei adjecta epiſtolæ, nolim ex incerto monumento Pontificum Romanorum cauſsæ, quam ago, patrocinium quærere. Confer Chriſtianum Lupum in ſcholiis ad can. 3. Sardic., ubi Theodorum Balſamonem, Georgium Cedrenum ſchiſmaticos homines canonem 3. Sardicenſem ſiniſtre interpretantes de appellationibus ad Roman. Pontificem tanquam Patriarcham a ſolis Occidentis Epiſcopis ejuſdem jurisdictioni Patriarchicæ ſubjectis interponendis, teſtimoniis, exemplisque ab Eccleſia Orientali deſumtis refellit, & refutat.

Ex Concilio Conſtantinopolitano I. anno 381. ſub S. Damaſo celebrato ad Romani Pontificis, quibus de agimus, privilegia vindicanda egregia excerpere eſt argumenta. 1. Enim vero, quum paulo ante definiviſſet S. Damaſus Patri, Filioque Spiritum Sanctum eſſe conſubſtantialem, Concilium in Illyrico anno 367. celebratum religioni duxit a Pontifice definitis ſtare, integreque adquieſcere: *Nos non aliter*, ajentes antiſtites, *ſentimus atque duo Concilia, quorum alterum jam Romæ, alterum habetur in Gallia, nimirum unam, eamdemque eſſentiam eſſe Patris, & Filii, & Spiritus Sancti in tribus perſonis, hoc eſt in tribus perfectis hypoſtaſibus*. Quibus poſtremis verbis ſat ſignificarunt vocem *hypoſtaſis* pro perſona a S. Damaſo aſſumtam ſe amplecti. Nec abſimili ſibi agendum ratione Orientales Epiſcopi exiſtimarunt: vix enim accepto epiſtolarum a S. Damaſo in Romana Synodo elucubrato exemplari, quo a Pontifice Ariani, Macedoniani, Apollinariſtae, harumque ſimiles peſtes anathemate percellebantur, fideique formula adverſus has hæreſes præſcribebatur, quam legere eſt apud Theodoretum lib. 5. cap. 10., confeſtim Antiochiæ an. 378. congregati eidem ſyngrapham adjicere ſuam officio, ac religioni duxerunt, ſcilicet Meletius Antiochenus Epiſcopus, Metropolitæ alii ſex, aliique 146. Epiſcopi hiſce verbis, ut habetur in collect. Roman. Holſtenii part. 1. *Conſentio omnibus ſupraſcriptis; & ſi quis præter hæc ſentit, anathema ſit*. Quid imo, quod ut ex Sozomeno lib. 6. capp. 10, 11, & 21, ſive 22. edit. Valeſii obſervavit etiam Illuſtriſs. Boſſuetius, Macedoniani ipſimet Spiritus Sancti Divinitati infeſti, ſibi nihilominus quieſcendum S. Damaſi

maſi definitioni duxerunt? *Utpote*, inquit Sozomenus, *controverſia judicio Romanae Eccleſiae terminata, ſinguli quievere, & quæſtio finem accepiſse videbatur*. 2. Quia vero poſtea pace abrupta Macedoniani non modo non conticuere, ſed turbas imo majores ciebant, adſtipulatique iis Apollinariſtæ turbabant omnia, ſuſdeque cuncta agebant, atque hinc, & illinc ingentibus jactari procellis Nicæna fides non deſinebat, partium eſſe ſuarum duxit S. Damaſus coacto Concilio quæſtionibus finem imponere, Nicænamque fidem in tuto collocare. Ergo Epiſcopis Græcis, Latiniſque diem dixit, quo Romæ conſiſterent Synodum celebraturi. Præſto fuere Latini: Græci, qui Conſtantinopolim ſimul convenerant, datis ad S. Damaſum litteris, directiſque legatis moram ſuam excuſarunt, ſcilicet ob ſuarum Eccleſiarum diſcrimen in Oriente detentos Romano Pontifici obtemperatum ſe proficiſci non poſſe. Legere eſt haſce epiſtolas apud Theodoretum lib. 5. cap. 9, quibus id quoque ſignificant Conſtantinopolim ſe conveniſſe juſſos litteris a Pontifice ſuperiori anno ad Imperatorem miſſis: *Conveneramus apud Conſtantinopolim*, inquiunt, *ad litteras a Reverentia veſtra ſuperiori anno poſt Concilium Aquilejenſe ad Religioſiſſimum Imperatorem Theodoſium miſsas*. Ex quo corruit eorum aſſertio, qui inconſulto S. Damaſo Conſtantinopolitanum hocce Concilium ab Imperatore indictum contendunt. Agnoſcebant ergo dubio procul Damaſi Primatum, eique jubenti, vocantique obediendum ſibi eſſe, & obſequendum: obediere vero, reque ipſa obſequuti ſunt S. Paulinus Antiochenus, & S. Epiphanius in Cypro Epiſcopi, ut auctor eſt S. Hieronymus epiſt. 27. ad Euſtochium. Exinde vero liquet in errorem a Theodoreto lib. 5. cap. 8. raptum Coutantium, dum in monito prævio ad epiſt. Synod. Concil. Conſtantinopolitani cenſuit Orientales Epiſcopos ob privata negotia Conſtantinopolim conveniſſe: ſiquidem in vim Synodicæ a S. Damaſo directæ conveniſse ipſimet in Synodica indicata apertiſſime profitentur. Etſi vero, ut Baronio viſum eſt, ad faciendum fucum ab Orientalibus Synodica illa compoſita fuerit, ex ea tamen conſtat parendi Romano Pontifici onus ab Orientalibus, vel re parere renuentibus, agnitum, & affirmatum.

Concilium egere ergo Conſtantinopoli Græci ad 150. Epiſco-

ſcopi. Initio generale non fuit, quia nec a S. Damaſo congregatum, ut nonnullis placet, nec ei S. Damaſus per Legatos præfuit: ea de re Oecumenicum non audivit, nec ab Occidentali Eccleſia receptum eſt, donec S. Damaſi calculo comprobaretur: unde Epiſcopi Italiæ epiſt. Synodica ad Theodoſium Concilio huic Conſtantinopolitano profecto, & palam refragati ſunt, ita enim ſcripſere: *Nos igitur in Synodo ea, quæ totius orbis Epiſcopis videbatur eſſe præſcripta, nihil temere ſtatuendum eſse cenſuimus: at eo ipſo tempore, qui generale Concilium* (ſic vocant Romanum a Damaſo an. 380. celebratum) *declinaverant, Conſtantinopoli quæ geſſiſse dicuntur? Nam quum cognoviſſent ad hoc partium veniſse Maximum, ut cauſsam in Synodo ageret ſuam, quo etiamſi indictum Concilium non fuiſset &c.* Ea etiam de re S Damaſus illud pro œcumenico non habuiſſet, iccirco præſertim quod ipſe epiſt. ad Orient. apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. Ariminenſe exploſerit, quia Romani Pontificis non fuiſset ſententia expectata, neque ejuſdem Pontificis Legati interfuiſsent. Interea, ut mea nunc intereſt, eodem in Conſtantinopolitano Concilio can. 5. conſtitutum eſt circa *Tomum Occidentalium* eos recipiendos, qui Antiochiæ unam, eamdemque eſſe Patris, Filii, & Spiritus Sancti Divinitatem confeſſi fuerant. Occidentalium autem *Tomi* nomine fidei formulam deſignatam a S. Damaſo adornatam, ſubſcriptamque ab Antiochena Synodo anno 378. recte admonent Valeſius in not. ad cap. 3. lib. 1. hiſt. Theodoreti, & Baluzius in collect. ad an. 377. Nec a Valeſio, & Baluzio multum abludunt Baronius, & Pagius: ſiquidem inter eos tota in eo ſita lis ſit, an in Synodo adverſus Arianos, Macedonianos, & Apollinariſtas, an magis in Synodo adverſus Auxentium habita ea demum a S. Damaſo fidei formula fuerit elucubrata, directaque ad Paulinum, ut legitur apud Theodoretum, ſive potius ut obſervarunt eruditi, ad Acholium Theſſalonicenſem. Non moror autem Juſtellum *Tomi* nomine interpretantem decreta a Concilio Antiocheno adverſus Arianos: nam *Tomus* iſte a Concilio Conſtantinopolitano Occidentalium dictus eſt, Concilium autem Antiochenum ex Orientalibus fuit conflatum. Nec moror magis Beveregium, & Wanefpenium, qui quamvis pro *Tomo*
Occi-

Occidentalium intelligant epiſtolam Synodicam a S. Damaſo in Synodo Romana adornatam, qua (in quo pariter falluntur) ad Concilium Romanum Orientales Epiſcopi invitabantur, contra fidem codicum, & eruditorum omnium ſententiam canones Concilii Conſtantinopolitani ad unum omnes ſuppoſititiis adnumerant. Moror multo minus Balſamonem, Zonaram, & Scholiaſtem Harmenopoli, ad quos acceſſit demum Andreas Rhodius in Concilio Florentino ſeſſione 7, arbitratos *Tomi* Occidentalium nomine ſignificatam iviſſe fidem Nicænam in Synodo Sardicenſi firmatam: quid enim, amabo, Sardicenſis Synodi ad Antiochenos? ſiquidem Sardicenſi omnes ferme in Orbem Eccleſiæ adhæſerint, ut ob adhæſionem proinde peculiari nota afficienda non fuerit Antiochena.

Concilio abſoluto Conſtantinopoli, apprime compertum habentes Epiſcopi abſque Sedis Apoſtolicæ aſſenſu, & auctoritate infirma fore, floccique facile habenda, quæ in Concilio decreviſſent, litteris, Legatiſque una cum geſtorum relatione ad S. Damaſum directis rogarunt etiam, atque etiam, ut rata omnia ab ſe ſtatuta eſſe juberet: *Quibus*, inquiunt, *rebus tanquam canonice, ac legitime apud nos conſtitutis veſtram quoque Reverentiam gratulari obſecramus, ſpiritali charitate nos mutuo devinciente*. Oecumenicum ergo evaſit Concilium, & ut Canonica ab Eccleſia univerſa recepta ſunt ejus circa fidem ſtatuta, ſtatim ac S. Damaſus dignitatem, & auctoritatem tribuit, & aſſenſu ſuo roboravit. De ejuſmodi aſſenſu, & auctoritate Romani Pontificis, quæ Concilio Conſtantinopolitano I. acceſſerit, equidem dubitant eruditi nonnulli, eo præſertim, quod Flaviano Antiocheno Epiſcopo, cujus ordinatio, agente in vivis adhuc Paulino, Occidentalibus probata non fuerat, fuerat vero Orientalibus in Concilio, quo de agitur, communione annis 17, ideſt ad annum uſque 398, quo a S. Joanne Chryſoſtomo redintegrata eſt, Pontifices Romani conjungi renuerint. Attamen de hoc S. Damaſi aſſenſu ſcripſit Photius lib. de Synodis: *Quibus* (Epiſcopis) *non multo poſt tempore etiam Damaſus Romanus Antiſtes eadem confirmans agnoſcebatur conſentaneus decretis factus*: acclamavere Patres VI. Synodi act.18: *Macedonius Deitatem Spiritus Sancti dene-*

denegabat, *ſed Maximus Imperator Theodoſius*, *& Damaſus adamas fidei*, *cujus ſolida mens adgreſſionibus*, *atque conflictibus alienarum ſectarum nullatenus erat ſauciabilis* ... *in hac regia Urbe Synodum congregabant*, *& ſacrilegam quidem linguam a Sacerdotio abſcindebant*: & legitur in codice vetuſtiſſimo Bibl. Vaticanæ, nec non in alio S. Mariæ Majoris, quos laudant Baronius, & Binius: *Sententiam de damnatione Macedonii*, *& Eunomii Damaſus confirmari præcepit etiam in ſancta Synodo II, quæ præcepto, & auctoritate ejus apud Conſtantinopolim celebrata eſt*. Non tamen a S. Damaſo in auctoritatem admiſſus eſt canon. 3. ab eodem Concilio adornatus, quo ſecundus poſt Romanum Pontificem dignitatis gradus Conſtantinopolitano Epiſcopo tribuebatur: neque etiam ipſius ſucceſſoribus idem canon acceptus fuit, ſed imo potius rejectus, ut de S. Leone liqnet ex epiſt. 53. ad Anatolium; de S. Gelaſio conſtat ex epiſt. 7. ad Epiſcop. Dardaniæ; de S. Gregorio M. liquet ex lib. 6. epiſt. 31; quo ex defectu deſpicatui habitus eſt, nulliuſque honoris canon ille, donec Innocentius III in Concilio Later. IV. can. 5. illum valere ſiviſſet. Attamen eodem canone 3. agnovere, faſſique ſunt Græci Antiſtites juris eſſe Divini Romani Pontificis primatum, quandoquidem poſt ipſum primatus honorem Conſtantinopolitano Epiſcopo aſſeruere, aſſerturi proculdubio primum, ſi non obſiſtere divinam inſtitutionem reputaſſent. Præterea Symbolum eodem in Concilio conditum, ſeu verius verbis expreſſioribus expoſitum, quod aut ab eo tempore Nicæni mutato nomine Conſtantinopolitanum audivit, aut retento Nicœnum adhuc vocatur, quamvis ab omnibus Græcorum Eccleſiis confeſtim Nicæni loco habitum fuerit, Eccleſiæ tamen latini eloquii, quibus antiquius erat Apoſtolicum ad Miſſarum ſolemnia decantare dumtaxat Symbolum, nonniſi longum poſt ævum Apoſtolicum in Conſtantinopolitanum mutatum adhibere cœperunt: ſcilicet Hiſpana ſub Reccaredo Rege in Synodo Toletana III an. 589; Gallicana ſub Carolo Magno in Synodo Aquiſgranenſi an. 809; Romana nonniſi poſt ætatem Joannis VIII, ſub quo nec dum Romæ Symbolum Conſtantinopolitanum decantabatur. Sed de hoc argumento alibi.

Jam vero quis non miraretur, ſi quem ex actis Conſtantinopoli-

politani Concilii aliquid expiſcari, & exculpere conantem cerneret, quo Romani Pontificis in fide indeficientiam enervet, ac, ſi fieri poſſet, evertat? Nihilominus Boſſuetius (ſive auctor quiſquis id ſit Defenſ. declarat. Cleri Gallic., nam de Boſſuetio non nemo dubitat) Boſsuetius, inquam, vir alioquin dignitate, ac doctrina conſpicuus, atque ob alia egregia in Eccleſia merita celebris, lib. 12. cap. 8. id conatus eſt. In id enim incumbens totus, ut ſola Eccleſiarum conſenſſione quæſtiones fidei finitas ſuadeat, adeoque Romanum Pontificem in hujuſmodi judiciis ferendis infallibilem minime eſse, niſi ei ita judicanti Eccleſiarum accedat conſenſus, contendit Synodi II Patres id dumtaxat a S. Damaſo poſtulaſse, atque ab Epiſcopis ſub eo congregatis in Romana Synodo, ut conſenſum ſuum a Concilio definitis præberent: ſcilicet ut communi Orientis, & Occidentis conſenſſione decreta firmarentur. Id vero ſuadere ſibi videtur ex verbis Synodi in epiſt. ad S. Damaſum, quibus, poſt ſupra recitata, ſubnectunt: *Ut quum verbum Dei communi conſenſu ſtabilitum, & Chriſtiana inter nos charitas confirmata fuerit, dicere deſinamus: Ego quidem ſum Apollo, ego autem Cephæ.* At vero eum longe a vero abire ex eo ſuadetur, quod (de verbis ne vitilitigemus) vel exiſtimat conſenſum expetitum a S. Damaſo alterius eſse rationis, ac ſit conſenſus expoſtulatus ab alio quovis Epiſcopo, vel non: ſi poſtremum, igitur quemadmodum uniuſcujuſque Epiſcopi conſenſus non eſt neceſsarius, imo etſi ſit contrarius, nihil obſtat a Synodo communibus ſuffragiis decretis, ita rata, & firma erunt Synodi decreta, quamvis iis non acceſserit Romani Pontificis aſsenſus, imo etſi adverſus extiterit: quod nemo dixerit. Si primum, quæſo, iterumque quæſo is alterius rationis conſenſus, quis tandem ſit, niſi quem ex Synodi actis exhibuimus, ac talis, tantuſque, ut eo adjecto Synodi decreta rata habeantur, eo deficiente ea nihil obtineant: hujus autem generis conſenſus quid aliud præſefert, quam ſupremam in ipſa Concilia poteſtatem? Quandoquidem, ut verbo repetam, Pontifici ſoli definienti adhærere Concilium oporteat, Concilio autem definienti Pontifex denegare aſsenſum impune poſſit, eoque denegato confeſtim a Concilio definitum quodlibet concidere neceſse ſit.

ſit. Quæ omnia ex dictis ſatis liquent, ut propterea longiori amplius oratione non indigeant. Unum addam: Euſebium Dorylæenſem errore facti deceptum act. 16. Concilii Chalcedonenſis dixiſse canonem 3. Concilii I. Conſtantinopolitani a S. Leone Romæ fuiſse receptum, atque iccirco eidem canoni ſe ſubſcripſiſse: falſum id quidem dixiſse ex eo, ut diximus, patet, quod S. Leo præcit. epiſt. ad Anatolium eum canonem apertiſſime reprobarit: ſubſcribendo tamen canoni ea ratione, quod S. Leoni placuiſset, ſatis planum feciſse ſupra Synodi auctoritatem ab ſe Romani Pontificis habitam poteſtatem. Quod ſignificavit ita agendo Euſebius, id verbis expreſſis S. Damaſus, quibus in epiſtola ad hanc Synodum I Conſtantinopolitanam apud Theodoretum lib. 1. cap. 10. ſic loquitur: *Quod veſtra charitas debitam Sedi Apoſtolicæ reverentiam tribuit, Filii honoratiſſimi, vobis quoque maximo ſane honori eſt... Nam in ſancta Eccleſia, in qua Sanctus Apoſtolus ſedens nos docuit quo pacto illius gubernacula, quæ ſuſcepimus, tractanda ſint, nobis primæ partes deferuntur*. Quibus nihil expreſſius ad oſtendendum debuiſſe Synodum ab ſe definitorum confirmationem expoſcere, & expectare a Pontifice, Pontificiſque in rebus fidei definiendis primas partes eſſe, adeoque ipſius judicio omnes ſubjacere, ipſum vero nullius ſubjectum eſſe.

Ex Epheſino, & Chalcedonenſi.

§. II.

EPheſinum anno 431 ſub S. Cæleſtino celebratum egregia in hanc rem ſuppeditat argumenta. Principio quum Neſtorius quam impie, tam impudenter, qua ſermonibus, & qua ſcriptis Dominicæ Incarnationis Myſterium impetere non deſiſteret, duas in Chriſto perſonas adſtruens, Beatiſſimæque Virgini Dei genitricis dignitatem adimens, partium ſuarum eſſe duxit S. Cyrillus hujuſce hæreſis nomine Neſtorium ad S. Cæleſtinum deferre, eidemque geſtorum ab ſe cum hæretico homine rationem reddere, rogans etiam, atque etiam, ut quid agendum, tenendumque eſſet

eſſet ſibi non modo, ſed & omnibus Orientis Epiſcopis manifeſtum faceret: *Digneris*, inquit, *nobis declarare*, *quid tibi videatur*, *&* *an cum illo* (Neſtorio) *communicare oporteat*, *an libere denuntiare neminem cum eo*, *qui talia ſentit*, *ac docet*, *communicare*. *Opus eſt autem*, *ut tuæ pietatis ſuper hac re ſententia tum piiſſimis*, *Deique amantiſſimis Macedoniæ Epiſcopis*, *tum omnibus Orientis Antiſtitibus per litteras manifeſta fiat*. *Illis enim cupientibus anſam dabimus*, *ut uno animo in una ſententia perſiſtant*, *&* *rectæ fidei*, *quæ impugnatur*, *opem ferant*. S. Cyrillo igitur perſpectum, perſuaſumque erat, idque pariter ipſo teſte perſuaſum, perſpectumque omnibus Orientis Epiſcopis fas non eſſe cum homine, antequam pro hæretico a Pontifice haberetur, communionem abſcindere: atque ut pro hæretico haberetur, unius Pontificis judicium deſiderari, iſtiuſmodi vero judicium tanti eſſe, ut tum nulli fas ſit ab eo vel latum unguem diſcedere, tum ut omnes tuto eidem, tranquilleque adquieſcerent. Quid vero quod Neſtorius ipſe intelligens ſtare ſupra ſe Romanum Pontificem, ſeque peſſime auditurum, ſi a Pontificis ſive communione, ſive obedientia, ſive fide deflecteret, litteras ſemel, & iterum S. Cæleſtino inſcripſit obſequii plenas, tum inſtrui ſe de Pelagianorum cauſſa enixe poſtulans, tum Pontificem de doctrina ſua certiorem faciens? Fraude, arteque ad fallendum compoſita equidem hæreticus homo, hæreſique hærens fecit: attamen facto, quid recte faciendum fuiſſet, oſtendit.

Itaque S. Cæleſtinus Synodo coacta litteris, aliiſque ſcriptis tum S. Cyrilli, tum Neſtorii rite libratis, epiſtolis inſcriptis tum ad S. Cyrillum, tum ad Clerum, populumque Conſtantinopolitanum, tum ad Neſtorium ipſum, tum ad Epiſcopos Orientales, ideſt ad Joannem Antiochenum, Juvenalem Hieroſolymitanum, & Ruffum Teſſalonicenſem, quas legere eſt apud Coutantium tom. 1. epiſt. Rom. Pontif., & apud Labbeum tom. 4. Concil. edit. Venet., juſſit, ut niſi intra decem dies Neſtorius reſcipiſceret, hæreſis nomine audiret, locoque ſuo deturbaretur: *Auctoritate*, inquit in epiſt. ad S. Cyrillum, *tecum noſtræ ſedis adſcita*, *noſtra vice uſus hanc exequeris diſtricto rigore ſententiam*, *ut aut intra decem dies ab hujus conventionis die numerandos*, *pravas præ-*

dicationes ſuas ſcripta profeſſione condemnet, aut niſi hoc fecerit, mox Sanctitas tua illi Eccleſiæ proviſura a noſtro eum corpore modis omnibus ſciat eſſe removendum. Ejuſmodi juſſionem cum Neſtorio, tum Epiſcopis omnibus innoteſcere idem S. Cæleſtinus voluit: tanti vero habita eſt ſive a Neſtorio, ſive ab Epiſcopis, ut Neſtorius tertio epiſtola ad S. Cæleſtinum exarata errorem ſuum mollire, excuſareque ſtuduerit: tum Joannes Antiochenus Neſtorio alioquin amicitia conjunctus epiſtola ad eumdem conſcripta ad parendum Pontifici, erroremque ejurandum adhortatus ſit: tum Synodus Alexandrina a S. Cyrillo coacta ſacræ S. Cæleſtini juſſioni adhærere religioni duxerit, ad ejuſque amuſſim adverſus hæreticum hominem agere: tum Synodus Epheſina officii loco habuerit ne latum unguem a Pontificis decretis diſcedere, ſatis, ſuperque ducens ab eo latam ſententiam executioni demandare; ejuſque imperatis ſe omnimode coaptare.

Enim vero act.1.in Neſtorium ita Patres pronuntiant: *Coacti per ſacros canones, & epiſtolam Sanctiſſimi Patris noſtri, & Comminiſtri Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, lacrymis ſubinde perfuſi, ad lugubrem contra eum ſententiam neceſſario venimus*. Audis Patres coactos ſe fateri per canones, & Papam Cæleſtinum, ſed per quos rogo canones, niſi quibus Romano Pontifici auſcultandum præcipitur? Agnoſcebant ergo neceſſario Pontifici Romano fore parendum, nihilque eſſe reliquum, niſi ut religioſe mos idem juben-ti gereretur. Actione 2. lecta eſt S.Cæleſtini epiſtola ad Concilium, qua inquit ille: *Direximus .... Arcadium, & Projectum Epiſcopos, & Philippum presbyterum noſtrum, qui iis, quæ aguntur, interſint, & quæ a nobis antea ſtatuta ſunt exequantur; quibus præſtandum a veſtra Sanctitate non dubitamus aſsenſum*. Nec imperatus ſane deſiit aſsenſus, aut deſiderata eſt obedientia, nam ſtatim legitur dixiſſe Firmus Cæſareæ Epiſcopus: *Apoſtolica, & ſancta Sedes Cæleſtini etiam ante de præſenti negotio ſententiam, regulamque præſcripſit, quam nos quoque ſecuti formam illam executioni mandavimus*. Viden jubere Cæleſtinum, ut a Concilio executioni demandentur, quæ ipſe decreverat, videlicet ſi Neſtorius intra 10. dies non reſipiſceret, ab Epiſcopatu detruderetur, & diris omnibus eſſet devotus! Pontifici vero ita jubenti ſibi

ſibi obſequendum, religioſeque obtemperandum ſtatim intelligere! Ea de re eadem Synodus act. 3. Imperatori narrat a Cæleſtino jam damnatum Neſtorium, ſibique non eſſe diſcedendum ab ejus ſententia ullo modo.

Neque objicias Neſtorium intra 10. illos dies non reſipuiſſe, nec tamen Cæleſtini ſententiam fuiſse executioni mandatam. Nam ſcias deſuper S. Cyrillum ad Cæleſtinum litteras dediſse, quibus Pontifex annuit, ut ſententiæ ſuæ executio tamdiu ſuſpenderetur, quamdiu ſpes affulgeret Neſtorium ad frugem reducendi. Extant in actis Concilii geminæ iſtæ Epiſtolæ. Sed illud animadvertas in inſtructione Legatis ſuis tradita mandaſse S. Cæleſtinum, ut quoad ea, quæ ipſe definierat, nullam contentionem admitterent, eoſque damnarent, qui lites deſuper movere auſi fuiſsent: *Ad diſceptationem*, inquit, *ſi fuerit deventum, vos de eorum ſententiis dijudicare debetis, non ſubire certamen*. Legendus Cl. Lupus in hoc Concilium. Porro Baluzius etſi Petri de Marca diſcipulus ex duobus codicibus Mſs. altero Colbertino, Vaticano altero erutum publici juris fecit Commonitorium S. Cæleſtini Papæ, quo ſcilicet, ut mox dicebamus, Legatis ſuis ad Epheſinam Synodum miſſis mandat, ut executioni demandarent, quæ ab ſe jam ſtatuta fuerant de Neſtorio, nec ea in quæſtionem adduci paterentur; quinimo auctoritatis Apoſtolicæ pondere defenderent. Executio vero ſententiæ in Neſtorium S. Cyrillo demandata eſt, qui proinde act. 3, *Ea*, ait, *quæ a Cæleſtino decreta jam fuerant executi ſunt* (Legati ſcilicet). Legatus alter Projectus, *Ego*, ait, *auctoritate Sedis Apoſtolicæ una cum Fratribus meis ſententiæ executor exiſtens definio Neſtorium* &c. Ex quo ruit opinio Petri de Marca lib. 4. cap. 4. ajentis Neſtorium appellaſſe ad Imperatorem, ab eoque reſcriptum obtinuiſſe, quo tam Romanæ, quam Alexandrinæ Synodi ſententia, vel ſuſpenderetur, vel abrogaretur. Nam ea ſententia in Synodo tantummodo Neſtorio ſignificata eſt, & aliquantulum quidem, ut diximus, ſuſpenſa ex conſenſu Cæleſtini, ſed tamen poſtea executioni mandata. Fatemur equidem Concilium a Theodoſio Imperatore indictum, uti teſtati ſunt Legati ipſi Apoſtolici, ſed eam convocationem ratam habuiſſe S. Cæleſtinum ex eo conſtat,

 quod

quod a Theodoſio acceptis litteris ea de re continuo ſuos Legatos miſerit, inter quos S. Cyrillus primum locum tenuit. Launojus pro peſſimo ingenio quæcumque inficiandi, quæ ſupremæ Pontificiæ poteſtatis ſpeciem præferant, negat S. Cyrillum vices Cæleſtini eo in Concilio tenuiſſe; ſed ut obſervat Baluzius in notis ad Marium Mercatorem, id defendi nullo modo poteſt: nam in actis Concilii act. 4. de S. Cyrillo dicitur: *Regente etiam locum Sanctiſſimi, & Beatiſſimi Romanorum Eccleſiæ Archiepiſcopi Cæleſtini*: & act. 1. ante adventum aliorum Legatorum, qui act. 2. tantum adfuere, legitur: *Conſidentibus in Eccleſia Epiſcopis Cyrillo Alexandriæ, qui & Cæleſtini quoque Sanctiſſimi Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi locum obtinebat, & Juvenali Hieroſolymorum* &c.

Eadem act. 3. Philippus Legatus alter ſic Synodi Patres allocutus legitur: *Nulli dubium, imo ſæculis omnibus notum eſt, quod Sanctus, Beatiſſimuſque Apoſtolorum Princeps, & Caput, fideique columna, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentum a Domino noſtro Jeſu Chriſto Claves regni accepit, ſolvendique, ac ligandi peccata poteſtas ipſi data eſt, qui ad hoc uſque tempus, & ſemper in ſuis ſucceſſoribus vivit, & judicium exercet*. Quibus nihil illuſtrius ad oſtendendam Romani Pontificis infallibilitatem, & auctoritatem. Præterea act. 4. Juvenalis Epiſcopus Hieroſolym. ſic fatus perhibetur: *Oportebat Joannem Reverentiſſimum Antiochiæ Epiſcopum, hac ſancta, magna, & Oecumenica Synodo conſiderata, confeſtim, ut de iis, quæ ſibi objiciuntur, ſe purgaret, accurrere, & ad Apoſtolicam Sedem Magnæ Romæ nobiſcum conſidentem; ac obedire, & honorem deferre Apoſtolico throno Dei Eccleſiæ Hieroſolymorum: præſertim, quum apud illam Sedem Antiochenæ ipſi Sedi ex Apoſtolico ordine, & traditione mos ſit dirigi, & apud ipſam judicari*. Quæ ſane poſtrema verba ad Romanam Sedem pertinere perſpicuum eſt. Perronius in reſponſ. ad Regem Angliæ lib. 1. cap. 25. contendit loco τὸ *Hieroſolymorum* inſcite a latino interprete traducto, legendum eſſe cum Peltano *Romanorum*; ut ſenſus ſit oportuiſſe obedire, & honorem deferre Sedi Apoſtolicæ Romanæ: idque probat tum ex contextu, ex quo patet ibi ſermonem eſſe de Romano Pontifice per Legatos præſidente:

dente: tum ex eo, quod Antiochenam Romana, nuſquam Hieroſolymitana Sedes dijudicarit: tum ex eo, quod Synodus Antiochena ſub ævum S. Athanaſii nullius momenti habita fuerit ob abſentiam Romani Pontificis, aut ejuſdem Legatorum: tum ex eo, quod Hieroſolymitano, qui imo paruit Caſarienſi, nuſquam paruit Antiochenus Epiſcopus: tum ex eo, quod Epheſinum ipſum Concilium cauſſam Joannis Antiocheni ad Summum Pontificem dijudicandam remiſit. In Concilio Chalcedonenſi, cui aderat Juvenalis ipſe, Anatolius Epiſcopus cenſuit Maximum Antiochenum ſedere debere in Concilio, iccirco quia S. Leo in ſuam illum communionem receperat; & in Concilio Conſtantinopolitano adverſus Monothelitas cauſſa Macarii Antiocheni a Concilio de gradu dejecti remiſſa fuerat ad Romanum Pontificem. Sed & idem Joannes Neſtorio amico ſcripſerat oportere Pontifici utriuſque ſuperiori facere ſatis: ac poſtmodum S. Sixto III. Cæleſtini ſucceſſori litteras dedit, quibus ſignificabat, tum ſe, & ſuos Orientales ſententiæ in Neſtorium latæ adquieſcere; tum ſe, & ſuos fidem tenere, quam Pontifex ipſe tenebat. Patres præterea Epheſini epiſt. ad S. Cæleſtinum, qua de Concilii actis rationem ei reddebant, *Perlectis*, inquiunt, *commentariis actorum in depoſitione impiorum Pelagii, Cæleſtii, Juliani, Perſidii, Flori, Marcellini, Orentii, & eadem cum illis ſentientium, quæ a tua pietate de ipſis decreta, & conſtituta ſunt, judicavimus nos, ea ſolidaque permanere debere*. En Patres Epheſinos Pontificum conſtitutionibus integre parentes! Quo circa Boſſuetius ipſe *Diſcours ſur l' hiſt. univ.* pag. 143. fateri coactus eſt: Neſtorium a Cæleſtino damnatum fuiſſe, atque Epheſinos Patres Cæleſtini ſententiam executioni demandantes eumdem Neſtorium de gradu dejeciſſe, Cæleſtinum vero a Concilio *Patrem* fuiſſe appellatum. Quæ quid aliud præferunt, quam Pontificem loco potiori habitum?

Poſtremo Synodus Epheſina plures Epiſcopos, quos in epiſtola ad omnes Orbis Eccleſias miſſa recenſet, gradu dejecerat, vel communione privarat, inter quos Joannem Antiochenum, Himerium Nicomedienſem, Helladium Tarſenſem, Eutherium Thyanenſem, alioſque 33. At quum relatione geſtorum miſſa ad

S. Cæleſtinum cit. epiſt., eadem, ut ſua auctoritate comprobaret, rogaſſet, Pontifex Synodum non in omni ſua parte confirmavit, ſed cenſuit Neſtorii aſſentatores, & Epheſi damnatos Epiſcopos a ſuis ſedibus non extrudendos, nec eis omnem ſpem veniæ præcidendam: exiſtimavit enim ſententiam illam contrariam antiquo canoni, olim S. Athanaſii ſuaſu in cauſſa Pelagianorum a Romana Eccleſia edito, quo ſolis Hæreſiarchis, licet pœnitentibus, ſpes priſtini gradus recuperandi abſcindebatur. Eos tamen Epiſcopos mandat compelli ad profeſſionem fidei edendam, & dicundum in Neſtorium anathema. Quid his præſtantius ad patefacienda ea, quibus de agimus, Sedis Apoſtolicæ privilegia, ac præſertim ſupremam in Synodos poteſtatem? Demum audiendus S.Cæleſtinus in epiſt. ad Synod. Epheſin. poſt damnationem Neſtorii: *Longius quidem ſumus poſiti*, inquit, *ſed per ſollicitudinem totum propius intuemur: omnes habet B. Petri Apoſtoli cura præſentes.*

Concilium Chalcedonenſe an. 451. ſub S. Leone ex Epiſcopis vel 472, ut legitur in Concilii actis; vel 520. ex ſolo Oriente, ut legitur in relatione Synodi ad S. Leonem; vel 600, ut teſtatur S. Leo epiſt. 57. ad Epiſc. Galliar.; vel 630, ut ſcribunt Epiſcopi Provinciæ Helleſponti ad S. Leonem, & Liberatus in Breviar. cap. 13; vel 636, ut narrat Nicephorus, coactum plurima, eaque perilluſtria Pontificiæ in fide infallibilitatis, ſupremæque poteſtatis ſpecimina præbet. Principio enim S. Leo a Theodoſio Imperatore litteris certior factus loco Flaviani vita functi ordinatum Epiſcopum Conſtantinopolitanum a Dioſcoro Anatolium, enixeque rogatus, ut ordinationem ratam haberet, de ea nihil ab ſe reſcribendum reſpondit, donec Anatolius ad normam epiſtolæ ab ſe ad Flavianum miſſæ fidei profeſſionem emitteret, eamque abſque ulla reſtrictione manu obſignatam ad ſe dirigeret: *Agat*, inquit, *Clementiæ veſtræ devotiſſima fides, ut quamprimum ad nos Conſtantinopolitani Epiſcopi... ſcripta perveniant aperte ... atque dilucide proteſtantia: Quod ſi quis de Incarnatione Verbi Dei aliquid credat, aut aſſerat, quam Catholicorum omnium, & mea profeſſio proteſtatur, hunc a ſua communione ſecernat.* Ecce quali, quantaque coactiva pollere ſe poteſtate in

te in Conſtantinopolitanum Epiſcopum oſtendit Pontifex, cujuſmodi multa ſuo loco exempla exhibebimus! Sed ecce imo quam in Epiſcopos omnes Concilii Chalcedonenſis idem Pontifex exercuit! Cœtui huic adverſus Eutychem coacto ſcribens S. Leo, ipſius Patribus legem conſtituit, cui ſe conformarent, quæque ipſis agenda eſſent, præſcribit: *Nunc*, inquit, *in Vicariis meis adſum, qui dudum in fidei prædicatione non deſum, ut qui non poteſtis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non poſſitis dubitare quid cupiamus. Unde Fratres cariſſimi, rejecta penitus audacia diſputandi contra fidem divinitus inſpiratam, vana errantium infidelitas conquieſcat. Non liceat defendi, quod non licet credi, quum ſecundum evangelicas auctoritates, ſecundum Propheticas voces, Apoſtolicam doctrinam pleniſſime, & lucidiſſime per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de Sacramento Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti pia, & ſincera confeſſio.*

Congregatis Patribus Paſchaſinus Legatorum unus ita fatus eſt: *Beatiſſimi, atque Apoſtolici viri Papæ Urbis Romæ, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus eſt ejus Apoſtolatus, ut Dioſcorus non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur.... Hoc nos obſervare neceſſe eſt.... aut ille egrediatur, aut nos eximus.* Hujus rei rationem addidit Lucentius alius Legatus, quod nempe Dioſcorus Synodum auſus fuiſset facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, *Quod*, inquit, *nunquam licuit, nunquam factum eſt.* Act. 2. propoſitis hæreſi Eutychetis, & S. Leonis epiſtola ad Flavianum, Cecropius Epiſcopus Sebaſtenus illico in hæc exivit: *Emerſerunt, quæ ad Eutychem pertinebant, & ſuper his forma data eſt a Sanctiſſimo Archiepiſcopo Romanæ Urbis, & ſequimur eum, & epiſtolæ omnes ſubſcripſimus*: cui ceteri Epiſcopi ſubſcribentes ſubjunxerunt: *Iſta omnes dicimus, ſufficiunt quæ expoſita ſunt, alteram expoſitionem non licet fieri.* Lecta etiam S. Leonis epiſtola ad Flavianum, nulla mentione facta Concilii Conſtantinop. ſub Flaviano ea de re habiti, Epiſcopi exclamarunt: *Hæc Patrum fides, hæc Apoſtolorum fides: omnes ita credimus, Orthodoxi ita credunt: Anathema ei, qui non ita credit: Petrus*

per

per Leonem ita locutus eſt : Apoſtoli ita docuerunt. Act. 3. recenſitis ab Dioſcoro attentatis in Pſeudo-Epheſina Synodo, præſertim quod præſumſiſſet excommunicationem diſtringere adverſus Romanum Pontificem S. Leonem, Legati ſententiam in hunc modum tulerunt: *Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ, & Senioris Romæ per nos, & per præſentem S. Synodum, una cum ter beatiſſimo, & omni laude digniſſimo Beato Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & Crepido Eccleſiæ Catholicæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum* (Dioſcorum) *tam Epiſcopatus dignitate, quam etiam & ab omni ſacerdotali alienavit miniſterio*. Audis ſub divi Petri nomine peragi, quæ a Romanis Pontificibus peraguntur? Romanum Pontificem ſub Petri nomine fundamentum Eccleſiæ, & fidei nuncupari? Audis jam ab hoc ævo morem illum obtinuiſſe, ut Pontifex ſacro approbante Concilio ſententiam ferat? A Romano Pontifice formam præſcribi Concilio generali in ſententia ferenda? Fidei pariter formulam, cui ſe coaptare Concilium omnino oporteat?

Act. 4. quum 13. Ægyptii Epiſcopi ad Concilium recipi poſtulaſſent, quamvis etiam petente Concilio Eutychem, ejuſque aſſeclas diris cunctis devoviſsent, a Concilio tamen rejecti ſunt, ideo quod epiſtolæ S. Leonis, niſi iis præiret Patriarcha Alexandrinus, ſubſcribere renuerent: *Epiſtolæ Leonis*, dixerunt, *ſubſcribant, ... conſentiant Epiſtolæ Leonis; qui non ſubſcribit epiſtolæ, cui omnis ſancta Synodus conſenſit, hæreticus eſt*: & inferius: *Ut Leo*, exclamarunt, *ſic credimus; qui contradicunt Eutychianiſtæ ſunt*. Ei epiſtolæ ſyngrapham ſuam appoſuere conciliabuli Epheſini Proceres Juvenalis Hieroſolymorum, Thalaſius Cæſareæ, Euſebius Ancyræ, Baſilius Seleuciæ, & Euſtathius Beryti Epiſcopi; quamobrem in Concilium recepti fuere. Eidem epiſtolæ ſubſcribere renuentes Monachi plerique Eutycheti adhærentes repulſi, & proſcripti ſunt. Act. 5. quum decretum adverſus Eutychetem conditum parum conforme epiſtolæ S. Leonis viſum fuiſſet, in eoque Eutychetis hæreſis haud ſatis damnata adpareret, Legati minitati ſunt, ſi rata omnino non haberetur S. Leonis definitio, congregandam Romæ Synodum, ad quam rebelles mittendi forent: Epiſcopi vero Illyrici ſubdiderunt:

Qui

Qui contradicunt manifeſti fiunt, qui contradicunt Romam ambulent. Act. 10. quamvis in conciliabulo Epheſino, quod a Chalcedonenſi rejectum eſt, & reprobatum, ordinatio Maximi Antiocheni facta fuiſſet, nihilominus eadem ratihabita eſt ea ſola ratione, quod S. Leo eum in ſuam communionem admiſiſſet, & in Antiochena Sede confirmaſſet. Confer codicem Vaticanum nuper editum a doctiſſ. Cacciaro, qui latinam hujus verſionem aut Ruſtico Romanæ Eccleſiæ Diacono, aut Juliano Coenſi Epiſcopo tribuendam cenſet. Act. 11, quam non eſſe commentitiam, uti exiſtimavit Queſnellus diſſert. 9. in S. Leonem, oſtendit Baluzius præfat. in Concil. Chalcedon., omnia acta Pſeudo-Synodi Epheſinæ S. Leo in irritum miſit, reſtituit Epiſcopos, qui in ea Synodo ſuis ſedibus moti fuerant. Domnus antea Epiſcopus Antiochenus in ea Synodo etiam depoſitus non eſt reſtitutus, ſed in Antiochena ſede confirmatus a S. Leone Maximus, qui Domno ab Anatolio ſuperordinatus fuerat: Domno tamen annuum ex Antiochenæ Eccleſiæ facultatibus permittente Synodo conceſſit Maximus.

Actione 16, quæ in Concilii cenſum tranſcribenda non eſt, quum Legatis contradicentibus a Græcis editus fuiſſet canon 28, quo poſt Romanum Pontificem Primatus præ aliis Patriarchis concedebatur Conſtantinopolitano (quem canonem reprobavit poſtliminio S. Leo) Euſebius Dorylæus, qui ei canoni ſyngrapham adjecerat, ea ratione ductus ſe ei ſubſcripſiſſe aſſeruit, (perperam attamen) quod canonem illum Romæ adſtantibus pleriſque Clericis Eccleſiæ Conſtantinop. coram Pontifice legiſset, & Pontifex ratum habuiſſet: ſcilicet loquitur de canone 3. Concilii Conſtantinopolitani I; nam canonem huncce 28 Chalcedonenſem, qui nondum conditus fuerat, quum Romæ ageret Euſebius, legere nequaquam potuit. Petrus de Marca, & Natalis contendunt eum canonem a S. Leone reprobatum, quia Nicænis adverſum. Revera erat adverſus; at quum paris auctoritatis cum Nicæna fuerit Synodus Chalcedonenſis, a Synodo hacce canon ille abrogari poterat: ſi ergo S. Leo Nicænum canonem ſartum tectum voluit, & Chalcedonenſem in irritum miſit, ideo eſt, quod majori, quam Nicænæ, & Chalcedonenſis Synodi

auctoritate ipſe S. Leo polleret. Abſoluto tandem Concilio Patres S. Leonem pro confirmatione rogarunt, geſtorum relationem mittentes: *Rogamus*, inquiunt, *& tuis decretis noſtrum honora judicium, & ſicut nos capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat*. Quibus reſpondens S. Leo aliqua, non omnia, ab ſe rata haberi reſcribit: videlicet ea, quæ ad fidem pertinerent, ſe approbare, infirma vero, & irrita eſſe quæcumque a Nicænis canonibus diſcreparent.

Iniquiſſime igitur, ac impudentiſſime agunt Proteſtantes, dum ad elevandum Romani Pontificis in Eccleſia univerſa primatum, quo ſe undequaque premi ægerrime ferunt, ex canone 28. Chalcedonenſi apertiſſimo abuſu illud exculpere exiſtimant, quod eo canone ex æquo Romanam inter, & Conſtantinopolitanam Eccleſiam ſtatuta ſit dignitatis, auctoritatis, & juriſdictionis paritas. Enim vero ſic ſe habet ex Græco latine redditus canon ille 28: *Ubique SS. Patrum decreta ſequentes, & modo lectum canonem centum quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem & nos definimus, & ſtatuimus de prærogativis Sanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis, novæ Romæ. Etenim Sedi veteris Romæ, quia regnabat illa Urbs, Patres convenienter tribuerunt prærogativas, & eadem intentione moti* 150. *Epiſcopi pares prærogativas tribuerunt novæ Romæ ſedi Sanctiſſimæ, rationabiliter judicantes urbem Imperio, & Senatu honoratam debere paribus frui prærogativis cum vetere Regina Roma, & in Eccleſiaſticis negotiis, ut illam magnificari, ita ut etiam Ponticæ, Aſianæ, & Thracicæ Diœceſeos Metropolitæ ſoli, & præterea in* (locis) *barbaricis prædictarum Diœceſeon Epiſcopi ordinentur a prædicta Sanctiſſima Sede, quæ eſt apud Sanctiſſimam Conſtantinopolitanæ urbis Eccleſiam &c.* Exinde obſervare eſt 1. laudari canonem 3. Conſtantinopolitani I. Concilii: at eum canonem adverſari Nicæno 6, quo Epiſcopis Alexandrino &c, & Metropolitis jus integrum manere ſuum jubetur, oſtenderunt SS. Leo, Gelaſius, Gregoriuſque locis ſupra citatis: ſed & adverſari imo hunc canonem 28. canoni 2. Conſtantinopolitani I, quo tres diœceſes Pontica, Aſiana, & Thracica ſuis Metropolitis integræ permittuntur; quoad vero diœceſes Barbaricas ſervari vetus mos præcipi-

cipitur: adverſari iterum Nicæno, a quo Epiſcopis Hieroſolymitano, & Nicæno nonniſi honoris locus tributus, non etiam juriſdictionis; & Conſtantinopolitano, a quo cit. can. 3. Epiſcopo Conſtantinopolitano ſolum dignitatis gradum aſſeruit, non vero juriſdictionis in diœceſes Ponticam, Aſianam, & Thracicam, & Barbaricas. Obſervare eſt 2. perperam dici hoc canone 28. a Patribus Nicænis, & Conſtantinopolitanis Romanæ Eccleſiæ tributas prærogativas, quandoquidem illas a S. Petro in Pontifices derivaſſe multis demonſtratum eſt, & demonſtrabitur: pejus tributas prærogativas Romanæ pares Conſtantinopolitanæ; quippe a canone 3. Conſtantinopolitano omnino abeſt vox æqualitatis. Obſervare eſt 3. recte intelligi poſse, ac debere canonem hunc 28. Chalced., non ſecus ac canonem 3. Conſtantinopolitani I de juribus Patriarchicis, non de jure primatus, ut late oſtendunt Theologi noſtrates: non ſecus ac vocem *pares* accipiendam fore non abſolute, ſed ſimilitudinarie, hoc eſt ſicut Pontifex eſt primus Patriarcha Occidentis, ita primus Patriarcha Orientis ſit Conſtantinopolitanus: qua una de re, quod ſcilicet ceteris Orientis Metropolitanis injuria crearetur, eum canonem irritum dixere prælaudati Pontifices: nam alioquin a Chalcedonenſibus Patribus Romani Pontificis primatum agnitum, & aſſertum ex dictis ſatis liquet.

Caſtiganda hic denique Guillelmi Cavei hominis de grege Puritanorum impudentia, qui hiſt. litter. ſæculi V. ad act. 15, & 16. Concilii Chalced. ſcripturire non eſt veritus Paſchaſinum Legatum Apoſtolicæ Sedis nihil omiſiſse, quo canoni 28. intercederet, ea de re Nicænum 6. a Romanis depravatum, ac diverſum ab ejuſdem lectione ex Codice Conſtantinopolitano objeciſſe, ſcilicet cum eo additamento: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum: teneat autem & Ægyptus &c*: quum Græca exemplaria legant: *Veteres conſuetudines maneant, quæ ſunt in Ægypto &c*: nam canonem hunc cenſendum eſſe unum illorum, qui ex decretis Nicænis adornati poſtea ſunt, aut unum ex Sardicenſibus, qui in Codice Romanæ Eccleſiæ ſub uno, eodemque titulo legebantur, ſuo loco oſtendimus. Ceterum in eodem Chalcedonenſi agnitum fuiſse Eccleſiæ Romanæ Primatum multis conſtat; ex eo vero maxime,

quod eadem actione Judices præmiſere : *Conſideramus ante omnia Primatum , & excellentem honorem ſecundum canones veteris Romæ apud Deum chariſſimo Archiepiſcopo cuſtodiri* . Subdit idem Caveus infirmis argumentis a S. Leone impetitum canonem illum 28. Chalcedonenſem . Sed ex dictis ſatis ſuperque liquet quam propudioſe , & quam præfracte id effutiat vir projectæ fidei . De jure Patriarchico Romani Pontificis part. 2. ſermo inſtituetur , ibique locus erit de recta horum canonum interpretatione inquirendi .

Accedit his omnibus illud quoque , quod S. Leo cum ad Marcianum Imperatorem ſcribens , Epiſcopum ſe Eccleſiæ Romanæ , & univerſalis inſcribit , ipſumque filium vocat ; tum ad Maximum Antiochenum datis litteris ſe Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopum nuncupat . S. Gregorius M. in ſuis epiſtolis auctor eſt ab Chalcedonenſi Concilio Romano Epiſcopo titulum univerſalis Epiſcopi oblatum fuiſse , quo tamen uti Romani Pontifices noluerint , ne ceteros Epiſcopos de ſua dignitate dejicere viderentur . Eo ſane ſenſu , ne Romanus Epiſcopus cenſeretur ſolus Epiſcopus, cum titulum renuit S.Gregorius ; at eo ſenſu , ut Primatum ſe præ ceteris Epiſcopis gerere oſtenderet , eo titulo uſus eſt S.Leo . Animadvertere hic quoque non abs re erit a S.Leone in Gallias, non ſecus ac in ceteras Occidentis Provincias, ante Concilium Chalcedonenſe miſſas fuiſſe litteras ab ipſo datas ad S.Flavianum . Poſt Chalcedonenſem Synodum reſcripſere ad S. Leonem 43. Epiſcopi Galliarum in Synodo congregati , inter alia hæc ajentes : *Quæ Apoſtolatus veſtri ſcripta , ita ut Symbolum fidei quiſquis redemptionis ſacramenta non negligit tabulis cordis adſcripſit , & tenaci , quo ad confundendos hæreticos paratior ſit , memoriæ commendavit* . Legitur poſt epiſt. 51. S. Leonis . Similia antea ſcripſerant tres ex Gallia Epiſcopi Ceretius , Salonius , & Veranus . S. Euſebius quoque Mediolanenſis Epiſcopus ſuo , & Epiſcoporum in Synodo una ſecum congregatorum nomine S. Leoni reſcribens , *Litterarum* , inquit , *ergo veſtrarum formam ſecuti modum præſcriptæ ordinationis nos ſervaſse his miſſis per fratrem noſtrum Cyriacum oſtendimus* . Oſtenderunt ſcilicet ſive Galli , ſive Itali Epiſcopi nihil minus Pontificem ab ſe fieri ,

quam

quam in dicendo de fide infallibilem, & quam in jubendo ſupra Synodum etiam ſupremum judicem.

Unum opponunt Pontificiæ infallibilitatis, & ſupremæ poteſtatis Oſores, ſcilicet a Concilio Chalcedonenſi, antequam acceptaretur, epiſtolam S. Leonis ad Flavianum ad examen fuiſſe revocatam. Verum res ita ſe habuit. Dum in Synodo legeretur S. Leonis epiſtola hæc act. 2. Epiſcopi Illyrici, & Palæſtinæ ſubdubitarunt de tribus epiſtolæ locis non rite intellectis, forte ob linguæ differentiam, ſuſpicati ne ſymbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano minus congruerent, ac Neſtoriano errori faverent Quod dubium tamen ſtatim evanuit, quum Epiſcopi univerſi, cum privatis in colloquiis, tum publico in cœtu eam epiſtolam ſymbolo illi apprime conſonam eſſe faſſi ſunt vocibus illis conclamantes: *Sicut Leo, ita credimus: nos jam ſubſcripſimus*. Fateor Ægyptiorum tredecim Epiſcopos nihilominus epiſtolæ nec ſubſcripſiſſe, nec adclamaſſe, cauſſantes ſe carere Patriarcha Alexandrino; nam Dioſcorus a Sede dejectus fuerat, ac niſi eo præeunte ſubſcribere ſe non poſſe. At eos a Synodo propterea rejectos ſupra oſtendimus: eos tamen abſoluta Synodo Conſtantinopoli manſiſſe conſtat, ubi Proterium in Patriarcham delegerunt, qui quum S. Leonis epiſtolæ ſubſcripſerit, conjicere eſt illos pariter ſubſcripſiſſe, eo præſertim, quod in infandum Dioſcori fatum adducti non legantur. Demendi tamen duo ex illis tredecim Epiſcopis, qui fatis functo Dioſcoro Timotheum Ælurum ſuffecerunt. Deinde eſto dubitarint illi perpauci Epiſcopi. Nonne Synodus ex quingentis, & amplius Epiſcopis conflata epiſtolæ S. Leonis ſtatim, atque de fide agi cœpit, acclamavit, eique calculum ſuum nullo prævio examine adjecit? Quid autem quod huicce S. Leonis dogmaticæ ſubſcripſiſſe 1200. teſtatus eſt Cecropius act. 4. ejuſdem Concilii, quinimo 1600, ut eſt auctor Eulogius apud Photium in Bibl. cod. 230? Denique non abſimili ratione quum in Concilio Nicæno vox *Homouſion* ſymbolo adjecta fuiſſet, quidam Epiſcopi in dubitationem adducti ſunt, ne vox illa Pauli Samoſateni errori faveret, qui tamen edocti nihil exinde timendum fore, omni cunctatione ſemota ſubſcripſere; neque exinde colligere eſt de Nicæna fide dubitandi eſſe locum.

Ita

Ita etſi dubitarint quidam de S. Leonis epiſtola, qui depoſito dubio eidem ſubſcripſerunt, locum non ſinunt epiſtolæ auctoritatem in dubitationem adducendi. Accedit ad hæc, quod Synodus Conſtantinopolitana an. 536. ſub Menna celebrata act. 4. narrat, & approbat, quod S. Agapetus Papa, quum Conſtantinopolim appuliſſet, Antymum Patriarcham a ſede expulerit, iccirco quod promiſſa non ſervaſſet, quibus fidem ſuam obligarat ſe ea omnia præſtaturum, quæ mandaſſet Romanus Pontifex, inter quæ mandaverat, ut S. Leonis epiſtolæ ſubſcriberet: *Apud ejus ſerenitatem* (Imperatorem ſcilicet) *fraudolentis rationibus*, inquit Concilium, *uſus promiſit omnia ſe facturum, quæcumque ſummus Pontifex magnæ Sedis Apoſtolicæ decerneret, & ad Sanctiſſimos Patriarchas ſcripſit ſe ſequi per omnia Apoſtolicam Sedem.* Eadem act. 4. Synodus damnatis Antymo, Severo, Petro, & Zoara profitetur ſe religioſe adhærere decretis S. Agapeti: unde Mennas Patriarcha, *Reſpicientes*, inquit, *ad ea quæ placuerunt nuper ſanctæ memoriæ Agapeto Papæ antiquæ Romæ*; & declarans ſe nihil aliud agere, quam quod Sedi Apoſtolicæ obtemperet, addit: *Nos enim, ſicut veſtra Charitas novit, Apoſtolicam Sedem ſequimur, & obedimus, & ipſius communicatores communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa & nos condemnamus.* Quorſum igitur perpaucos quoſdam dubiæ fidei morabimur, qui ad ſubſcribendum S. Leonis litteris paulo ſe moroſiores præbuerunt?

Verumtamen præ ceteris Pontificiæ auctoritati contradictoribus ſatis faciendum occurrit Petro de Marca lib. 5. concord. cap. 8., Queſnello diſsert. 7. de cauſſa Eutichetis, Boſsuetio defenſ. decl. par. 2. lib. 12. capp. 15, & 16; & Natali tum diſsert. 12. hiſt. Eccleſ. ad ſæculum V, tum diſsert. 4. ad ſæc. XV, & XVI, qui ſine cauſsa ſane in ſchol. ad cit. diſſert. 12. de Cardinali Sfondrato auctore lib., cui titulus *Gallia vindicata*, conqueritur, quod ſibi impegiſſet hanc doctrinam: *Non prius decreta Pontificum rata, & certa eſse, quam a Concilio confirmentur*; quum totus ſit, ut ſuadeat tum a Synodo Chalcedonenſi S.Leonis epiſtolam approbatam, poſtquam eamdem ad fidei regulas expendiſset; ac proinde ratam, & certam eſſe non potuiſse, ante-

antequam a Concilio confirmaretur: tum non niſi accedente totius Eccleſiæ in Concilio congregatæ conſenſu irretractabilem evaſiſse fidei definitionem: tum eamdem epiſtolam Occidentalium conſenſu roborari oportuiſſe: tum in Epheſina II, & Chalcedonenſi Synodis a S. Leone conceſsum, ut Dioſcori cauſſa iterum diſcuteretur. Quibus ut ſatisfaciamus, obſervandum ducimus, & jam dictis addendum 1., quod S. Leo epiſt. 12. ad Theodoſium ſcribit nolle cauſsam Eutychetis a Synodo diſcuti, ſed damnandum, ſi non reſipiſcat, dogma vero de Incarnatione in epiſtola ad Flavianum contineri: *Quum in libello ſuo*, inquit, *quem ad nos miſit* (Eutyches) *hoc ſibi ad promerendam veniam reſervaverit, ut correcturum ſe eſse promitteret quidquid noſtra ſententia de his, quæ male ſenſerat, improbaſset. Quid autem Catholica Eccleſia de Sacramento dominicæ Incarnationis credat, & doceat ad fratrem .... Flavianum plenius continent ſcripta, quæ miſi.* Vides ipſum Eutychem ad Pontificem confugiſse: eumdem, ſi vellet recta, & vera doceri, ut litteris S. Leonis obedienter attenderet, admonuit S. Petrus Chryſologus epiſt. ad ipſum Eutychem. Similia ſcribit epiſt. 13. ad Pulcheriam, epiſt. 16. ad Flavianum, & epiſtola 17. ad Theodoſium, ajens permitti quidem Synodum pro Eccleſiæ pace redintegranda, ad Epiſcopos Orientales plenius Legatorum ſuorum opera de Incarnationis miſterio inſtruendos, atque ut executioni ſententia ab ſe lata ſolemniter demandaretur, locus etiam reſipiſcendi fieret Eutycheti, ac ſi reſipiſceret loco reſtitueretur, ceteroquin poſt ab ſe prolatam ſententiam Synodo non opus amplius eſſe: *Quamvis*, ſubjungit, *evidenter appareat rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu*: etſi vero, ſuperaddit, Synodo locum faceret, a Synodo tamen Sedis Apoſtolicæ ſententiam expectandam *tamquam ab ipſo Petro cuperet declarari*, *quod ejus confeſſione laudatum ſit*. Anatolio, addit in epiſt. 33. ad Theodoſ., ea lege confirmandum ab ſe gradum, ut fidei formulæ præſcriptæ in litteris ad Flavianum ſyngrapham apponeret. Ante Synodum, ut ſcribit epiſtola 68. edit. Queſnelli ad Paſchaſinum, ab Epiſcopis nec exiguo numero, non expectata Synodi ſententia, litteras ſuas ad Flavian. fuiſſe ſubſignatas. Sed & idem S. Flavianus epiſt. ad S. Leo-

S. Leonem par. 1. Concil. Chalced. declaravit ſatis ſuperque fuiſse S. Leonis litteras ſive ad damnandam Eutychetis hæreſim, ſive ad rectam de Dominica Incarnatione fidem adſtruendam. Similia etiam ex Gallia ad S. Leonem ſcripſerunt de ejuſdem ad Flavianum epiſtola Ceretius, Salonius, & Veranus. Nec abſimilis Juliano Coenſi inſedit ſententia, ut liquet ex S. Leone in epiſt. ad eumdem.

Obſervandum 2., quod S. Leo ut cognovit pſeudo-Synodum Epheſinam in pravas ſententias abiiſſe, continuo ſuprema uſus poteſtate illam irritam dixit, acta ab eadem reſcidit, nulliuſque roboris eſſe juſſit: S. Flavianum, cujus profecto cauſſa cum fide erat conjuncta, ab ea Synodo Apoſtolicam Sedem appellantem ſuæ reſtituit ſedi, nec ad id Synodi operam deſideratam epiſt. 62. ad Marcianum ſcripſit: quam ſi poſtea conciliandæ pacis gratia permiſit, eam legem adjecit, ne definita ab ſe de fide contra Eutychetem in dubium amplius, aut in diſputationem adducerentur. Id adeo apertum, perſpectumque, ut probe agnoverit Placidia Auguſta epiſt. ad Theodoſ. ſcribens, adhortanſque, *Præcipiat... ut ſecundum formam, & definitionem Apoſtolicæ Sedis, quam & nos tamquam præcellentem ſimiliter veneramur, in ſtatu Sacerdotii illæſo manente per omnia Flaviano, ad Concilium Apoſtolicæ Sedis judicium tranſmittatur, in quo primus ille, qui cæleſtes Claves dignus fuit accipere, principatum Epiſcopatus ordinavit.* Sed & eamdem ſupremam auctoritatem ſupra Synodum Chalcedonenſem exercuiſse multis jam demonſtratum eſt, iiſque iterum, obiterque demonſtratur: quod Synodi ſententia damnatos, qui in partes Dioſcori deſcenderant, modo ad frugem reverſi, formulæ ab ſe præſcriptæ aſſenſum præberent, ſacrorum communioni reſtituit: Dioſcori autem, aliorumque factionis auctorum judicium uni Apoſtolicæ Sedi reſervavit. Quod in Synodo act. 2. Florentius Epiſcopus Sardium *In noſtra perſona*, inquit, *qui epiſtolæ S. Leonis ſubſcripſimus, non indigemus correctione*: Acacius Epiſcopus Ararathiæ, & Photius Epiſcopus Tyri act. 4. *ſubſcribant*, ajunt, *epiſtolæ Leonis, qui ei non ſubſcribit hæreticus eſt*: quibus Epiſcopi omnes conclamaverunt: *Qui non conſentit epiſtolæ Leonis hæreticus eſt*. Quod Synodus in relatione ad Pulche-

cheriam Auguſtam act. 3. inter alia hæc habet: *Qui* (Chriſtus) *oſtendit in Leone mirabili veritatem, quia ſicut ſapienti Petro, ita & iſto utitur aſſertore*: in relatione ad eumdem S. Leonem: *Vos*, ait, *B. Petri omnibus conſtitutus interpres*: & in definitione S.Leonis verba ipſiſſima in litter. ad S.Flavianum ſua fecit.

Obſervandum 3. quod aliis præterea Pontificibus alte perſuaſum fuit fidei definitionem a S. Leone in litteris ad Flavianum exhibitam independenter a Synodi judicio, ſive conſenſu pro infallibili fidei dogmate habitam fuiſſe, habendamque fore. Ex quibus præſto ſunt teſtimonia S. Gelaſii in Synodo Romana 70. Epiſcoporum an. 494, qui de hac S.Leonis epiſtola loquens, *Cujus textum*, inquit, *quiſpiam ſi uſque ad unum jota diſputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit*: Pelagii I., qui epiſt. 12. ad Childebertum Galliæ Regem, *Quicumque*, ait, *ab illa fide, quam B. recordationis Papa Leo in ſuis epiſtolis prædicavit, & quam Chalcedonenſe Concilium ſequens eumdem Præſulem edita definitione ſuſcepit, in una ſyllaba, aut in uno verbo, vel in ſenſu erravit, vel erraverit aliquando* (*anathema ſit*):S. Martini I. in Concilio Later. Secretario 1, ubi ait epiſtolam S. Leonis ad Flavianum a Synodo Chalced.dictam fuiſſe *Columnam fidei orthodoxæ*: demum S. Agathonis, & Romanæ 125. Epiſcoporum Synodi in ſuggeſtione lecta act. 4. Synodi VI, qua laudatur Marcianus Imp., quod ſacrum illum tomum ſit amplexus Apoſtolici viri Papæ Leonis, quem B. Petrus Apoſtolus verbis ejus ediderit. Obſervandum 4. quod non ſemper, ut ſupra dicebamus, indicium eſt ſuperioris auctoritatis aliquid ad examen revocare,& præhabito examine approbare, quum nempe examen inſtituitur, ut res magis magisque innoteſcat, atque rei eidem nova lux accedat ex eo, quod S. Scripturæ, & traditioni dignoſcatur, & demonſtretur conformis. Ita actum eſt de voce *Omouſion* in Nicæna Synodo, ut innuimus; ita in Concilio Toletano XIV. can. 2, & 3, quibus Toletani Patres profeſſi ſunt acta VI. Synodi cum præcedentibus comparaſſe, & ideo illis ſuum calculum addidiſſe. At Toletanis fas non erat jus dicundi in VI. Synodum. Ita in Concilio Mediolanenſi Epiſcopi S. Leonis epiſtolam ad S. Scripturam, & traditionem expen-

derunt, ſeque eam ultro citroque amplecti S. Leoni reſcribentes affirmarunt. At putaſne Synodum hancce Romano Pontifice ſe autumaſſe ſuperiorem? Ergo examen illud iſtitutum fuit, tum ad epiſtolæ Leoninæ dilucidationem, quá ob linguæ obſcuritatem præſertim Illyriciani, & Palæſtini indigebant, qui proinde act. 2. profeſſi ſunt ambiguitatem omnem, quæ ex linguæ latinæ vocibus orta videbatur, ſibi a Legatis ademtam, ideo ſe quoque epiſtolæ ex officio ſubſcripſiſſe, tum denique ad retundendas omni ex parte Eutychianorum cavillationes, quibus ſe ab illa epiſtola ſubſcribenda defendebant. Quæ quum ita ſint, mirari ſane ſubit viros alioquin eruditos dicere non veritos, tum demum S. Leonis litteras ad Flavianum fidei dogma evaſiſſe, poſtquam fuiſſent a Concilio Chalcedonenſi ad incudem revocatæ, & communi calculo comprobatæ. Sed ii & partium ſtudio, & præjudiciis ſcholæ abrepti nihil non audent, arripiunt, atque opportune, aut importune obtrudunt.

At inquiunt Boſſuetius, & Natalis, nonniſi ex acceſſione ſententiæ Chalcedonenſis Synodi indubitatam fidei definitionem epiſtolam S. Leonis evaſiſſe docuit idem S. Leo in epiſt. ad Theodoretum, qua inquit: *Sed quæ noſtro prius miniſterio Dominus defin erat, univerſæ fraternitatis irretractabili firmavit aſſenſu, ut vero a ſe prodiiſſe oſtenderet, quod prius a prima omnino Sede formatum totius Chriſtiani orbis judicium recepiſset*. Quo ſenſu, ajunt, ad Zenonem Imp. ſcribebat quoque S. Simplicius: *Quod Apoſtolicis manibus cum Eccleſiæ univerſalis aſſenſu acie meruit Evangelicæ falcis abſcindi, vigorem ſumere non poteſt renaſcendi*. Reſpondeo 1. nos ſuo loco ſatis ſuperque exſufflaſſe eam, quam decretis Pontificiis appoſitam volunt conditionem, ſcilicet ſi Eccleſiæ accedat aſſenſus. Reſpondeo 2. S. Leonis verba priora, & poſteriora obſervanda eſſe: priora, quibus ait ſuo miniſterio Dominum definiviſse: at Chriſti Domini definitiones, non ſecus ac ſacræ Scripturæ, Eccleſiæ aſſenſu non indigent: poſteriora vero, quibus affirmat formatum ab ſe decretum a toto Chriſtiano orbe fuiſſe receptum: at decretum ita receptum non indigebat amplius Synodi acceptatione. Aliud ergo voce illa *irretractabili aſſenſu* intellexit S. Leo, quandoquidem ſuis

ſuis Legatis demandaverat, ne in dubium revocari ſinerent abs ſe definita in dogmatica epiſtola: & aliud ſane intellexit, dum in eadem epiſtola ad Theodoretum ait, eos, qui de ſua ſententia ambegerant, incitatos fuiſſe a diſſenſionum auctore, ſcilicet Diabolo. Reſpondeo 3. id S. Leonem intellexiſſe, quod dum Synodus ſuæ adhæſit ſententiæ, ſuoque capiti adhæſere membra, errandi periculum eliminatum prorſus eſt;atque ita quoque a perduellionibus, qui ipſi obtemperare noluiſſent, nulla poterat obtendi ſuæ obſtinationis excuſatio,qua dicerent Pontifici obreptum, vel ſubreptum fuiſſe, ut explicat idem S.Leo epiſt.2. ad Epiſcop. Galliarum. Reſpondeo 4., quod approbatio, & confirmatio non ſemper auctoritatis ſuperioris gradum ſignificat: nam a ſequentibus Conciliis priora approbari,& confirmari conſueviſſe ex Eccleſiaſtica hiſtoria vel in eadem hoſpiti liquet. Item Concilia Oecumenica ab Eccleſiæ conſenſu confirmari ſcripſit Facundus Hermian. lib. 5; & S.Joannes Chryſoſtomus hom.52. Nicænæ Synodi ſententiam comprobatam fuiſse ab terrarum Orbe dixit. Imo Concilium ipſum Chalcedonenſe ita perfectum, & probatum Leo Imperator confirmatum voluit ab omnibus Orientis Epiſcopis non modo, ut ſcribit Liberatus in Breviar. cap. 14, ſed etiam a Monachis præſertim ſanctitate conſpicuis, & præ ceteris a Simeone Stylita teſte Evagrio lib.2. capp. 9, & 10. Fuit igitur irretractabilis ille aſsenſus uniuſcujuſque confeſſionis teſtimonium S. Leonis epiſtolæ exhibitum. Sed de Chalcedonenſi Synodo jam nimis.

Ex Conſtantinopolitano II, & Conſtantinopolitano III.

§. III.

EX Concilio II Conſtantinopolitano an. 553. ſub Vigilio ex 163. Epiſcopis collecto pleraque, eaque præclara in hancce rem excerpere eſt argumenta. Imprimis Synodi Mopſveſtenæ contra Theodorum ejuſdem Urbis Epiſcopum congregatæ, quam V. hæc Synodus collat. 5. approbavit, Epiſcopi agnovere, ac profeſſi aperte ſunt Vigilii primas, ac præcipuas fuiſse partes de tribus Capitulis cognoſcere, ac Concilio ea de cauſa congregato

 jure

jure ſui Primatus præſidere : *Decebat*, inquiunt in relatione Synodica ad Vigilium, *quum primam inter Sacerdotes dignitatem ſortiti eſtis, Sanctiſſimi ea, quæ ad Sanctarum Eccleſiarum ſtatum reſpiciunt, manifeſta veſtræ .... Beatitudini fieri. Hæc bene & Chriſtianiſſimus noſter Imperator conſiderans ad veſtram ſcientiam quædam, quæ de Theodoro quondam Mopſveſtenæ Eccleſiæ Epiſcopo certa ſunt, juſſit referri*. Juſtinianum Imperatorem, & Eutychium Conſtantinopolitanum Epiſcopum nec latebat irrita, ac inania fore quæcumque abſque Romani Pontificis auctoritate ſtatuerentur a Synodo. Ea propter Juſtinianus litteris, legatione, & precibus etiam, atque etiam Vigilium rogavit, ut tria Capitula damnaret, damnationem a ſe edictam confirmaret, ac Concilio, a quo quamprimum ea damnatio eſset decernenda, adeſse, præeſse, & adhærere non gravaretur. Edictum jam ipſe evulgaverat inſcio, & inconſulto Vigilio contra tria Capitula : ſed qui, quod præter Vigilii conſcientiam conditum fuiſset, audivit? Ex Epiſcopis Orientalibus, qui exauctorationis metu victi ſubſcripſerant, ut Mennas Conſtantinopol., Zoilus Alexandrinus, Euphemius Antiochenus, & Petrus Hieroſolymitanus, libellis datis, & ad Vigilium miſſis conteſtati ſunt, ſe nonniſi ex Vigilii ſententia ſubſcripturos, vel ea conditione ſubſcripſiſſe, ut datum chyrographum denuo reciperent, ſi hæc Romanus Pontifex non probaret, ut aperte proteſtatus eſt Mennas Conſtantinopolitanus Antiſtes. Iſta conſtant ex Facundo Hermianenſi lib.4.cap.4. Ex Occidentalibus vero Itali Epiſcopi Vigilii partes ſummopere perſequuti ſunt, atque ex his adeo Dacianus Mediolanenſis Epiſcopus, ut plurima, ac dira perpeſſus ſit, perſecutioniſque comes Vigilio adjunctus. Epiſcopi præterea Africani, in hiſque præſertim Reparatus Carthaginenſis, & Pontianus Epiſcopus, ut liquet ex ipſius epiſtola ad Juſtinian. apud Harduinum tom. 3. Concil. præfixa actis V Synodi, Juſtiniani edicto apertiſſime refragati ſunt cauſſantes abſque Vigilii conſcientia ei ſubſcribere ſe non debere ; ad quem primo ea de tribus Capitulis emota controverſia eſſet referenda. Vigilius vero hujuſmodi Juſtiniani edictum contra tria Capitula imperturbatus improbavit, atque in Placidianam domum cum Latinos, tum Græcos Epiſcopos venire juſ-

ſos

ſos hiſce admonuit: *Quicumque Edictis iſtis conſenſum præbere voluerit, ſciat ſe ab Apoſtolicæ Sedis communione ſuſpenſum*. Id conſtat ex epiſtola Cleri Italici data Legatis Childeberti Regis Francorum pro defenſione Vigilii, & epiſtola Vigilii encyclica an. 552. exarata. Theodorum deſuper Cæſareenſem Epiſcopum Edicti auctorem gradu dejecit: Mennam Conſtantinopolitanum, & conſentientes Epiſcopos communione ſuſpendit. Quamquam ſententiam hanc haud publicandam cenſuit, ne Juſtinianum iterum, ac magis in rabiem impelleret. Eutychius etiam epiſtola ad Vigilium exarata rogavit enixe, ut ipſo præſente, ac præſidente in Synodo cauſſæ trium Capitulorum finis imponeretur, nuſquam, imponendum intelligens, donec Pontificis auctoritate id fieret: *Neceſſarium eſt*, inquit, *conferri de tribus Capitulis, unde quibuſdam quæſtio orta eſt: & ideo petimus præſidente nobis veſtra Beatitudine ... communi tractatu eadem Capitula in medio ponenda quæri, & conferri, & finem quæſtioni imponi*.

Juſtinianus iterum moræ impatiens ad Synodum ab ſe coactam data epiſtola, ut ad trium Capitulorum proſcriptionem Epiſcopos inflecteret, pronoſque faceret, illis Vigilii exemplum propoſuit ſequentibus verbis: *Vigilio Religioſiſſimo Papæ antiquioris Romæ, quum perveniſſet ad hanc regiam Civitatem, de tribus Capitulis ſubtiliter omnia manifeſtavimus, & interrogavimus eum, quid ſapit de hoc, & ipſe non ſemel aut bis, ſed etiam ſæpius in ſcriptis anathematizavit impia tria Capitula*. Zoilus Alexandrinus haud ignorans Pontifici Imperatoris ſtudia nequaquam probata, ejus Edicto palam facto & ipſe palam obſtitit, ut propterea Juſtiniani juſſu e throno fuerit deturbatus. Ipſius Synodi Patres probe noſcentes abſque Romani Pontificis auctoritate, ac niſi Synodo ipſe per ſe, aut Legatos ſuos præeſset, roboris pondus decernenda obtinere non poſse, nihil antiquius habuere, quam ut ab ipſo primo limine cœtus legerentur Vigilii litteræ ad Euthychium, ipſique ſubjectos Epiſcopos inſcriptæ, quibus annuerat, ut de tribus Capitulis Synodalis Conventus ageretur; atque ad ipſum decreta, dimiſſaque legatione ex Patriarchis, aliiſque 16. Epiſcopis conflata rogarunt etiam, atque etiam, ut ad Synodum demum convenire dignaretur, ſententiaque ſua una cum Sy-

Synodo cauſsam trium Capitulorum dirimeret. Ipſe Vigilius inſuper ſuam Synodo auctoritatem longe præeminere demonſtravit: quippe intra illam 20 dierum intercapedinem, qua Principi de tribus Capitulis ſententiam ſuam miſsurum promiſerat, imo Synodi Legatis ſe ſignificaturum, quid ſibi de tali Synodo placeret, pollicitus fuerat, per Pelagium Diaconum Epiſcopis imperavit, ne quidquam decernerent, *Antiquum*, ajens, *& regularem cuſtodientes ordinem; ne ante noſtræ, hoc eſt Sedis Apoſtolicæ, cui per Dei gratiam præſidemus, promulgationem ſententiæ, quidquam proferre tentarent*. Præterea edito poſtea Conſtituto, de quo infra, pro defenſione trium Capitulorum, decreta omnia ſuo Conſtituto contraria in irritum miſit. Ipſa V. Synodus item ſe a Vigilio convocatam credidit, dum initio legi Vigilii litteras ad Eutychium exaratas juſſit, quibus indulgebat, ad motam quæſtionem finiendam Synodum fieri: Vigilii integrum locum infra recitabimus. Convocatam ſe iterum dixit collat. 8, ubi iterato dictum eſt annuiſse demum Vigilium, ſcriptiſque conſenſiſse, ut coacta Synodo de tribus Capitulis decerneretur, ut magis ex dicendis conſtabit. Convocatam eamdem a Vigilio aſserit Synodus VI in ſermone acclamatorio ad Imperatorem. Ex hac ergo agendi ratione, quam tenuere Orientales, Occidentaleſque Epiſcopi, Mennas, & Eutychius ejus in ſede Conſtantinopolitana ſucceſsor, Juſtinianus Imperator, Vigilius Papa, Synodus Mopſveſtena, Synodi V, & VI. Oecumenicæ, quis rite inferet, quod decretorum 4, & 5. ſeſs. Concilii Conſtant. defenſores concludunt, poteſtate Synodo ſubeſse Pontificem, eique obſequi, & obtemperare ex officio eumdem oportere?

Jam introſpicienda quæ, poſtquam congregatum eſt Concilium, dicta, geſta, decretaque ſunt. In 1. Synodi collatione, edita, manuque ſignata ab Eutychio Conſtantinopolitano, Apollinari Alexandrino, a Domnino Antiocheno, Elia Theſsalonicenſi, & ab Epiſcopis eorumdem ſuffraganeis fidei formula, qua inter alia, *Suſcipimus*, ajebant, *& amplectimur epiſtolas præſulum Romanæ Sedis Apoſtolicæ, tam aliorum, quam Leonis ſanctæ memoriæ de recta fide ſcriptas*. Quam quidem fidei profeſſionem jam pridem manu propria firmatam ad Vigilium direxerant Men-

Mennas Conſtantinopolitanus, Euthychius ipſius ſucceſsor, & Theodorus Cæſareenſis, ut auctor eſt ipſe Vigilius in ſuo Conſtituto. In collat. 2. ad conventum invitati Occidentis Epiſcopi, pro eis reſpondit Primaſius Adrumetinus Epiſcopus in Africa, *ſe abſente Papa Synodo non adfuturos*: quod nempe noſsent eam Pontifice ſummo intercedente in irritum ceſsuram. Collat. 7. a Juſtiniano Imperatore, ut Patres in trium Capitulorum damnationem cunctatione omni ſemota pertraheret, legitur miſsus Conſtantinus Quæſtor ſacri Palatii cum inſtrumentis probantibus Vigilium Papam tria Capitula ſemper fuiſse execratum: *Ut igitur*, ſic fatus eſt Conſtantinus, *etiam ea, quæ ſæpius ab ipſo* (Vigilio) *facta ſunt, ad condemnationem trium Capitulorum vos audientes alacriores efficiamini, de his formam celeriter proferre, direxit per me* (Imperator) *Sanctitati veſtræ condemnationem ab ipſo Vigilio prolatam*. Porro hujuſmodi inſtrumenta a Conſtantino delata, erant epiſtolæ a Vigilio hac de controverſia exaratæ ad Valentinianum Tomitanum, & Aurelianum Arelatenſem Epiſcopos: item ſententia ab eodem Pontifice prolata in Ruſticum, & Sebaſtianum Romanæ Eccleſiæ Diaconos trium Capitulorum acerrimos defenſores, & Judicati ab ipſo Vigilio prolati adverſus eadem tria Capitula audaciſſimos contemptores. Hoc equidem dolo Epiſcopos decepit Juſtinianus trium Capitulorum damnationem differri impatientiſſime ſubſtinens: nihilominus exinde liquet Epiſcopos non prius in trium Capitulorum damnationem proſiliiſſe, niſi poſtquam a Romano Pontifice ipſa damnata intellexiſsent. Ergo collat. 8, & ultima, in qua tandem conclamatum eſt in tria Capitula anathema, ante ſententiæ prolationem Epiſcopi præmittunt jampridem a Vigilio Papa eadem Capitula fuiſſe condemnata: *Quia contigit*, inquiunt, *Vigilium Religioſiſſimum in hac regia Urbe degentem omnibus intereſſe, & quæ tribus his Capitulis mota ſunt, tam ſine ſcriptis, quam in ſcripturis ea ſæpius condemnaſſe* &c. En Vigilii exemplo, & judicio excitatos Epiſcopos ad tria condemnanda Capitula! Ad hæc Vigilius in ſuo Conſtituto pro defenſione trium capitulorum, poſtquam Theodori perſonam poſt mortem non eſſe damnandam aſſeruiſſet auctoritate SS. Leonis in epiſt. ad Theodorum Forojulienſem Epi-

Epiſcopum, & Gelaſii in epiſt. ad Dardaniæ Epiſcopos; nec non exemplis SS. Chryſoſtomi, & Flaviani, qui etſi exauctorati, non tamen damnati fuerant, rationem reddit his verbis: *Nec abſcindi ab Eccleſia potuerunt, vel poterunt; quos ſibi inconvulſe unitos Apoſtolica judicavit auctoritas*: & infra Conſtitutum ſuum claudit his verbis: *Statuimus, & decernimus nulli . . . licere contrarium his, quæ præſenti aſſeruimus, vel ſtatuimus Conſtituto de tribus Capitulis; aut conſcribere, vel proferre, aut componere, vel docere, . . . ſiquid vero contra hæc, quæ hic aſſeruimus, vel ſtatuimus . . . factum, dictum, atque conſcriptum eſt, vel fuerit . . . hoc modis omnibus ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ, cui per Dei gratiam præſidemus, refutamus*. Sane ita Synodo præcipiens, ita prohibens Vigilius ſe Synodo ſuperiorem agnovit, & affirmavit.

At inquiunt, qui aliam, parumque æquam, quinimo præruptam, contra quam nos, cogitandi, docendi, & ſcribendi de Romani Pontificis Privilegiis ineunt viam, in quinta Synodo ob cauſam trium Capitulorum coacta ex Synodo Chalcedonenſi adducta una cum epiſtola S. Cyrilli ad Neſtorium epiſtola S. Leonis ad Flavianum iterum examini ſubjecta eſt: nam relato voto eorum, qui de hac epiſtola primi opinati fuerant, Patres quintæ Synodi ſubnectunt: *Ex his, quæ recitata ſunt, manifeſtum factum eſt, quomodo ſanctæ Synodi ea, quæ apud eas proferuntur, probare ſoleant. Quum enim illi Sanctiſſimi viri* (Cyrillus, & Leo), *qui recitatas epiſtolas ſcripſerunt, ſic ſplenduerunt, tamen epiſtolarum earum comprobationem non ſimpliciter, nec ſine inquiſitione fecerunt, niſi per omnia cognoviſſent conſona ea expoſitioni, & doctrinæ ſanctorum Patrum, ad quam & collatio facta eſt*. Verum hæc Patrum quintæ Synodi locutio non abſimilis ei fuit, qua S. Euſebius Mediolanenſis una cum ceteris Synodi Epiſcopis acceptata epiſtola S. Leonis eidem reſcribens dixerat: eam epiſtolam Scripturæ ſacræ, doctrinæ S. Ambroſii, & traditioni univerſæ conſonam eſſe. Scilicet teſtimonium eſt non juriſdictionem præſeferens, ſed ſubmiſſionem oſtendens, cum qua optime cohæret ſcientia ſcripturæ, & traditionis, quibus Pontificum decreta noſcantur conformia. Nam alioquin ſatis oſtendimus nec S. Leonem, nec ejus Legatos id paſſos eſſe, ut in Synodo Chalcedonenſi ad exa-

examen illa epiſtola revocaretur, nec id auſos fuiſse pro ſummo, quo erga Apoſtolicam Sedem afficiebantur ſtudio, Chalcedonenſes Patres, ſed ſtatim ei adquieviſſe. Quod ſi compertum fuerat, (ut omnino fuit compertum) Patribus quintæ Synodi a Chalcedoneſi Synodo ſubſcriptam illam fuiſſe epiſtolam, compertumque fuit non licere amplius fidei dogmata ſemel ſtatuta dubitationi ſupponere, ſane examini epiſtolam S. Leonis iterum ſubjiciendam non exiſtimarunt. Quid ergo exiſtimarunt? Verbo dicam: dixerunt eam epiſtolam conformem eſſe Conciliis Nicæno, Conſtantinop., & Epheſino, ut obtrectatoribus ſilentium demum imponeretur, qui ſicut Ibæ damnandam epiſtolam, quæ Chalcedone examinata non fuerat, examinandam contendebant etiam S. Leonis epiſtolam. Seu verius dixerunt illam epiſtolam fidei eſſe conformem, eique ſunt addita SS. Patrum teſtimonia, ut Eutychianis os omnino obſtrueretur, quibus illa maximam creabat moleſtiam: nam alioquin egregiis laudibus S. Leonem proſequuti ſic in ſua ad Marcianum Imp. relatione ajebant: *Quod in perſona Romani Epiſcopi impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providerit, qui veritatem in ultima evidentia poſuerit... confidere namque oportet veſtram pietatem*, (ſubdunt) *quia nihil præter fidem, quæ olim a Sanctis Patribus annuntiata eſt, Venerabilis Pontifex Romanus innovavit, atque ut nulla his, qui Apoſtolicum Virum lacerare nituntur, relinquatur occaſio, conſonantia epiſtolæ ejus SS. Patrum teſtimonia ad certiorem notitiam veſtræ pietatis ex multis pauca ſubdidimus*.

At reponunt poteſtatis Pontificiæ detractores: in V Synodo nullus Pontificis Legatus præfuit, neque a Pontifice Romano illa coacta fuit. Quamvis vero a Romanis Pontificibus approbata poſtea fuerit, ei tamen diu reſtitere Epiſcopi Occidentales Africæ, Illyrici, Hiberniæ, Inſubriæ, Iſtriæ &c. Reſpondeo ad 1. revera eam Synodum convocatam a Juſtiniano fuiſse, at ei conſenſit tandem Vigilius. Ipſe enim Vigilius epiſt. ad Eutychium, & alios Epiſcopos, quæ in limine ipſo Concilii publico in cœtu lecta eſt, *Veſtrum*, inquit, *deſiderium cognoſcentes annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, facto regulari conventu, ſervata æquitate, mediis Sacroſanctis Evangeliis collatio-*

nem cum unitis fratribus habeamus, ac finis detur placitus Deo, & conveniens his, quæ a Sanctis quatuor ſunt definita Conciliis. Imo in eadem V Synodo collat. 8. de Vigilio ajentes Patres dixerunt: *Poſtea tamen, & conſenſit in ſcriptis in Concilio convenire, & diſceptare una nobiſcum de his tribus Capitulis; ut definitio a nobis communiter præbeatur fidei recta conveniens.* Denique in Synodo VI. ſerm. acclamatorio ad Imperatorem: *Sicut*, inquiunt Patres, *& Vigilius poſt hæc Juſtiniano piiſſimo conſonuit, & V. Concilium conſtitutum eſt.* Potuiſſe vero præſidere Vigilium, quamvis noluerit, & præfuerit Eutychius Patriarcha Conſtantinop., conſtat ex epiſt. Eutychii ad Vigilium ſuperius laudata, qua neceſſariam Synodo Pontificis præſentiam ait, eique ut præſideret petit. Conſtat & ex relatione Synodi Mopſveſtenæ contra Theodorum Mopſveſtenum celebratæ ad Vigilium, qua poſt Vigilii aſſertum in Eccleſia primatum, ejuſdem partes eſſe aſſerit, ut de omnium Eccleſiarum cauſſis, & ſtatu certior fieret. Quo circa jure merito Pelagius II. paulo poſt epiſt. 8. ſcripſit: *Quum generalium Synodorum convocandarum auctoritas Apoſtolicæ Sedi B. Petri ſingulari privilegio ſit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolica auctoritate non fuerit fulta &c.*

Reſpondeo ad 2, revera V. Synodo calculum ſuum adjeciſſe Vigilium: conſtat id tum ex Decreto, ſeu epiſtola Vigilii ad Eutychium Archiepiſcopum Conſtantinop., & ad præjacentem Synodum, quam etſi aliqui cum Garnerio uti ſuſpectam habuerint, tamen vindicant Petrus de Marca diſſert. de Vigilii decreto, & Natalis Alexander hiſt. Eccleſ. cap. 2. art. 9. ad ſæcul. VI. in ſynopſi. Eam ab ſe deſcriptam ex codice græco Bibliothecæ Regiæ, qui olim juris fuerat Biblioth. Imperat. Conſtantinopolitani, fueratque exaratus anno vulgaris æræ 1226. a Leone Cinnomo, quique ab amanuenſi ad fidem autographi veteris Bibl. Romanæ an. 753. conſcripti fuerat exactus, teſtatur Petrus de Marca, a quo primum ea vulgata epiſtola eſt. In ea autem epiſtola, ſive decreto Vigilius docte tria Capitula explicat, refellit, & damnat, revocans quæcumque pro illis ſcripta fuerant. Eam Synodum approbatam a Vigilio auctores perin-

perinde ſunt Evagrius lib. 4. cap. 37, Euſtatius Conſtantinop. Presbyter in vita Eutychii, & Pelagius II. epiſt. ad Epiſcop. Iſtriæ. Eamdem Synodum approbavere Pelagius I, ut conſtat ex ejus epiſtola 3, & 5. ad Narſem, & Victore Tunonenſi in chronico: Pelagius II, ut conſtat ex ejus epiſt. ad Eliam Aquilejenſem, & ante ipſum Joannes III, Benedictus I, & poſt illum S. Gregorius M., ut liquet ex ejus epiſt. ad Joannem Conſtantinopolit. 24. lib. 1, & epiſt. 36. lib. 2. Eam Synodum etiam probavere S. Martinus I. in Concil. Later.; Synodus VI. act. 16, & Conſtantienſe Concilium ſeſs. 39.

Reſpondeo ad 3. huic Synodo recipiendæ manus dediſſe omnes, paucis exceptis, Occidentis Eccleſias, non alia ſane ratione motas, & auctoritate compulſas, niſi Romanorum Pontificum, qui V. Synodum auctoritate ſua fimaverant, eaque ſuprema auctoritate juſſerant illam Synodum admitti. Huic Synodo obluctati nihilominus ſunt plerique Occidentales Epiſcopi, inter quos primi Africani, & Illyriciani Epiſcopi audierunt, qui tamen Pelagii I. Synodum approbantis exemplo a pertinacia deſiſtentes eam quoque ſubinde receperunt, teſte Victore Tunonenſi in chronico ad annum 554, 555, & 559. Obſtiterunt præterea Venetiarum, & Iſtriæ Epiſcopi ſchiſmate etiam conflato in Pſeudo-Synodo Aquilejenſi, id promoventibus Paulino Aquilejenſi, & Vitali Mediolanenſi Epiſcopis. Nihil non egere Pelagius II, & S. Gregorius M. doctiſſimis epiſtolis, quibus V. Synodum non adverſari Synodo Chalcedonenſi oſtendebant, ut ſchismaticos illos Inſubriæ, & Iſtriæ ad meliorem frugem revocarent, oſtendentes etiam ab univerſa Italia, & Romana præſertim Eccleſia V. Synodum fuiſſe receptam. Nihilominus ſchiſma illud Aquilejenſe ad tempora uſque S. Sergii I. duraſſe, annum ſcilicet 678., teſtantur quidem V. Beda in chron., & Paulus Oroſius lib. 6. hiſt. cap. 14: at vero ſchiſma illud jam ſopitum an. 649. conſtat ex eo, quod Maximus Aquilejenſis in Synodo Later. ſub S. Martino I. Synodum V. ſe admiſiſſe oſtendit; & ex Synodo Romana ſub S. Agathone in epiſtola data ad Imperatores, quæ lecta eſt in Synodo VI. act. 4, qua in epiſtola laudatur V. Synodus: ei vero epiſtolæ ſubſcripſerant Archiepiſcopus Aquilejenſis, & Iſtriæ

Epiſcopi. Adeundi Natalis hiſt.Eccl. Sæculi VI. in ſynopſi art.1, & diſſert. 3. art. 1, & ſeqq.; Noriſius loc. cit.; Pagius in brev. hiſt. crit. in Pelagio II, & S. Gregorio M.

Id obiter hic obſervaſſe non pigebit diſsentire inter ſe eruditos de titulo epiſtolæ 36. lib. 2. S. Gregorii Magni, quæ in editione Conciliorum dicitur data ad Epiſcopos Hiberniæ, quam tamen Noriſius diſsert.de V.Synodo cap.19.vult exaratam ad Epiſcopos Iſtriæ, eo quod quum in ea agatur de tribus Capitulis, nulla veterum monumenta prodidere Hibernos damnationi trium Capitulorum reſtitiſse. Veruntamen Patricius Flamingus in collectaneis operum S. Columbani refert epiſtolam ejuſdem Sancti, (quæ nunc translata eſt cum aliis ejuſdem epiſtolis in tom. 12. bibl. SS. Patrum edit. Lugdun.) ad S. Bonifacium IV. circa annum 612. ſcriptam e Monaſterio ſuo Bobienſi inſtinctu Agilulphi, & Theodelindæ Longobardorum Reginæ (ut proinde potius cenſendus videatur alienam, quam ſuam egiſſe cauſsam; neque id quod ab Hibernis, ſed id quod ab Italis Pontifici objectabatur retuliſſe), ex qua nonulli conjiciunt Hibernos in ſchima defenſorum trium Capitulorum lapſos fuiſse, quum in ea S. Columbanus ſe, & ſuos Hibernos trium Capitulorum defenſores prodat, & conqueratur, quod ipſe Bonifacius Synodum V. admiſerit. Certe in multis codicibus MSS., & in omnibus editis, ut notavit Guſsanvillæus, epiſtola illa S. Gregorii data legitur ad Epiſcopos per Hiberniam. Videndus Pagius loc. cit. Noriſium refutans ex eo præſertim, quod S. Gregorius in ea dicat ſe ad eos mittere librum, quem de tribus Capitulis Pelagius ſcripſerat: at nomine Pelagii Papæ S. Gregorius jam pridem, quum Diaconus eſset, ad Iſtros eum librum miſerat: ad alios ergo, quam ad Iſtros eam, qua de agitur, miſit epiſtolam, igitur revera ad Hibernos. Abſit tamen invidia, ut dicamus S. Columbanum, ſuoſque Hibernos ſchiſmati Aquilejenſi adhæſiſse, atque ſe ab Romani Pontificis communione ſejunxiſse. Nam noverant in V. Synodo non de fide, ſed de perſonis actum dumtaxat fuiſse, timebant vero a Synodo V. everti Synodum Chalcedonenſem, latamque aperiri viam errori Eutychetis: exiſtimabant rem eſse ad diſciplinam pertinentem, in qua piaculum non eſset propterea a Romani

mani Pontificis ſententia recedere: nam alioquin in eadem epiſtola ſcribit: *Ego enim credo ſemper Columnam Eccleſiæ firmam eſſe in Roma*. Sed de hoc iterum, quum de Pontificibus. Certe S. Gregorius re, & nomine Magnus epiſt. 37. lib. 3. ad Conſtantium Mediol. de V. Synodo diſserens, nihil ab ea contra quatuor priores Synodos conſtitutum fuiſse docuit, atque in ea de perſonis tantummodo, non autem de fide geſtum, proinde ipſe met S. Gregorius epiſt. 4. lib. 3. ad Theodelindam Longobardorum Reginam, quæ ſchiſmati Aquilejenſi addicta ſe a Conſtantii Mediolanenſis Epiſcopi communione ſegregaverat, eo quod ille Concilio coacto tria Capitula damnaſset, ad tempus oeconomia quadam uſus, ſiluit cum ea de V. Synodo, ne illam offenderet; quam tamen poſtea ad frugem, ſicuti Petrum, & Prudentium Iſtriæ Epiſcopos, atque Firminum Tergeſtinum perduxit. Sub id temporis pariter Hiſpanienſis Eccleſia V. Synodum nondum fuerat amplexata, nam Synodus Toletana XIV. Synodum ſextam continenter poſt Chalcedonenſem memorat, eamque eo ordine recenſitam recipiendam ſtatuit, nulla V. Synodi facta mentione: quæ tamen Eccleſia communione ſemper cum Romana conjuncta manſit: non alia ſane de cauſsa, niſi quia Romani Pontifices diſpenſatione quadam id diſſimularunt, & tollerarunt, donec Hiſpani errore facti dedocerentur, quo perſuaſi erant V. Synodum Chalcedonenſi eſse contrariam, quia nempe non de fide, ſed de perſonis in Synodo V. fuerat actum.

Boſſuetius defenſ. decl. par. 2. lib. 12. cap. 20, & Natalis diſſert. 4. ad Sæcul. XV, & XVI. ex V. Synodo evincere ſe poſſe putant ſuperiorem habere reſpectu Pontificis auctoritatem Concilia oecumenica. Porro, ajunt, Vigilius in ſuo Conſtituto ad Juſtinianum dato trium Capitulorum damnationi refragatus fuerat; parcendum juſserat nomini, & perſonæ Theodori Mopſveſteni; fidem vero Theodoreti, & Ibæ orthodoxam eſse contenderat: attamen etſi ita decreviſset, ac juſſiſset nullam impoſterum hac de quæſtione litem movendam fore, nihilominus V. Synodus ab ejuſdem ſententia ſeceſſit, & tria Capitula damnavit: itaque Synodus ſe Pontifice ſuperiorem agnovit, eumque imo errori obnoxium; nec ei quiſquam reponere auſus eſt, id non potuiſse Sy-

Synodum ea ratione, quod inferior a ſuperiore decreta non valeat infirmare, ſeque auctoritate ſupra eum efferre. Reſpondeo primo compertum plane eſse Synodos omnes a Pontifice non probatas in irritum ceſſiſse, ſed & Synodorum alias probatarum canones aliquos, uti canonem 3. Concilii Conſtantinopolitani, confirmatum canone 28. Chalcedonenſi, douec in Later. IV. ſub Innocentio III. admitteretur, quove poſt Romanum primus locus Conſtantinopolitano Epiſcopo concedebatur, in caſsum abiiſse, eo quod illum Pontifices Romani calculo ſuo non firmaſsent. Reſpondeo 2. Juſtinianum triumCapitulorum damnationi incumbentem in ſua epiſtola ad Synodum data, ut ad eadem damnanda incitaret Epiſcopos, ſtatim Vigilii exemplum exhibuiſse ſupra oſtendimus, ſed imo ſubdit ibidem a Vigilio condemnatos ideo Ruſticum,& Sebaſtianum Diaconos Romanæ Eccleſiæ,quod trium Capitulorum defenſionem temere ſuſcepiſsent. Agnoſcebat ergo Imperator magni faciendam a Synodo fore Vigilii ſententiam. Verum ipſe met Vigilius ſuam auctoritatem ſupremam in Synodum demonſtravit: nam intra tempus illud, quo Synodo, & Juſtiniano Imperatori ſpoponderat miſsurum de tribus Capitulis ſententiam, juſſit per Pelagium Diaconum Epiſcopis, ne quidquam auderent decernere, cujus verba ſuperius dedimus. Sane Vigilius non niſi, ut ſuperior inferiores, ita affatus eſt. Rurſus Juſtinianum Vigilii ſententiam Synodo propoſuiſse, ut Patres in damnationem trium Capitulorum adduceret, conſtat ex collat. 7, in qua Conſtantinus ſacri Palatii Quæſtor a Juſtiniano miſsus legitur, cum inſtrumentis probantibus a Vigilio tria Capitula damnata perpetuo fuiſse, cujus proinde exemplo, & judicio intelgerent nihil intercedere, quo cunctandum ſibi, verendumque eſset, quin confeſtim in trium Capitulorum damnationem exilirent. Hinc collat. 8., in qua tria Capitula confixa tandem ſunt, præmittunt Patres jam antea a Vigilio fuiſse damnata: *Quia contigit*, ajentes, *Vigilium . . . tam ſine ſcriptis, quam in ſcripturis ea ſæpius condemnaſse*. Non ergo ante vel contra Vigilii ſententiam, ſed imo Vigilii ſententiæ inhærentes tria Capitula Synodi V. Patres condemnaverunt.

At reponunt adverſarii: Vigilius Conſtitutum ediderat pro de-

defenſione trium Capitulorum: quid igitur contendimus Vigilii ſententiæ innixam V. Synodum tria illa Capitula proſcripſiſse? Reſpondemus cum Petro de Marca diſsert. de Vigilii Conſtituto veriſimillime a Juſtiniano Conſtitutum illud occultatum fuiſse; idque ex eo ſuaderi, tum quod Conſtitutum Vigilii relatum in acta Synodi non ſit, quibus inſertæ minoris momenti relationes ſunt: tum quod totus Imperator incubuerit, ut Epiſcopis illis perſuaderet Vigilium tribus Capitulis adverſam tuliſse ſententiam: tum quod Epiſcopi illi reapſe Vigilium in tria Capitula ſententiam tuliſse confidentiſſime aſseruerint. Nec mirum vero, quod collat. *6*. examini fuerint ſubjecta eadem ſex argumenta, quæ pro defenſione Ibæ epiſtolæ in eodem Conſtituto leguntur: nam illo in examine nulla Conſtituti occurrit mentio: ea vero argumenta obvia erant, & cunctis notiſſima, ut quæ jam ab aliquibus annis diſcutiebantur. Putat idem Petrus de Marca cit. diſsert. Judicatum Vigilii ad Mennam miſsum, quo tria Capitula condemnarat, a Juſtiniano una cum præcitata ſententia, & epiſtolis exhibitum fuiſse Synodo, in eaque lectum: ſed fallitur, quia, ut ait Noriſius diſſert. de V. Synodo cap. 4, ſi Judicatum illud exhibitum,lectumque fuiſſet,procul dubio actis Synodi perinde fuiſſet inſertum, quibus ea de re adnexæ leguntur epiſtolæ ad Valentinianum, & Aurelianum, una cum ſententia adverſus Ruſticum,& Sebaſtianum. Pagius haud veram putat conjecturam,quam exinde trahit Noriſius, illius Judicati nec unum exemplar apud Mennam remanſiſſe: nam quamvis, inquit, Vigilius Occidentalibus ferme omnibus peſſime acceptum Judicatum perſpiciens, nulliuſque facti magis, quam ſcripti hujuſmodi pœnitens, apud Juſtinianum egerit, ut ſibi a Menna Judicatum ſuum reſtitueretur, ipſumque reipſa receperit, eoque recepto omnem uſque ad Concilium de tribus Capitulis quæſtionem ſub anathematis pœna interdixerit, ut conſtat ex libello, ſeu litteris Cleri Italici traditis Legatis Childeberti Francorum Regis, quem rogabant, ut Vigilio favorem ſuum, ac defenſionem impenderet, attamen Baluzius in nova collect.Concil. ex Mſs. Pariſienſi, & Bellovacenſi Synodi V inſigne fragmentum epiſtolæ Juſtiniani ad Epiſcopos Synodi V, quæ mutila in ceteris exemplaribus Synodi habetur,

pro-

protulit, in qua Imperator pleraque ex Judicato Vigilii recitat, præſertim integra anathemata contra tria Capitula a Vigilio lata. Ex quibus Pagius infert apud Juſtinianum, atque Mennam integrum Vigiliani Judicati manſiſſe exemplar. Verum falſo fundamento ſuperſtrui Pagii adverſus Noriſium diſputationem pugnat doctiſ. Blancus de polit., & poteſt. Eccleſ. tom. 5. par. 2. lib. 3. cap. 5. §. 22, fragmentum iſtud ſacræ juſſionis Juſtiniani, cui adnexum legitur fragmentum Judicati Vigiliani, a Baluzio actis V. Synodi adjectum inter apocrypha adnumerandum exiſtimans. An vero ejus conjecturæ tanti ſint, ut fragmento illi fides ſit deneganda, judicium apud eruditos eſto. Neque demum probatur nobis Pagii opinio, qua exiſtimat ideo non lectum collatione 7. Vigilii Judicatum, quia Vigilius jam ſuum Conſtitutum ediderat pro defenſione trium Capitulorum, quo proinde Judicatum ab eo revocatum cenſeri debebat. Nam Conſtitutum Vigilii ſuppreſſerat, occultaveratque Imperator in id incumbens, ut Synodo comperta eſſet Vigilii ſententia dumtaxat contra tria Capitula; unde ex ita occultato Conſtituto præjudicium nullum Judicato prolato inferendum videbat: deinde Synodum, nonniſi quia ejuſdem ſententiæ Vigilium eſſe crederet, tria Capitula damnaſſe jam multis demonſtratum eſt.

Præterea Vigilius poſtulatus ab Eutychio Patriarcha, ut quæſtio de tribus Capitulis ſuffragio communi finiretur, conſpiciens vero ſe ab Imperatore obtinere non potuiſſe, ut Græcis Epiſcopis par eſſet numerus Latinorum, Synodo intereſſe renuit, non quod, ut putarunt aliqui, nondum Conciliis generalibus Romani Pontifices interfuerint, ſed ne præſentia ſua Synodum illam comprobaret. Quin imo ſupra eam Synodum auctoritatem ſuam oſtendens, ſuo Conſtituto eidem Synodo interceſſit, atque omnia ejuſdem acta in irritum miſit: *Statuimus*, inquiens, *& decernimus nulli . . . licere quidquam contrarium his, quæ præſenti aſſeruimus, vel ſtatuimus Conſtituto de ſæpe dictis Capitulis, aut conſcribere, vel proferre, aut componere, vel docere, aut aliquam poſt præſentem definitionem movere ulterius quæſtionem.* Quin imo in eadem decretali epiſtola ad Eutychium, qua tandem trium Capitulorum damnationem confirmavit, Synodi V ſententiam

parvi

parvi pendens ſuam dumtaxat ſententiam effert; ita enim inquit: *Quæ a nobis definiri debent revelante Domino, & inveſtigata veritate ſalubriter impleta ſunt*. Ita proinde non niſi ex ſua ſententia robur obtinere oſtendit Synodi V decreta. Denique omnibus perſpectum eſt nonniſi Romanorum Pontificum auctoritate hanc V Synodum Oecumenicam evaſiſſe, atque ab Eccleſia Occidentali receptam fuiſſe, alioquin inter pſeudo-Synodos rejiciendam. Compertum eſt Afros, Hiſpanos, Gallos, Italos, Illyricos, Hibernos, Iſtros, Inſubres adverſus eam dimicaſſe, nec niſi adlaborantibus Vigilio, Pelagio I, Joanne III, Benedicto I, Pelagio II, & Gregorio Magno fuiſſe demum admiſſam: Pelagio I adquieſcentibus Africanis, & Illyricis; Johanni III Mediolanenſibus; S. Gregorio Magno Gallis, Italis, & Hiſpanis, ac denique S. Sergio I juxta Ven. Bedam, vel S. Martino I. juxta Noriſium adquieſcentibus Venetis, & Iſtris.

Inconſtans ergo, inquit Noriſio innixus Natalis, animo, & ſententia fuit Vigilius, ac in cauſsa trium Capitulorum a ſe ipſo diverſus. Nam initio, dum in Sicilia ageret, tria Capitula defendebat, quæ tamen ſe damnaturum dudum Theodoræ Auguſtæ promiſerat, ut teſtatur Victor Tunonenſis: Byzantium appulſus ob damnata tria Capitula Mennam ſacris interdixit; at paulo poſt Mennæ reconciliatus eadem Capitula & ipſe Judicato ſuo damnavit. Deinde triennium poſt a Judicati ſententia diſcedens emiſso novo Conſtituto eadem damnari poſse negavit; ſed paucis menſibus elapſis mutata ſententia, data ad Eutychium Mennæ ſucceſsorem in Conſtantinopolitana Eccleſia epiſtola, vim Conſtituti infregit, & Synodum approbans tria Capitula proſcripſit. Reſpondeo Petrum ipſum de Marca lib. 3. de Concor. cap. 13. a Noriſio, & Natali recitatum hanc Vigilii inconſtantiam a doctis prudentiam appellatam teſtari, quam ipſe diſpenſationem vocat, qua nunc juris, & canonum rigore agebat, nunc illorum remiſſione fidei, & publicæ quietis ſtudio. Enim vero inconſtantiæ nequiter incuſaretur Vigilius, nonniſi ab eo, qui ejus agendi rationem ignoraret, qua ſemel comperta facile ab eo removetur omnis inconſtantiæ nota. Primo namque (ut taceam de promiſſione, quæ a Vigilio Theodoræ Auguſtæ apud Victorem

Tunonen. facta fertur, quæ quam perperam fabricata fuerit vel ex eo uno liquet, quod quum aliquot poſt annos ab inito Pontificatu trium Capitulorum quæſtio demum exorta ſit, eadem Capila ſe condemnaturum, antequam Pontifex audiret, Thedoræ Auguſtæ polliceri Vigilius non potuit) Vigilius redarguendos duxerat eos, qui impellente Juſtiniano tria Capitula damnarant, eoſdemque etiam a ſua communione ſuſpendendos, ideoque imo Imperatori eamdem damnationem ab ſe poſtulanti valide eſt reluctatus, eo quod ob præcocem damnationem ſchiſmatis occaſio impenderet, quum ab ea damnatione Occidentalibus Epiſcopis non modo, ſed & Orientalibus multis Chalcedonenſis auctoritas elevari, & infringi videretur. Qua de re, ſcilicet quod damnationi illi ſuum non adjeciſset calculum, laudatus ab Italiæ Clericis eſt Vigilius in epiſt. ad Legatos Francorum Conſtantinopolim proficiſcentes hiſce verbis: *Veniens Conſtantinopolim Beatiſ. Papa Vigilius .... cæperunt ibi ipſum expectare, ut damnationem aliquorum Capitulorum faceret, per quam S. Synodus Chalcedonenſis modis omnibus ſolveretur. Sed quum Papa Vigilius in hac parte non vellet adhibere conſenſum, jam tunc talis violentia facta eſt, ut publice in conventu clamarit: conteſtor, quia & ſi me tenetis captivum, B. Petrum Apoſtolum captivum facere non poteſtis*: tom. 1. Concil. Gall. edit. Sirmondi pag. 294. Quum vero Orientales a trium Capitulorum damnatione recedere nollent, œconomia quadam utendum ſibi viſus eſt Vigilius, eaque ratione agendum ſibi putavit, ut damnaret illa quidem, ſed ea damnatione palam profiteretur nihil Concilio Chalcedonenſi detractum iri. Proinde Mennæ Patriarchæ, quem ad Theodoræ Auguſtæ preces in ſuam iterum communionem admiſerat, Judicatum conſignavit, quo tria Capitula damnabat, nihil tamen volens Chalcedonenſi Concilio detractum: unde idem Clerus in laudata epiſtola *Poſtea tamen*, inquit, *tractatu habito prædictus Papa Vigilius ſub aliqua diſpenſatione ipſam cauſam ordinavit, ſollicite monendo, ne per occaſionem aliquam ſupradicta Synodus* (Chalcedonenſis) *pateretur injuriam*. Scilicet primo Vigilius cavens ſchiſmati Occidentalis Eccleſiæ, noluit in trium Capitulorum damnationem proſilire; poſtea conſpiciens ea de re ſchiſma imminere Eccleſiæ Orientali, ea Ca-

Capitula damnavit, cautum interea volens pro pace Occidentis, ne Synodo Chaldedonenſi quidquam irrogaretur injuriæ. Ita Vigilius ipſe ſignificavit in epiſt. encyclica: *Nos longanimitatem noſtram.... quinquiennio elapſo oſtendimus: primum quidem in eo, quod pro ſcandalo refrænando condeſcendentes quorumdam animis, quos aliqua diſpenſatione credidimus temperandos,.... quædam pro tempore medicinaliter exiſtimavimus ordinanda: tali ſcilicet conditione, ut omni impoſterum perturbatione ſopita, nihil ultra nec verbo, nec litteris quiſquam facere ex eadem cauſsa præſumeret*. At vero Afris, Illyricis, Iſtris &c. trium Capitulorum damnationi una voce detrahentibus, Vigilioque ipſi invidiam ob id creantibus, neceſſarium duxit Capitulorum damnationem ſupprimere, Occidentaleſque litteris edocere, nil ſuo Judicato Synodo Chalcedonenſi fuiſſe detractum. Quumque compelleretur ab Juſtiniano, ut tria Capitula comdemnaret, nulla habita Synodi Chalcedonenſis mentione, id facere renuit Vigilius, & trium Capitulorum quæſtionem in generali Concilio, quod pari cum Græcis ex Latinorum numero cogendum poſtulavit, dirimendam remiſit: *Quia*, (inquit in cit. epiſt. Cleri Italici) *ſine conſenſu omnium iſta, quæ & Synodum Chalcedonenſem in dubium venire faciunt, & ſcandalum fratribus meis generant, ſolus facere nullatenus acquieſcam*. Eamdem ob rem Juſtiniano refragatus eſt, & Synodo intereſſe noluit, ſcilicet tum quod ex Græcis coacta eſſet, tum ne ſua præſentia eam confirmaret, tum quia, ut ait Liberatus in brev. cap. 24, nec libera erant Epiſcoporum ſuffragia: nam tria Capitula damnantes muneribus ditati ſunt, contradicentes variis modis afflicti, & in exilium pulſi fuere. Denique perſpiciens Vigilius tria Capitula a Synodo damnata, Eccleſiæ paci conſulendum duxit, ac edito Conſtituto eadem Capitula damnavit, volens tamen perſonis eſſe parcendum. Paulo vero poſt data ad Eutychium epiſt., de qua ſuperius, V. Synodum confirmavit, tria expreſſe proſcripſit Capitula, anathema dicens in eos omnes, qui illa Capitula impoſterum defendere præſumerent. En agendi rationem in Vigilio, quæ ſi rite perpendatur, non inconſtantiæ plane, ſed diſpenſationi ipſi vertenda erit. Ceterum revera trium Capitulorum damnationem Concilio Chal-

cedonenſi nullatenus adverſari demonſtrant Theologi noſtrates, ac Natalis ipſe hiſt. Eccleſ. ad ſœcul. VI. differt. 5.

Inſtant nihilominus: Inconſtantiæ Vigilius vel ex verbis ſuis evincitur, quippe qui epiſtola decretali ad Eutychium, in qua tria Capitula proſcribit, proteſtatur *ſe ſtudio veritatis præmiſſo, quæ prius ſcripſit retractare, & corrigere*: ut enim *de Judicato*, *& Conſtituto* taceam, exinde liquet eadem ipſa Capitula reapſe hæretica a Vigilio tandem damnata, quæ aliquando defenderat. Deinde diſpenſatio ejuſmodi, ſive œconomia in re ad diſciplinam pertinente eſto admitti abſque piaculo poſſit, non etiam ferenda æque eſt in rebus fidei: ex ea imo œconomia, qua uſus vice verſa Vigilius dicitur mox erga Orientales, mox vero erga Occidentales, illud exurgit, tum ab his, tum ab illis Vigilii ſententiam in *Judicato*, æque ac in *Conſtituto* habitam ceu errori obnoxiam, utpote illi, cui utrinque obtrectatum fuit: idque argumento eſt nec Vigilium ſuæ inerrantiæ conſcium iviſſe: nec erroris neſcium exiſtimatum, ideoque nullum componendæ controverſiæ præter generale Concilium ſuperfuiſſe modum.

Reſpondeo Vigilium in trium Capitulorum condemnatione ſibi ſemper æqualem ſtetiſſe, etſi in perſonarum defenſionem aliquando conceſſerit. Conſtat id liquido ex collatione ſcriptorum, quæ a Vigilio ea controverſia vigente elucubrata circumferuntur. Enim vero in *Conſtituto*, quod pro trium Capitulorum defenſione ab eo adornatum fertur, cujuſque exemplar proferunt Petrus de Marca, & Baluzius, equidem Theodorum Mopſueſtenum anathemate damnari poſt mortem negat; Theodoreti perinde, Ibaeque perſonis a Concilio Chalcedonenſi cum ſuo gradu receptis parcendum affirmat; eorum tamen errores apertiſſime reprobat. Multo magis in *Judicato*, ſeu in epiſtola ad Mennam, ut ipſemet teſtatur epiſt. ad Valentin. Tomitan.; & ut liquet, ſi velis, ex Judicati fragmento, quod Divali Juſtiniani inſertum edidit Baluzius, tria Capitula abſque ulla verborum ambage condemnat; ſimiliter ex ſententia contra Ruſticum, & Sebaſtianum, & ex epiſtolis ad Valentinianum Tomitanum, & ad Aurelianum Arelatenſem Epiſcopos luciſſime conſtat, tam averſe, quam conſtanter eum contra tria Capitula animo fuiſſe affectum. Denique in

in epiſtola decretali ad Eutychium deſiderari expreſſius non eſt, quo ſententiam explicet, qua tum V. Synodum probat, tum tria Capitula proſcribit: ab adducendis Vigilii verbis abſtinuimus, quæ ſi quis audire aveat, praeſto erunt loca apud Petrum de Marca, & Stephanum Baluzium, ex quibus eadem deſcripſere Harduinus tom. 3. Concil., & Illuſtriſſim. Cavalcanti in Vindiciis Rom. Pontificum lib. 4. disſert. 1, & 6. Eorum ergo verborum in epiſt. ad Eutychium rectus ſenſus is non eſt, quem invidioſe ei appingunt, qui Vigilium ſin minus erroris, ſaltem inconſtantiæ inſimulant, bene vero iſte, quod quum in ſuo Conſtituto ſtatuiſſet perſonis Theodori, Ibae, & Theodoreti parcendum, re poſtea maturius perpenſa a priori ſententia ſibi reſiliendum tandem ratus, Theodorum Mopſueſtenum etiam poſt mortem una cum erroribus anathemate percellendum; Ibae, & Theodoreti elucubrationes, quibus de agitur, appellato etiam nomine proſcribendas judicavit. Verbo: Vigilius Concilium Chalcedonenſe ſuo loco dimoveri nunquam eſt paſſus: tria Capitula odio ſemper eſt proſequutus: perſonis Theodoreti, & Ibae Concilio Chalcedonenſi probatis ſemper favit: nomini vero Theodori Mopſueſteni aliquando propitius, aliquando fuit infenſus; perſonam poſt mortem aliquando defendit, aliquando damnavit; defendit quatuor ob capita: ob Epheſini, & Chalcedonenſis Conciliorum, a quibus illum non peſſime habitum putabat, reverentiam: ob Eccleſiæ praxim, quæ a damnandis in pace, in qua illum obiisse arbitrabatur, defunctis abſtinebat: ob Theodori nomen, quod magnum in Oriente audire exiſtimabat: poſtremo ob ſchiſmatis periculum, quod Eccleſiæ incumbere intelligebat. Ita in epiſt. Cleri Italici, & in *Conſtituto*. Damnavit autem, poſteaquam re melius explorata, comperiit ab Epheſino, & Chalcedonenſi Concilio Theodorum tacito nomine condemnatum: Eccleſiæ praxim non ubique eamdem vigere; ſed ab Africana, ut ex can. 84. codicis ejuſdem Eccleſiæ conſtat, defunctos etiam damnari, quin imo Theodorum in pace Eccleſiæ nequaquam defunctum: ex Theodori ſcriptis, & ex ſcriptorum teſtimoniis Theodorum pro hæretico habendum, atque nonniſi apud hæreticos magno in pretio habitum: procul abeſſe ſchiſmatis periculum,

lum, nec ullum Concilio Chalcedonenſi imminere diſcrimen. Ita in *Judicato*, & in epiſt. ad Eutychium. Quid igitur Vigilius mali fecit, aut benefactum ivit inficias, cujus gratia ignominia afficiatur?

Oeconomia ergo, qua uſus Vigilius tria Capitula modo defendit, modo damnavit, qua licita, & qua laudabilis fuit: licita quidem, quia ejus generis non fuit, qua error probetur, ſed qua dumtaxat majoris vitandi mali cauſſa differtur ejus, qui erravit, damnatio. Ejuſmodi ſane adhibitam ſapienter, ac licite ſcimus, ut de ceteris ſileam, a S. Gregorio M. cum Theodelinda Longobardorum Regina in V. Synodum animo male affecta, cum qua proinde de eadem Synodo alte ſibi tacendum duxit: propius ad propoſitum, a S. Cyrillo epiſt. ad Proclum, cujus meminit in ſuo Conſtituto Vigilius, qui quidem Theódori impia dogmata damnavit, ab hominis tamen damnatione abſtinuit; & ab Eccleſia, ut obſervavit rite Thomaſinus diſsert. 19. in Synodum V., quæ aliquando in eos, qui Synodo V. alioquin non adquieſcebant, remiſſus, ac indulgentius ſe geſſit. Quid imo quod licita quandoque fuit ejus generis œconomia, qua ſchiſmatis, ac ſcandali avertendi, proculque arcendi gratia, vel dilata damnatio eſt, vel abſtentum a veritatis declaratione? Quam agendi rationem prudenter tenuiſſe perſpectum eſt, ſive Patres 80. Conc. Antioch. contra Paulum Samoſat., a quibus vox *Omouſion* ſupreſſa eſt: ſive S. Hormiſdam Pontific. Maxim. cum Monachis Acaemetis unum è Trinitate carne paſsum perneganti bus, cujus propoſitionis damnatio intempeſtiva ipſi videbatur? Laudabilis quoque: recole modo dicta de cauſsa trium Capitulorum, ac geſta in eadem cauſsa a Vigilio: revolve deinde animo pugnam eam ob cauſsam Orientales inter, & Occidentales ingenti animorum æſtu initam: adnitebantur viciſſim in partem Vigilium pertrahere, ac de victoria alternatim utique adblandiebatur pars alterutra, cui Vigilius adhæreret: victoribus tamen una, ac Vigilio cedere victi nollebant ullo modo, ſiquidem adeo ſtudio partis eſsent abrepti, atque in ſententia animo obfirmati. Quid aget eo in rerum ſtatu prudentiſſimus Pontifex? In Orientales, ut qui Juſtiniani edicto contra tria Capitula, ex quo impeti per cuniculos

Con-

Concilium Chalcedonenſe reputabatur, imprudenter morem geſserant, ac proinde diſſidio ortum fecisſe videbantur, auctoritate utendum ſibi ratus Capitulorum condemnationi obſtitit. Hanc œconomiæ partem laudibus proſequuti ſunt Clerici Italiæ in epiſtola tradita Legatis Francorum.

Verum hac ratione Vigilius nihil profectum ab ſe perſpiciens, ut Orientales adverſus tria Capitula uno impetu conſpirantes in officio contineret, ac ſchiſma jamjam creandum averteret, tria Capitula *Judicato* edito condemnavit. Hæc pariter œconomiæ particula laude digna viſa eſt Italiæ Clericis præc. epiſt., ejuſdemque meminit Vigilius in ſententia contra Theodorum Cæſareenſem. Ut vero ſcandalum, & ſchiſma, quod amotum ab Orientalibus impendere Occidentalibus intelligebat, ab his pariter procul abigeret, qui errore facti decepti ex illa damnatione Concilio Chalcedonenſi injuriam irrogari autumantes, in trium Capitulorum defenſionem acerrime concedebant, ſilentio tranſigendum ſibi arbitratus, de tribus Capitulis ante Concilii generalis convocationem diſputari in utramlibet partem *Conſtituto* elucubrato prohibuit, in quo tamen ab infligendis anathematis pœnis prudentiſſime abſtinuit. Hoc diſpenſationi, & œconomiæ deputavit Vigilius ipſe in laudata encyclica de damnatione Theodori. Ergo eum caſum adveniſſe advertens, in quo ob contendentium æſtum componi abſque Concilio quæſtio nequiret; ex Orientalibus æque, atque ex Occidentalibus congregari Concilium concupivit: congregatum eſt quidem, ſed ex ſolis Orientalibus: exinde injuriam creari Occidentalibus inſpiciens, ea ratione ejuſmodi Concilium eſt execratus: at ratione altera motus, non autem Theodoræ Auguſtæ metu, ut male feriati nonnulli calumniantur, quod multo pluris periculi ex parte Orientalium contra tria Capitula animo obfirmatorum ingrueret, ſimulque in ſpem erectus fore non difficile, ut Occidentales dociliores, errore facti tandem dedocti, in trium Capitulorum damnationem Apoſtolicæ ſaltem Sedis auctoritate inflecterentur, ſua epiſtola decretali ad Eutychium tria Capitula damnavit, & V. Synodo calculum adjecit ſuum.

Reapſe tum a Vigilio, tum ab ejuſdem ſucceſſoribus Pelagio I.

gio I., Joanne III., Benedicto I., Pelagio II., Gregorio M. &c. Afri, Illyrici, Itali, Galli, Hiſpani &c. eorumdem procul dubio auctoritate permoti eo ſe tandem adduci paſſi ſunt, ut trium Capitulorum damnationi adquieſcerent: quod ſi integre res ex conſilio ipſis non ceſſit, ſed Iſtri manere in ſententia maluerunt; ii ab eo tempore ſchiſmatis nigro carbone notari cœperunt. Jam igitur, ut inſtauratum argumentum numeris omnibus abſolvam; Orientales, & Occidentales tam de Vigilio in partem pertrahendo viciſſim ſolliciti: Orientales, modo ſuæ Synodo interſit Vigilius, ſuæque aſsentiatur ſententiæ, etſi Occidentales Synodo non adſint, Synodali imo ſententiæ adverſentur, voti compotes plene facti, ac de victoria parta ſeſtive gaudentes: Vigilius Synodi ſententiæ conſtantiſſime intercedens, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate cunctis utrinque de tribus Capitulis decernere interdicens: Occidentales initio Vigilium a Synodo V. abhorrentem arbitrati, ideoque illam parvi, aut nihili facientes: tandem tamen Vigilio, aut ejus ſucceſſoribus Synodum V. probatam, ac tria Capitula ab iis proſcripta intelligentes, ultro citroque, paucis exceptis, quibus exinde teterrima ſchiſmatis nota adhæſit, Pontificiæ ſententiæ adquieſcentes, quæ omnia ex dictis paulo ſupra liquido patent, indicia ſunt ne, amabo, iſta aut Pontificis de ſuo inerrantiæ privilegio, ac ſupra Concilia poteſtate minime conſcii? aut dubitantium de Pontifice ſupra Concilium pote, aut in re fidei neſcio falli, aut fallere?

Illud demum obſervari velim, quod in Synodo VI., ſeu Conſtantinopolitana III. act. 14. lecti fuere libelli Mennæ ad Vigilium, & Vigilii ad Juſtinianum, & Theodoram Auguſtam, quos Patres confictos, & ſuppoſitos fuiſſe pronuntiarunt, ipſaque acta V. Synodi dolis Stephani hæretici Monothelitæ, qui Macarii Antiocheni conſors erat, interpolata. Ex his claret non male ſuſpicatum fuiſſe Bellarminum, quod Synodo V. hæreticorum invidia Honorii nomen adjectum fuerit. Idem, Baronius, & Binius conjiciunt libellos a VI. Synodo uti ſpurios proſcriptos eſſe epiſtolam Vigilii, quam refert Liberatus in Breviario de cauſſa Neſtoriana, & Eutychiana cap. 22., datam ad Theodoſium, Anthimum, & Severum: tum quia nempe epiſtola illa inſcripta dicitur

tur ad *Dominos*, *& Chriſtos*, cujuſmodi mos extraneus Romanis Pontificibus eſt: tum quia ea in epiſtola Vigilius damnat Dioſcorum, atque ita ſecummetipſe pugnat, qui unam cum Dioſcoro eadem in epiſtola naturam in Chiſto adſtruit: tum quia Vigilio eam epiſtolam nunquam improperarint quoquot habuit hoſtes. Verumtamen Natalis hiſt. Eccleſ. V. ſæculi in ſynopſi cap. 3. art. 15. §. 8. epiſtolam relatam a Liberato contendit genuinum Vigilii eſſe fœtum, eamque ab eo exaratam, dum vivente adhuc Silverio Pontificium ſolium aſcendit, ac proinde non mirum, quod a Pſeudo-Pontifice exarata epiſtola fuerit, qua promiſſis Theodoræ Auguſtæ ſatisfaciens, atque ad Theodoſium, Anthimum, & Severum ſcribens duarum in Chriſto naturarum confeſſionem damnarit: nam id teſtatur Liberatus; ſed & Vigilium ſpopondiſſe ablaturum ſe de medio Synodum Chalcedonenſem tradit etiam Facundus Hermian. lib. contra Moccianum. Nil valere autem Baronij conjecturas ait, nam epiſtola relata a Liberato non eſt inſcripta ad Juſtinianum; qualis eſt ea, quam ut apocrypham Synodus VI. damnavit: neque inſcripta eſt ad *Dominos*, *& Chriſtos*; ſed *Dominis*, *& in Chriſti Dei Salvatoris noſtri charitate conjunctis fratribus Theodoſio*, *Anthimo*, *& Severo Epiſcopis*, ut teſtatur Victor Tunonenſis: neque in ea damnatum Dioſcorum; ſed pro Dioſcoro legendum eſſe damnatum Diodorum, aut Neſtorium ex ejuſdem epiſtolæ contextu contendit Natalis. Quod vero eam Vigilio epiſtolam non objecerint, in cauſſa fuiſſe ait, quod vel eam ſui hoſtes ignorarint, vel ipſi vitio vertere noluerint, quod Pſeudo-Pontifex ſcripſerat, & verus factus Pontifex reſciderat.

Stephanus Baluzius tom. 1. ſuæ collect. Concil. præfat. ad acta V. Synodi contendit hac damnatione libelli Vigilii ad Juſtinianum, & Theodoram in VI. Synodo lata epiſtolis illis Vigilii auctoritatem omnino non abjudicari; ſiquidem falſæ illæ dictæ non ſint, ſed falſatæ dumtaxat ab iis, qui illarum teſtimoniis abuti ad roborandum errorem ſuum de una in Chriſto voluntate, & operatione non erubeſcebant: unde Patres illi dixerint: *Anathema libellis*, *qui dicuntur facti fuiſſe a Vigilio ad Juſtinianum*, *& Theodoram*, *qui & ſunt falſi demonſtrati*. Nempe a Monothelitis addita fuerant ea, quæ de una operatione illis in

epiſtolis legebantur; quo plane modo ab Monothelitis actis Synodi addita pleraque alia fuerant. Rem narrat Pagius breviar. hiſt. crit. in S. Agathone. Quum act. 14. Synodi VI. lecti fuiſſent libelli Mennæ ad Vigilium, & Vigilii ad Juſtinianum, & Thedoram, Legati Sedis Apoſtolicæ ſtatim exclamaverunt non eſſe Vigilii, & falſatum eſſe librum geſtorum V. Synodi. Quare quum examinarentur codices ejuſdem V. Synodi, in quibus illæ Vigilii epiſtolæ extabant, conſtitit illas olim deſideratas fuiſſe in antiquis, additoſque non ita multo ante fuiſſe tres quaterniones novos initio Synodi; in 7. vero actione, in qua continentur duæ illæ Vigilii epiſtolæ, mutatum fuiſſe quintum decimum quaternionem, adjectumque quadrifolium non ſuperſcriptum ante decimum ſextum quaternionem, in quo feruntur duæ illæ Vigilii epiſtolæ. Quamobrem Patres decrevere volumen chartaceum iis in locis caſſari, in quibus adjectiones illæ factæ fuerant, & anathema dixerunt tum illis additamentis, tum illorum auctoribus, qui ea intruſerant. Baluzium refellit Blancus, eoque evidentiſſime, quod in Synodo quæſitum non fuerit: an falſati Vigilii libelli fuiſſent: ſed an falſata fuiſſet ipſamet V. Synodus: declaratumque demum falſatam fuiſſe actionem 7. Synodi V.; eo quod falſi, ſive non veri fuiſſent libelli Vigilii ad Juſtinianum, & Theodoram ibidem adjecti. Sed de V. Sinodo jam ſatis ſuperque.

Illud poſtremo obſervaſſe non abs re erit, quod Origenem, Evagrium, Didymum una cum Theodoro Mopſveſteno, ſcriptis Theodoreti adverſus S. Cyrillum, epiſtolaque Ibæ ad Marim Perſam in Synodo V., ſive Conſtantinopolit. II. condemnatos auctores ſunt Evagrius lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 38., Cyrillus Scytopolitanus in vita S. Sabæ apud Cotelerium tom. 3. monum. Eccleſ. Græcæ pag. 373., & 374., Nicephorus lib. 17. hiſt. Eccleſ. cap. 27., Theophanes in Chron., & Auctor Chron. Alexandr. Inficias id ivit Henricus Valeſius in annotat. ad laudatum locum Evagrii: en ejus non contemnendas conjecturas. In actis V. Synodi latino ſermone editis nihil hujuſmodi de Origenis, Evagrii, & Didymi condemnatione extat, itaque Baronius jure acta iſta mutila, ſive interpolata exiſtimavit. Ad hæc ea in Synodo primas, ut ex actis perſpicuum ſit, partes egit Theodorus Cæſa-

reen-

recenſis Metropolita acerrimus Origeniſtarum patronus, ac vindex, quorſum igitur ea in Synodo tamquam Origeniſta fuiſſet accuſatus, qui ad Origenis condemnationem plurimam contuliſſet operam? Itaque ſuſpicatur vir doctiſſimus, quæ adverſus Origenem, Evagrium, & Didymum acta dicuntur in V. Synodo, diu poſt illam Synodum ob argumenti ſimilitudinem actis Synodi aſſuta fuiſſe. Conjecturam hanc ſuam confirmat ex eo: tum quod acta Synodi Conſtantinopolit. ſub Menna an. 536. huic V. Synodo ſubjici ſolebant, ut teſtatur Photius in bibl.: tum quod in actis iiſdem adverſus Origenem inſertam fuiſſe epiſtolam Juſtiniani Imper. ad Vigilium adverſus errores Origenis teſtatur Evagrius loc. cit.: at quum eo anno 553., quo celebrata eſt V. Synodus, Conſtantinopoli degeret Vigilius, non erat cur cum eo per litteras Imperator ageret. Egit igitur antea, quum ſcilicet accepto libello Monachorum Palæſtinæ adverſus Origenem, epiſtolam ſcripſit ad Vigilium, ceteroſque Patriarchas ipſo teſte in epiſt. ad Mennam, quæ proinde epiſtola pertinet ad Synodum Conſtantinopolit. Juſtiniani juſſu contra Origenis errores an. 538., ut obſervavit Baronius ex Liberato brev. cap. 23, collectam. Amplius. Ea in Juſtiniani epiſtola, iiſdemque verbis leguntur anathematiſmi in V. Synodo adverſus Origenem contorti. In epiſtola iterum Synodica ad Patriarchas a S. Gregorio M. initio Pontificatus exarata ſe profitetur amplecti V. Synodum, in qua tria Capitula ſunt condemnata, de Origenis vero damnatione nihil dicit. Igitur infert ex his Valeſius hæc adverſus Origenem acta fuiſſe in altera Synodo Conſtantinopolit. an. 538., quam ſcilicet accepto Monachorum Palæſtinæ libello de Origenis erroribus Juſtinianus eam ob cauſſam indixit, ut habet Liberatus brev. cit. cap. 23. Fieri proinde potuiſse, ut acta hujuſmodi Synodi an. 538. ſubnecterentur actis Synodi V. Conſtantinopoli anno 553. celebratæ. Itaque juxta haſce Valeſii conjecturas non ad V. Synodum, ſed ad Synodum anno 538. habitam ſpectant Juſtiniani tractatus ad Mennam adverſ. Origenem, nec non epiſtola ad Synodum Conſtantinopolit. de Origene, ejuſque ſectatoribus tom. 5. Labbei pag. 679.

Quæ omnia confirmari poſſunt 1. ex actis Synodi V., qui-

Digitized by Google

bus ſubſcribentes Eutychius Patriarcha Conſtantinopolit., ceterique Epiſcopi Theodorum, Theodoretum, Ibamque expreſse nominant, de Origene, Evagrio, & Didymo nec volam habent. 2. Ex epiſtola decretali Vigilii ad Eutychium, ejuſque *Conſtituto* adver. tria Capitula evulgato a Baluzio, ubi ne verbo quidem facto de Origenis, Evagrii, Didymique damnatione, totus eſt in tribus Capitulis configendis. 3. Ex Liberato brev. capp. 23., & 24. referente Origenis condemnationi ſubſcripſiſse præ aliis Pelagium Apoſtolicæ ſedis Apocriſarium, atque Petrum Hieroſolym. Patriarcham: atqui anno 544. Petrus fatis eſt functus, uti tradunt Papebrochius, & Pagius; eodemque anno Pelagius Conſtantinopoli Romam a Vigilio fuit revocatus: igitur non anno 553., ideſt in Synodo V., ſed an. 538. in Synodo altera Conſtantinopolit. ea omnia acta ſunt, quæ a ſcriptoribus illis adſcribuntur V. Synodo; cui nonniſi poſt adjecta fuiſſe oportet, non ſecus ac Origenis nomen, quod 11. anathematiſmo inſertum legitur; quod alioqui juxta temporis ordinem primo, non poſtremo loco fuiſset poſitum; & aliunde in anathematiſmis Juſtinianeis verbis iiſdem conceptis Origenis nomen deſideratur. Quod ſi demum collat. 5. Synodi V. dicitur Origenes *nunc* damnatus, voce iſta *nunc* idem intelligi, *ac nuper*, ideſt a paucis annis, an. ſcilicet 538., vel etiam poſteriori, quo celebrata ſit ſub Menna Synodus, hactenus dicta perſuadent. Hæc in ſententia Valeſii. Pagius contra pugnat, cujus apud ipſum ad an. 538., & 553. momenta legere eſt, nolim enim me hujuſce litis judicem interponere: quod enim mea intereſt, ſive a Synodo Conſtantinopolit. an. 538., aut etiam ſequius, ſive a Synodo V. an. 553. damnatus Origenes cum Evagrio, & Didymo fuerit, in rem meam ſatius id, ſuperque eſt fuiſse auctoritate Sedis Apoſtol. præeunte dubio procul damnatum, quin quæram an jure, an invidia potius ob ingentem, quam ob ingenii præſtantiam ſibi tandem comparavit, Pagius frequens laboraverit. Legendus etiam Chriſtianus Lupus diſsert. de V. Synodo cap. 1.

Synodum VI, ſeu Conſtantinopolitanam III. œcumenicam an. 680. ſub S. Agathone ex Epiſcopis Orientalibus, vel 166, ut referunt acta; vel 170, ut refert Photius in libello de Synodis;

vel

vel 280, ut ſcribunt Theophanes & Cedrenus, congregatam, quæ præiverunt, & quæ ſubſequuta ſunt, egregia nobis exhibent in cauſsam noſtram monumenta. Enim vero Monothelitarum hæreſim, quæ Eutychianæ ſurculus erat, & propago, cujus extirpandæ cauſsa Synodus VI collecta eſt, ejuſdemque propagatores Theodorum Pharanitam, Sergium Conſtantinopolitanum, Cyrum Phaſiditanum, Athanaſium Jacobitam, datis ad Honorium litteris de hæreſi detulerat, & apud Sedem Apoſtolicam accuſaverat Sophronius Monachus, poſtea Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præfectus, cujus litteræ ad Honorium ſæpius in VI Synodo cum laude lectæ ſunt. Poſt Honorium, qui Pontifex ſalutatus eſt, Severinus Heraclii Ecthesim, qua duas in Chriſto dici voluntates, & actiones vetabat, diris omnibus devovit; ut liquet ex ſecret. 3. Concil. Later. ſub S. Martino I. Severino, qui ſuffectus eſt, Joannes IV coacto Romæ an. 640. Concilio Monothelitis hæreſis dicam conſcripſit, ut a Theophane litteris traditum eſt. Apud Theodorum, quem Joannes exceperat, Pyrrhus in Africa tunc exul agens, ibidem a S. Maximo diſputatione convictus, & indidem Romam profectus hæreſim publice ejuravit, ac fidei profeſſionem emiſit, quem poſtea ad ingenium reducem, & in hæreſim relapſum idem Pontifex diro anathemate perculit. A Conſtante novum edictum ſub *Typi* nomine evulgatum, cujus ei auctor fuerat Paulus Pyrrho in Eccleſia Conſtantinopolitana ab eodem Conſtante ſubrogatus, quove unius, aut geminæ in Chriſto voluntatis confeſſio peræque prohibebatur, quum accepiſset idem Theodorus, Romæ collecta Synodo anathemate damnavit. S. Martinus I, qui Theodoro mortalitatem expleto Apoſtolicam Cathedram conſcendit an. 649, in Laterano habita Synodo, cum in Conſtantis *Typum*, tum in Monothelitarum errores Apoſtolico mucrone animadvertit. S. Agatho tandem acceptis Conſtantini Imperatoris litteris, quibus admonebatur ad motas compeſcendas turbas, Eccleſiæque conciliandam optatam tranquillitatem Concilio generali opus eſse, rogabaturque, ut Legatos, qui ei præſiderent, mitteret, Romæ coacto anno 679 Epiſcoporum 125 Concilio quæſtionem fidei, quomodo factum fuerat a ſuis deceſsoribus, diremit. Ex ea delectos Legatos, tum qui

Apo-

Apoſtolicæ Sedis vices gererent, tum qui Occidentalis Concilii implerent perſonam, Conſtantinopolim ad Concilium direxit.

Obſervare hic eſt 1. cum Petro de Marca lib. 5. concord. cap. 6. prima hac vice legi diſtinctim Legatos Eccleſiæ Romanæ, & Legatos Eccleſiæ Latinæ ad Orientis Synodos miſsos. Cujuſce rei eam cenſet vir eruditus rationem eſse, quod quia Romana Eccleſia non levi laboraret invidia apud Orientales, ob damnatos tot Patriarchas Orientis Monothelitica labe adſperſos, operæ pretium Imperator putavit, ut Romanæ Eccleſiæ Legatis reliquæ Latinæ Eccleſiæ Legati adjicerentur, ut ab utriſque eadem aſſerta fides ab Orientalium animis facilius omnem amoveret offenſionem. Obſervare 2. eſt, (quod non leve Pontificiæ ſupremæ auctoritatis eſt indicium,) quod in hacce Synodo VI primæ partes, hoc eſt primus conſedendi locus, & primus ſubſcribendi honor Legatis S. Agathonis delatus eſt: quippe primo loco ſubſcripti leguntur Theodorus, & Georgius Presbyteri, & Joannes Diaconus Eccleſiæ Romanæ locum tenentes Agathonis: ſecundo loco quatuor Patriarchæ Orientis, & tres Metropolitæ Theſsalonicæ, Cypri, & Ravennæ; poſt quos Joannes Portuenſis, Baſilius Cortynæ, Johannes Regii, & Abundantius Paternenſis Epiſcopi Synodi Occidentalis vices gerentes. Obſervari vult præterea Cabaſsutius notit. Eccleſ. ſæcul. VII. de Synodo VI. ſapientiſſimo conſilio jam inde a prioribus Eccleſiæ ævis conſuevisse Romanos Pontifices poſt indictas in Oriente Synodos ineundas, quó pauci admodum confluere poterant, convocare apud ſe Occidentalium Epiſcoporum Concilia, quibus Synodis in Oriente congregandis præluderent, indidemque fidei quæſtiones definitas ad Orientis Synodos ſubſcribendas dirigerent. Id, ſubdit, operis imponebatur Legatis, quos e latere ſuo Pontifex dimittebat cum litteris commonitoriis, quibus Orientales de Apoſtolicæ Sedis, & Occidentalium ſententia certiores facti in eamdem conſpirarent fidem.

Verumtamen ſi vir doctus Concilii Occidentalis nomine venire Synodos vult, quas Romæ vel ex Romano Clero, vel ex vicinis Epiſcopis conflare Romanis Pontificibus in more poſitum erat, aſsenſum præbeo: ſi autem eo nomine deſignata exiſtimet revera Concilia ex Patriarchatu Romano, ſive ex Provinciis Occidentis congre-

gregata, quod Queſnellus in notis ad epiſtol. 40. S. Leonis contendit, exinde inferens vir ſubleſtiſſimæ fidei Legatos Apoſtolicæ Sedis ad Concilia Orientalia eoſdem Legatos Concilii Occidentalis etiam egiſſe, hoc omnino inficias eo; factumque quidem primo ab Agathone affirmo; ſed factum antea fuiſſe pernego: ubi enim, quæſo, legitur, ſicuti a SS. Silveſtro, Cœleſtino, & Leone, Legati miſſi leguntur ad Concilia Nicænum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, ubi, inquam, legitur prius a Pontificibus illis ex Patriarchatu Occidentis, ſive ex Occidentis Provinciis convocata Concilia fuiſſe, ex iiſque miſſos pariter eorumdem Conciliorum nomine Legatos ad Concilia Orientalia? Confer doctiſs. Catalanum in prolegom. ad Concilia cap. 10, ubi Queſnellum pro meritis caſtigat. Quamquam non negaverim Romanis Synodis perſæpe ex Provinciis Occidentis non modo, ſed aliquando imo Orientis, Epiſcopos interfuiſſe aliquos; nec non Romanæ Synodo ſub S. Damaſo ex Occidente advocatos Epiſcopos adfuiſſe: ex ea tamen Synodo Legatus nullus legitur ad Conſtantinopolitanum I. miſſus, ut ex actis Concilii liquet. Jam vero Legatorum partes erant præſidere Synodo: quæ a Synodo agenda, & decernenda eſſent, proponere: Apoſtolicæ Sedis aperire ſententiam, eamque in Concilio executioni mandare: appellationes ad Pontificem admittere: Apoſtolicæ Sedis nomine decreta vulgare, aliaque hujus generis præſtare, quibus omnibus palam fieret ſuprema Apoſtolicæ Sedis auctoritate in Conciliis eos cuncta agere, adeoque ut Apoſtolicæ Sedis judicium nihil in Synodo augeri, minui, retractari, in dubitationem, aut examen adduci, & revocari, ſive ab eo vel latum unguem recedere permitterent quemquam, aut paterentur. Ex quo vero Legati quoque Occidentalium Epiſcoporum illó dirigi cœperunt, uti ab hoc tempore cœptum eſt, illud unum erat eorumdem munus in Synodo Orientali palam facere jampridem Sedis Apoſtolicæ ſententiæ adquieviſſe Latinam Eccleſiam, in idemque cum Legatis Apoſtolicis officium conſpirantes urgere, ut Apoſtolicæ Sedis ſententia in Orientali Synodo executioni demandaretur, eique ex officio ut obſequerentur Orientales, qua monitoriis, & qua minis ſatagerent. Porro de primi generis Legatis accipi debent, quæ Synodus Chalcedonen-

ſis

ſis act. 10. habet: *Miſſi Apoſtolici ſemper in Synodis prius loqui, & confirmare ſoliti ſunt*: decreta ſcilicet ſibi a Pontifice directa proponere, ſuoque ſuffragio comprobare, ac poſtremo, ut ceteris probentur, curare. Quocirca M. Antonius de Dominis, ejuſque ſimiles in Pontifices felle pleni malevolentiam ſuam, atque ignorantiam maxime produnt, dum Pontificem jus proponendi in Concilio Tridentino ſibi adſcribentem invaſi, uſurpatique juris nequiter, temereque traducunt.

Age modo acta Concilii diſpiciamus, quæ quidem ſuppoſititia effutiit Albertus Pighius, quem tamen pro meritis caſtigat Combeffiſius diſſert. apolog. pro actis VI. Synodi: interpolata exiſtimavit Baronius, ut hoc modo hæreſeos labem ab Honorio abstergeret; quam tamen opinionem exſufflant Combeffiſius loc.cit.; Cabaſsutius in notis Eccleſ. ſæculi VII. de Synodo ſexta; Lupus in diſſert. de VI. Synodo ad act. 18; Garnerius in append. ad notas cap. 2. libri diurni Rom. Pontif.; Pagius uterque in critic. Baronii ad an. 680, & in S. Agathone; Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. VII. diſsert. 2; Tamagninus hiſt. Monothelit. ſcrutin. 6, aliique: quo de argumento alio in loco agendum. Ergo act. 4. Synodus cum gaudio audivit lectam, & cum plauſu recepit, eique tacito conſenſu adquievit, (qui in rebus fidei ſat eſt juxta regulam S. Auguſtini lib. 3. contra Creſcon. dicentis: *Eccleſia errores* (contra fidem) *nec patitur, nec tacet, nec facit*,) S. Agathonis epiſtolam ad Conſtantinum Pogonatum, qua *Porrigere dignemini*, inquit, *clementiſſimam dexteram Apoſtolicæ doctrinæ ..... quam Beatus Petrus Apoſtolus tradidit, non ut ſub modio condatur, ſed tuba clarius in toto Orbe prædicetur; quia ejus vera confeſſio a Patre de Cælis eſt revelata, pro qua a Domino omnium Beatus eſſe pronuntiatus eſt Petrus, qui & ſpirituales oves Eccleſiæ ab ipſo Redemptore omnium trina commendatione paſcendas ſuſcepit: cujus annitente præſidio hæc Apoſtolica ejus Eccleſia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt, cujus auctoritatem, utpote Apoſtolorum Principis, ſemper omnis Catholica Eccleſia, & univerſales Synodi fideliter amplectentes in cunctis ſequutæ ſunt, omneſque Venerabiles Patres Apoſtolicam ejus doctrinam amplexi, ... & Sancti quidem Doctores orthodoxi venerati, atque ſequuti*

quuti ſunt; hæretici autem falſis criminationibus, ac derogationum odiis inſequuti .... Hæc eſt enim veræ fidei regula, quam in proſperis, & in adverſis veraciter tenuit, ac defendit hæc ſpiritualis Mater veſtri tranquilliſſimi Imperii Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam a tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed ut ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab Authoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata fide tenens, permanet ſecundum ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam ſuorum diſcipulorum Principi fatus eſt: Petre, inquiens, ecce Satanas expetivit vos, ſicut qui cribrat triticum, Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. *Conſideret itaque veſtra tranquilla Clementia, quoniam Dominus, & Salvator omnium, cujus fides eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſse ſemper cunctis eſt cognitum.* Hæc ſcribebat S. Agatho ſub tempus VI. Synodi, in qua de Honorio agendum erat, neque ei mota de Honorio lis eſt: ſed de hoc ſuo loco.

Inſuper idem Pontifex in memorata epiſtola declarat ſe ſuis Legatis in mandatis dediſse, ut Sedis Apoſtolicæ fidem ſimpliciter ex ſcripto exponerent, prohibiti, ne paterentur vel minimum illi addi, detrahi, vel mutari: *Ut nihil*, inquit, *profecto præſumant augere, minuere, vel mutare; ſed traditionem hujus Apoſtolicæ Sedis, ut a Prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſinceriter enarrare.* Eadem act. 4. lecta quoque epiſtola Synodi Romanæ per Legatos ſuos miſſa ad Conſtantinum Imper., qua inter alia hæc Latini Epiſcopi ſcribunt: *Nos licet humillimi ſummis viribus enitimur, ut Chriſtiani veſtri Imperii reſpublica, in qua B. Petri Apoſtolorum Principis Sedes fundata eſt, cujus authoritatem omnes Chriſtianæ nobiſcum nationes venerantur, & colunt, per ipſius B. Petri reverentiam omnium gentium ſublimior eſse monſtretur. Perſonas autem de noſtræ humilitatis ordine providimus dirigere ... quæ omnium noſtrum, ideſt omnium per Septentrionales, vel Occiduas regiones ſuggeſtionem, in qua & Apoſto-*

licæ noſtræ fidei confeſſionem prælibavimus, afferre debeant, non tamen tanquam de incertis contendere, ſed ut certa, atque immutabilia compendioſa definitione proferre. Viden Legatos mitti ad Concilium generale, ut definitiones fidei editas a Sede Apoſtolica promulgent, amplectique præcipiant! Hanc vero Apoſtolicis definitionibus parendi neceſſitatem non aliunde colligunt, quam ex infallibilitatis privilegio, quod de eadem Apoſtolica Sede prædicant his verbis: *Lumen Apoſtolicæ fidei ſplendidiſſimum, quod ex veri luminis fonte, tanquam de radio vivifici fulgoris per miniſtros Beatos Petrum, & Paulum Apoſtolorum Principes, eorumque diſcipulos, & Apoſtolicos ſucceſſores gradatim uſque ad noſtram parvitatem Dei opitulatione ſervatum eſt, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falſitatis nebulis confœdatum*. Addunt: *Hæc eſt perfecta noſtra ſcientia, ut terminos Catholicæ, atque Apoſtolicæ fidei, quos uſque adhuc Apoſtolica Sedes nobiſcum & tenet, & tradit, tota mentis cuſtodia conſervemus*. Demum prolata ſuæ fidei profeſſione de geminis in Chriſto naturis, voluntatibus, & operationibus, ita concludunt: *Quicumque ... quæ in hac confeſſione continentur, nobiſcum ſincere prædicare deſiderant, ut noſtræ Apoſtolicæ fidei concordes ... ſuſcipimus. Qui vero hæc confiteri noluerint, ut infeſtos Catholicæ, & Apoſtolicæ confeſſioni, perpetuæ condemnationis reos eſſe cenſemus*. En quomodo nequaquam Eccleſiæ Orientalis expectata ſententia, & aſſenſione, ipſi imo quid credendum, tenendumque ſit, ex Apoſtolicæ Sedis ſententia proponunt, & præſcribunt; a qua nefas ſit vel latum unguem recedere, tanto minus eam in dubitationem adducere, aut examini ſubjectam velle: atque ita plane ex Pontificis, & Romanæ Synodi ſententia res ceſſit. Nam act.8. Epiſcoporum quilibet confeſtim ſe adquieſcere reſpondit iis, quæ de duabus Chriſti voluntatibus, & operationibus Imperatori reſcripſerat S. Agatho: *Suggeſtiones*, inquit Domitius Epiſcopus Pruſiados, *Directas a Patre noſtro Agathone Sanctiſſimo Archiepiſcopo Apoſtolicæ, & Principalis Sedis Romæ ad a Deo coronatum, & manſuetiſſimum noſtrum Dominum, & Magnum Victorem Imperatorem, tamquam a Spiritu Sancto dictatas per os Sancti, ac Beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri, & digito prædicti ter beatiſſimi Agathonis ſcrip-*

ſcriptas ſuſcipio, & amplector, & ita credo, ita ſentio. Eadem act. 8. Georgius Patriarcha Conſtantinop. epiſtolam S. Agathonis admiſit, & ſecundum illam ſe credere profeſſus eſt. Compererat namque eam SS. Patrum teſtimoniis, quæ in codicibus authenticis in Patriarchii Conſtantinopolitani ſcriniis ſervatis continebantur, eſſe conſonam. In eamdem ultro ſententiam ivit Sergius Epiſcopus Selymbriæ dicens: *Sequor ſuggeſtiones Patris noſtri Agathonis Sanctiſſimi Papæ Romæ, & ita ſuſcipio, & amplector eas, tamquam epiſtolas ſanctæ memoriæ Leonis,... & profiteor in Domino noſtro Jeſu Chriſto vero Deo noſtro duas voluntates naturales, & duas earum operationes*. Uno verbo. Ceteri perinde Epiſcopi una voce, conſenſuque unanimi conclamaverunt: *Et nos piiſſime Domine notionem accipientes ſuggeſtionis directæ... ab Agathone SS. Papa antiquæ Romæ: & alterius ſuggeſtionis, quæ facta eſt a ſubjacente ei Concilio*, (nota, a ſubjacente ei Concilio, ajunt) *ſic ſapimus, & credimus*.. Eadem act. 8. Macarius ſurgere, & reſpondere juſſus eſt, iccirco, quod non conſenſiſſet *virtuti directarum orthodoxarum ſuggeſtionum ab Agathone ſanctiſſimo Papa Romano*.

Act. 10. Petrus Nicomedienſis cum aliis Epiſcopis, & Clericis, relictis partibus Macarii, porrecto libello: *Conſentio*, inquit, *& permaneo in cunctis capitulis, quæ continentur tam in prædicta ſuggeſtione ejuſdem Sanctiſſimi viri* (Agathonis), *quam in altera ſuggeſtione Concilii*. Act. 13. Epiſcopi omnes dixerunt: *Declarantibus igitur nobis, veſtra Gloria* (Imperator Conſtantinus) *debet percipere, quod bene, atque juſte eos* (Pyrrhum, Paulum, & Petrum Conſtantinopolitanos quondam Epiſcopos, Theodorum, & Cyrum) *jam abjecit Agatho Sanctiſſimus Papa per ſuggeſtionem, quam fecit ad piiſſimum noſtrum Imperatorem: & nos quoque conſonanter cum eo hos expelli, & anathemate percelli cenſuimus*. Act. 18. profitetur Synodus, *Se fideliter ſuſcipere, & expanſis manibus amplecti tam ſuggeſtionem, quæ a Sanctiſſimo Agathone facta eſt ad Conſtantinum,... & alteram ſuggeſtionem Synodalem, quæ miſſa eſt a ſacro Concilio, quod eſt ſub eodem Sanctiſſimo Papa* (nota, Concilium dicunt, nempe Romanum, eſſe ſub Papa) proinde, ſubdunt: *Inſpirationi Sancti Spiritus*

 coope-

cooperantes ... Agathonis Sanctiſſimi Patris noſtri, & Summi Papæ dogmaticis litteris conſentientes &c. Et infra in ſermone acclamatorio ad Imperatorem ſic univerſi Patres alloquuntur: *Summus autem nobis concertabat Apoſtolorum Princeps: illius enim imitatorem, & Sedis ſucceſſorem habuimus fautorem, & divini Sacramenti myſterium illuſtrantem per litteras. Confeſſionem tibi a Deo ſcriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, & dogmatum diem ab Occiduis partibus exattulit; charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur*. Ita Epiſcopi Synodi VI, dum in Honorium animadvertunt, S. Agathonem ſupremum Pontificem agnoſcunt, illique tanquam per ipſius os loquenti S. Petro reverenter auſcultant. Ex quo obiter conjicere eſt Honorium vapulaſſe in VI. Synodo, ut perſona ſingularis fuerat, & hæreticorum fautor. Præterea in litteris Synodicis ad S. Agathonem ita ſcribunt: *Maximi morbi majoribus indigent auxiliis, atque idcirco Chriſtus verus Deus noſter ſapientem dedit Medicum veſtram adeo honoratam ſanctitatem contagia hæretica ſuis fortiter propulſantem remediis; orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Eccleſiæ largientem. Itaque tibi, ut primæ Sedis Antiſtiti univerſalis Eccleſiæ, quid gerendum ſit, relinquimus ſtanti ſuper firmam fidei petram: libenter perlectis veſtræ confeſſionis litteris, quas ut a Summo Apoſtolorum vertice divine perſcriptas agnovimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris ſectam hæreticam depulimus ... ex ſententia per ſacras veſtras litteras de iis prius lata*. Conſtantinus vero Pogonatus in litteris ad Concilium Occidentale ſic ſcribit: *Interfuiſtis namque & vos cum univerſali Principe Paſtorum, ſimul cum illo divinitus loquentes, tam in ſpiritu, quamque littera ... idcirco & omnes conſonanter mente, & lingua concredimus, & ſimiliter confeſſi ſumus, & tamquam ipſius Divini Petri vocem Agathonis relationem ſupermirati ſumus*. Poſtremo Synodi Patres una cum Synodi actis Synodicam ad S. Agathonem tranſmittentes, geſtorum confirmationem enixe poſtularunt his verbis: *Orthodoxæ autem fidei ſplendidam lucem vobiſcum clare prædicavimus, quam ut iterum per honorabilia veſtra reſcripta confirmetis, veſtram oramus Paternitatem*.

Ve-

Verum mortis S. Agathonis, & S. Leonis II. inaugurationis nuntiis acceptis, ſcripſit Conſtantinus pro confirmatione Synodi, cui reſcribens Leo, *Sancta*, inquit, *univerſalis, & magna VI. Synodus Apoſtolicam in omnibus regulam, & probabilium Patrum doctrinam ſequuta eſt; & quia definitionem rectæ fidei prædicavit, quam & Apoſtolica Sedes B. Petri Apoſtoli veneranter ſuſcepit, idcirco & nos, & per noſtrum officium hæc veneranda Sedes Apoſtolica his, quæ definita ſunt ab ea, conſentit, & B. Petri auctoritate confirmat, ſicut ſupra ſolidam petram, qui Chriſtus eſt, ab ipſo Domino adeptis firmitatem... Hanc igitur rectæ, atque Apoſtolicæ traditionis normam prædeceſſor meus Agatho cum ſua Synodo prædicavit. Hanc ſcriptis percurrentibus in ſuæ ſuggeſtionis pagina veſtræ pietati emiſit, approbans, & confirmans teſtimoniis ſanctorum Eccleſiæ Doctorum, quam Sancta nunc, & magna Synodus in omnibus amplexa eſt, utpote B. Petri Apoſtolorum Principis ſinceram doctrinam in ea agnoſcens*. Poſt VI. Synodum Philippico Bardane Imperio potito, Johannes Monothelitis pariter favens Cyri loco Conſtantinopolitanus Patriarcha ſuffectus eſt. Sed Philippico in ordinem redacto, & Arthemio, ſeu Anaſtaſio catholico Principe ad Imperii faſtigium evecto, Johannes Synodum VI. profiteri cœpit, datiſque ad Conſtantinum Papam litteris excuſare ſtuduit, quæ geſſerat ſub tyrannide Philippici. Idem S. Leo II. acta VI. Synodi in Hiſpaniam miſit, datis litteris tum ad Epiſcopos Hiſpaniæ, tum ad Regem Ervigium, in quibus inter alia Sedi Apoſtolicæ infallibilitatis privilegium adſerit præclaris his verbis: *Apoſtolicæ traditionis in vobis fructificat... puritas, pro qua hæc ſancta Eccleſiarum omnium mater Apoſtolica Sedes uſque ad victimam deſudavit ſemper, & deſudat, & prius... animam a corpore... deligit ſequeſtrari, quam proditione ſacrilega ſe a confeſſione veridica... ſejungi*. Ita in epiſt. ad Epiſcop. Hiſp.; in epiſt. vero ad Ervigium poſtquam dixit, ſicut in priori a S. Petro Apoſtolorum Principe Chriſtianæ fidei traditionem deſcendiſse, atque in Hiſpanias Evangelicam veritatem dimanaſſe: *Pro ejus*, ſubdit, *immutabilitate ſervanda diverſas afflictionum inſidias hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia ſuſtinuit ſemper, & ſuſtinet, & ſuperna gratia ſuffragante illæſa perſiſtit*.

Epiſtolas haſce, nec non epiſtolam ad Conſtantinum Imperat. S. Leoni abjudicat, ſpuriiſque adcenſet Baronius: ſed adverſus Baronium eas vindicant Pagius in critica, & Baldinus in not. ad Anaſt. tom. 4.: cum iis vero nequaquam pugnare, quæ idem Pontifex de Honorii damnatione, damnationiſque cauſſa ſubnectit, ſuo loco oſtendemus. Interea ex hactenus dictis liquido conſtat S. Agathonem ſupremam in VI. Synodum auctoritatem exercuiſſe.

Nihilominus Boſſuetius def. decl. par. 2. lib. 12. cap. 24; & Natalis diſſert. 4. in hiſt. Eccleſ. Sæculi XV, & XVI. n. 26. ex actis VI. Synodi oſtendi Concilii Oecumenici ultimum, ſupremumque eſſe judicium contendunt. Quamvis enim, inquiunt, a S. Martino I. in Synodo Lateranenſi damnata fuiſſet Monothelitarum hæreſis, ſectæque Principes anathemate confixi: quamvis ejuſdem hæreſis, & ſectatorum damnationem S. Agatho in Synodo frequentiſſima Romæ celebrata confirmaſſet, hanc tamen controverſiam, cauſſamque ſexta Synodus retractavit. Hæreticorum ſcripta, lataque adverſus eos judicia examini ſuppoſuit, dogmaticam S. Agathonis epiſtolam ad incudem revocavit, nec niſi cum doctrina SS. Patrum, ac ſuperiorum Conciliorum diligenter antea collatam admiſit, ut conſtat ex act. 8, ex epiſtola Synodica ad Agathonem, & ex litteris Conſtantini Imperatoris ad Leonem II, in quibus ſic habet: *Quum ſuggeſtionem S. Papæ Agathonis ad poteſtatem noſtram ii ... obtuliſſent*, (Legati), *quam quum juſſiſſemus omnibus audientibus recitari, ſane nec adulteratæ fidei caracterem in ea perſpeximus. Perpenſis enim Evangelicis, & Apoſtolicis vocibus, comparatiſque cum ipſa iis, quæ a ſanctis, & univerſalibus Conciliis ſtatuta, ac definita ſunt: collatis præterea teſtimoniis, quæ afferebat, cum paternis libris, nihil non concinens inventum eſt.* Similia habet in litteris, quas idem Imperator ad Concilium Occidentale tranſmiſit. Cum hæreticis vero, ſubdunt Natalis, & Boſſuetius, eadem Synodus Honorium Papam damnavit, prælectis ejus ad Sergium epiſtolis. Porro, ſubinferunt, ſi Synodus Oecumenica ſupremum non eſſet tribunal, nec permiſſum illi fuiſſet cauſſam a Pontificibus actam reagere, nec in epiſtolam dogmaticam examen inſtituere, nec cenſuris in Pontificem animadvertere. Næ

Næ ii tenebras luci offundere ita ſatagunt. Nam reſpondeo 1. falſum eſt epiſtolam dogmaticam S. Agathonis, atque ſententiam a S. Martino I. latam examini fuiſse ſubjectas; ſiquidem, ut diximus, epiſtola S. Agathonis ad Imperatorem lecta act. 4. expreſſe jubebat, ut nihil de iis, quæ regulariter definita fuerant, minueretur, nihil mutaretur, vel augeretur, ſed eadem verbis, & ſenſibus illibata cuſtodirentur: ſubdens, Legatis imperaſſe id dumtaxat, ut traditionem Apoſtolicæ Sedis, ſicut a prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſimpliciter enarrarent. Sed & eiſdem in litteris ſe auctoritatem ſupremam a S. Petro habere, ac Sedem Apoſtolicam a via veritatis nunquam deflexiſſe aperte aſſerebat S. Agatho. In epiſtola vero ad eamdem Synodum VI. data, poſtquam ſimilia repetiviſſet, concludebat: *Quicumque ſacerdotum hæc, quæ in noſtra confeſſione continentur, nobiſcum ſincere prædicare deſiderant, ut noſtræ Apoſtolicæ fidei concordes . . . ſuſcipimus. Qui vero hæc confiteri noluerint, ut infeſtos Catholicæ, atque Apoſtolicæ confeſſioni perpetuæ condemnationis reos eſſe cenſemus.* Ita ne fatur, qui ſupremæ auctoritatis potis non eſt, vel prærogativa caret inerrantiæ? Poſtremo a Synodo ipſaVI. ſupremam Pontificis auctoritatem, infallibilitatiſque prærogativam agnitam fuiſſe, & aſſertam ex ejuſdem Synodi epiſtolis tum ad S. Agathonem, tum ad S.Leonem II, tum ex actis ejuſdem evicimus: *Litteras*, (Agathonem alloquuntur,) *a veſtra Beatitudine miſſas, ut a Summo Apoſtolorum vertice divine perſcriptas agnoſcimus &c. Velut*, (alloquuntur Leonem) *ipſum Principem Apoſtolici chori, primæque Cathedræ Antiſtitem Petrum contuiti ſumus mentium noſtrarum oculis totius diſpenſationis myſterium divinitus eloquentem . . . Nam ipſum totum Chriſtum nobis ſacræ* (Agathonis) *ejus litteræ diſſerendo exprimebant, quas omnes libentibus animis, ſincereque accepimus.* In Proſphonetico vero ad Imperatorem act. 18. repetunt ſe Agathonis litteris conſentire, atque ab Agathone hæreſim Monotheliticam confoſſam non modo ajunt, ſed progrediendo antecedentium hæreſum damnationem Pontificiæ, & Imperatoriæ tribuunt auctoritati. Ita Arii damnationem præcipue S. Silveſtro, & Conſtantino; Macedonii S. Damaſo, & Theodoſio; Neſtorii S. Cæ-

S. Cæleſtino; Eutychetis S. Leoni &c. Poſtremo ſuperius jam obſervavimus act.8. Epiſcopos conclamaſse ſe amplecti ſuggeſtionem directam ab Agathone, & alteram factam *a ſubjacente ei Concilio*: & act. 18. iterum dixiſſe ſe ſuſcipere ſuggeſtionem factam ab Agathone, & alteram Synodalem ſuggeſtionem miſsam a ſacro Concilio, *quod eſt ſub eodem Papa*.

Reſpondeo 2. quum ageremus de Concilio Chalcedonenſi, ac de epiſtola S. Leonis in eo ad examen revocata, liquido oſtendiſſe nos id examinis non eſſe juriſdictionis, ſed declarationis, ac exinde non licere inferri Concilium ſupra Pontificem eſſe, vel Pontificem haud eſſe infallibilem. Recolenda ibi dicta, ne crambem, ut ajunt, recoctam obtrudere videamur. Id unum adnectimus liquidum nempe, locupleſque de ea S. Nicolai I. teſtimonium, qui epiſt. 9. ad Michaelem Imp. hæc habet: *Epiſtola S. Leonis Papæ apud omnes Orientales Epiſcopos adeo extitit venerabilis, ut hanc columnam Ortodoxiæ vocarent, & omnes in ea, Præſule Conſtantinopolitano Anatolio præcedente, ſubſcriberent: ita ut Chalcedonenſis magna Synodus nihil definiiſſe, nihil reſpuiſse, nihil ſuſcepiſse, niſi quod vel illa, vel vices Apoſtolicæ Sedis ibi reſervantes definierunt, projecerunt, vel admiſerunt, penitus agnoſcatur*. Cæterum mirum eſt, quod Boſſuetius iſta objiciat, ut qui haud ignorabat a Patribus Concilii Toletani XIV. ipſam Synodum VI. examini fuiſſe ſuppoſitam. Nec valet ejus reſponſum Patribus illis nondum perſpectum, quo loco, an Oecumenicæ ſcilicet, Synodus VI. eſſet habenda: haud enim eos latebat eamdem a S. Leone II. confirmatam fuiſſe, ſiquidem ad Epiſcopos Hiſpaniarum ea de re litteras dederat: quæ quidem ſi Boſſuetio ſuſpectæ ſint; ignorare tamen nequibant Hiſpani Monothelitas damnatos a Conciliis Hieroſolymitano ſub Sophronio; Africanis Provinciarum Proconſularis, Numidiæ, Bizacenæ, & Mauritaniæ; Heedfeldenſi in Anglia; Romanis ſub Severino, Joanne IV, Theodoro, S. Martino I, & S. Agathone, a quibus præſertim duobus poſtremis Chriſtifideles undique admoniti fuerant de cavendis omnino Monothelitis, adeo ut Eccleſiæ univerſæ conſenſu damnati jam Monothelitæ dicendi eſſent. Jam vero fas ne fuiſſet Hiſpanis Eccleſiæ univerſæ judicium, ſive conſenſum ad incudem revocare?

Mi-

Mirum quoque iſta a Natali objici, ut qui Calviniſtas, & Lutheranos impudentiæ jure redarguit, & refellit hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. IX, & X. diſſert. 6. de imaginibus §. 8. ex Germanorum, & Gallicanorum Epiſcoporum geſtis contra VII. Synodum peſſime inferentes Tridentinam Synodum ad examen revocari poſſe. Scilicet Dalix Carentonius Miniſter *Diſsert. de Conciliorum quorumvis definitionibus ad examen revocandis*, Conciliorum generalium definitiones ad examen revocari poſſe contenderat ex libris Carolinis, & Synodis Francofordienſi, & Pariſienſi, a quibus VII. Synodus examini ſubjecta, & rejecta fuerat: ac propterea Calviniſtis, & Lutheranis Tridentinam Synodum ad examen revocandi, & rejiciendi integrum eſſe. Cui reſpondit Natalis, quod VII. Synodus a Patribus illis Conciliorum Francofordienſis, & Pariſienſis, tanquam œcumenica non fuerat habita, ut quæ ritu ſolemni confirmata nondum fuiſſet ab Hadriano; nec ad eam recipiendam Germani, Galli, Britanni, & Itali Epiſcopi a Pontificibus œconomia utentibus urgerentur: nam, teſte eodem Dalixio, eamdem VII. Synodum nondum ratam habuerant S. Nicolaus I. in epiſt. ad Adonem Vienn., & Synodus Romana ſub eodem anno 863. celebrata; nec Hadrianus II. in epiſt. 34. ad Carolum Calvum. Quamquam nos infra oſtendemus Synodum VII, ſeu Nicænam II. ab Hadriano I. confirmatam fuiſſe, uti conſtat ex ejus epiſtola Apologetica ad Carolum Magnum. At vero Tridentinum Concilium dubio procul œcumenicum fuit, atque a Romanis Pontificibus convocatum, & confirmatum. Ea enim ratione præcipue Tridentinum non poſſe ad incudem revocari docet Natalis, quod a Pontificibus fuerit probatum, cujuſmodi probationis ignorantia laborantes Patres Francofordienſes VII. Synodum examini ſubjecere, ac rejecere. Eccur itaque incoſtans in Pontificum ſententias inquirere Synodum œcumenicam poſſe, dogmaticumque inſtituere examen adfirmat? Mirari denique magnopere ſubeſt, quod Concilii præeminentiam ex damnatione Honorii concludere Natalem non puduerit: quandoquidem ob hæreſim Pontificem a Sede Apoſtolica delapſum, ut nonnulli docent, quum deſierit eſſe Eccleſiæ non modo caput, ſed imo membrum, potuit Synodus damnare, vel exciſum declarare. Sed de Honorio ſuo

loco, ubi non niſi ob hæreſi favorem impenſum a VI. Synodo peſſime exceptum fuiſſe: neque id factum abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu oſtendemus : conficique imo multis, nec contemnendis conjecturis id nunquam factum : confectumque a viris eruditis referemus. Interea confer Illuſtriſs. Archiepiſcop. Cæſarem Claudium Sommier hiſt. dogm. Pontif. lib. 8. cap. 12; erudit. P. Deſiderantium in obſervatis ad epiſt. Sergii, & Honorii apud eumdem Sommier, & Blanchinium tom. 4. Anaſtaſii ; Cl. Cavalcantem in Vindic. Honorii, & doctiſ. Berti de Theolog. diſcipl. tom. 5. lib. 26. cap. 11.

Ex Nicæno II, & Conſtantinopolitano IV.

§. IV.

Concilium Nicænum II, ſeu Generale VII. ſub Hadriano I. anno 787. ex Epiſcopis 350. congregatum, poteſtati ſupremæ Pontificum, atque infallibilitati non minus illuſtre teſtimonium dedit. Legem in eo tuliſſe Hadrianum, & fidei definitionem præſcripſiſſe, cui obſequi, ſeſeque coaptare univerſa Synodus officii, religioniſque loco habuerit, manifeſtiſſime adparet ex epiſtola Hadriani ad Conſtantin., & Irænem, qua jubet, ut imprimis pſeudo-Synodo Conſtantinopolitanæ ſub Leone Iſaurico, qua in ſacras Imagines conclamatum fuerat, anathema diceretur: *Imprimis*, inquit, *pſeudo-ſyllogum illud, quod ſine Apoſtolica Sede enormiter, & irrationabiliter, nequiterque contra SS. venerabilium Patrum traditionem de ſacris imaginibus actum eſt, anathematizetur præſentibus miſſis noſtris*. Eadem epiſtola Hadrianus poſtquam Sedis ſuæ privilegia verbis illis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* conſtabiliviſſet, ſedem Apoſtolicam a Chriſto D. ſuper univerſas Orbis Eccleſias conſtitutam aſſerit: *Cujus Sedes* (S. Petri), inquit, *in toto orbe terrarum primatu fungens, Caput omnium Dei Eccleſiarum conſtituta eſt, & quemadmodum B. Petrus Apoſtolus per Domini præceptum regens Eccleſiam, nihilominus ſubſequenter tenuit ſemper, & retinet Principatum*. A ſua Apoſtolica Sede Concilia confirmari ſubdit: *Quæ,* in-

inquiens, *unamquamque Synodum, & ſua auctoritate confirmat, & continua moderatione cuſtodit*. Epiſtola vero ad Tharaſium Patriarcham Conſtantinop., cujus electionem contra canones peractam (nam ex laico ſubito Epiſcopus factus fuerat) ſanat, & integram eſse jubet, id ab eo exigit, ut Sedis Apoſtolicæ Primatui aſsurgeret, fideique ab illa procuſas definitiones amplecteretur: *Cui*, inquit, *ſi adhærere cupit veſtra ſanctitas, & noſtræ Apoſtolicæ Sedis, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum Dei, ſacram, & orthodoxam formam incorrupte, atque incontaminate, ex profundo cordis, & ſinceritate mentis cuſtodire ſtudet, ut revera orthodoxa, & Dei cultrix exiſtens*. Lectis in Synodo act. 2. hiſce ad Conſtantinum, & Tharaſium Hadriani litteris Legati interrogarunt: *Dicat nobis, Sanctiſſimus Patriarcha Tharaſius, ſi conſentiat litteris Sanctiſſimi Papæ Senioris Romæ Hadriani, an non?* ad quæ Tharaſius reſpondit: *Quod quum Apoſtolus Paulus ad Rom. ſcribens dixerit, quod ipſorum fides annuntiata eſset in univerſo mundo, hoc teſtimonium ſequi neceſsarium ſit, inconſultoque agat, qui huic conatur reſiſtere*. Eadem petitione a Legatis Synodo facta, reſpondit Synodus: *Sequimur, ſuſcipimus, & admittimus*. Atque ita ſinguli Epiſcopi credere ſe, & confiteri ſubdiderunt quæcumque Hadrianus in ſuis litteris docuerat: imo Agapius Cæſareenſis, & Joannes Epiſcopus Tautominiæ ſubjunxere: *Quum veluti divinus Orthodoxiæ terminus ſint litteræ, quæ ab Hadriano Papa ſenioris Romæ ad piiſſimos Imperatores, nec non ad Tharaſium... miſsæ ſunt, ita profiteor ſuſcipiens ſacras Icones ſecundum antiquam traditionem Eccleſiæ Catholicæ*. Horum ſimilia ceteri habuerunt Epiſcopi. Audis Pontificis definitionem poſtremum vocari fidei terminum, quem proinde tranſgredi, a quove alterum poni nefas ſit! Act. 3. lectæ ſunt epiſtola Tharaſii ad Patriarchas Antiochenum, & Alexandrinum, eiſque ſubjectos Epiſcopos, quod ſub Saracenorum jugo gemerent, abſentes, atque eorumdem Patriarcharum epiſtolæ ad Tharaſium, quibus ſuam a Synodo abſentiam excuſabant, ajentes ex eorumdem abſentia nullum Concilio præjudicium inferri, eo quod Romanus Pontifex per Legatos, ſupplens præſentiam aliorum Patriarcharum, præſens adfuerit: *Sed nullum ex hoc ſanctæ adhæſit Synodo præ-*

præjudicium, *neque vires habuit prohibitio aliqua ſtatuendi*, *&* *manifeſta faciendi recta dogmata pietatis*, *præcipue quum Sanctiſſimus*, *&* *Apoſtolicus Papa Romanus concordaverit*, *&* *in ea inventus per apocryſarios ſuos ſit*. Quæ quid aliud præferunt, quam quod a Romano Pontifice potiſſima in Synodo virtus, ac vis dimanet, & diffluat?

Act. 4. prolata eſt in medium una cum ſententiis SS. Patrum epiſtola S. Gregorii III. ad S. Germanum Conſtantinop. Epiſcopum, qua legitimus Imaginum uſus approbabatur. Act. 5. Apoſtolicæ Sedis Legati nomine Hadriani Papæ decretum de cultu ſacris imaginibus impendendo ediderunt, cui una voce Concilium adclamavit, & adhæſit, verbis, votiſque ſignificans non auſcultari Pontifici abſque piaculo non poſſe. Denique etſi iſta Synodus can. 1. Apoſtolicos inter alios, nec non Trullanos canones confirmarit, eos tamen Romana Eccleſia nec admiſit, nec probavit, ut ait Anaſtaſius præfat. ad VII. Synodum Joanni VIII. dicata, ſicuti neque canonem 8. iſtiuſdem Synodi, quo ſtatuitur, Judæos, qui baptiſmo initiati non chriſtiane viverent, ſed clam Judaizarent, in Eccleſia recipiendos non eſſe, ſed impune dimittendos, neque eorum pueros baptizandos, aut ſervos acquirendos. Repugnat enim canon hic S. Gregorii M. doctrinæ lib. 1. epiſt. 45; lib. 3. epiſt. 26., lib. 4. epiſt. 6., & lib. 7. epiſt. 24. *Videtur mihi*, ſic ſcribit ad Cyprianum Diaconum, & Rectorem patrimonii Siciliæ epiſt. 6. lib. 4., *ut per omnes poſſeſſiones* (Eccleſiæ), *in quibus Hebræi eſſe noſcuntur*, *epiſtolas tranſmittere debeas*, *eis ex me ſpecialiter promittens*, *quod quicumque ad verum D. N. Jeſum Chriſtum ex eis converſus fuerit*, *onus poſſeſſionis ejus ex aliqua parte imminuetur* .... *Nec hoc inutiliter facimus*, *ſi pro levandis penſionum oneribus*, *eos ad Chriſti gratiam perducamus*, *quia etſi ipſi minus fideliter veniunt*, *ii tamen*, *qui de iis nati fuerint jam fidelius baptizantur*: *aut ipſos ergo*, *aut eorum filios lucramur*. Quid vero quod epiſt. 26. lib. 3. ad Januarium Calaritanum de Paganis Eccleſiæ prædia incolentibus ſic ſcribit: *Si ruſticus tantæ fuerit perfidiæ*, *&* *obſtinationis inventus*, *ut ad Dominum venire minime conſentiat*, *tanto penſionis pondere gravandus eſt*, *ut ipſa exactionis ſuæ pœna compellatur*

ad

ad rectitudinem feſtinare? Jubebat igitur modis omnibus infidelium converſionem in Sardinia procurari ab Epiſcopis. Liquet vero exinde Pontificum pleni juris eſſe Conciliorum etiam œcunicorum canones, quos recipere, & quos reſpuere. Sed de hoc argumento luculentius alio in loco.

Abſoluta VII. Synodo, non multo poſt ſub Leone Armeno dira excitata eſt adverſus illam, ſacraſque imagines perſecutio; & S. Nicephoro a ſede detruſo, in ejus locum Patriarcha Conſtantinopolitanus intruſus eſt Theodotus Melliſſenus, a quo ſtatim coacta pſeudo-Synodus eſt adverſus ſacras imagines. S. Theodorus Studites, qui ob SS. Imagines in exilium pulſus arctiſſimo carcere detinebatur, ad Synodum hancce hæreticorum dedit epiſtolam, quæ 1. eſt lib. 2, qua inter alia ſcribit: *Se & orthodoxos SS. Imagines adorare non ſolum ex S. Nicæna II. Synodo ... tutum eſse affirmare; ſed & ab ipſo met adventu Domini noſtri ac Dei tam ſcripto, quam ſine ſcripto fundati ſecure ſupra Sedem illam conſiſtimus*, inquit, *de qua Chriſtus ait: Tu es Petrus, &c.* Leone interfecto ſucceſſit Michael Balbus, illo nihilo ferme melior, qui omnes etiam Epiſcopos orthodoxos adeſse juſſit Conſtantinopoli, ut cum Iconomachis de ineunda concordia in quæſtione de Imaginibus deliberarent: at Epiſcopi ad ipſum egregiam illam dedere epiſtolam, quæ a S. Theodoro Studita ſcripta creditur, & inter illius epiſtolas extat 86. lib. 2, & apud Baronium, qua ſe cum hæreticis convenire non poſse conteſtati ſunt, & ſi quod dubium circa fidem emergeret, conſulendum eſse Romanum Pontificem: *Jam vero*, inquiunt, *ſermonem refellendi cauſsa cum Heterodoxis conferre Apoſtolico mandato repugnat ... quod ſi quod hujuſmodi, de quo ambigat, aut diffidat divina magnificentia veſtra pie a Patriarcha diſsolvi poſse; jubeat ... ad communem utilitatem a vetere Roma ſuſcipi declarationem, prout olim, & ab initio paterna traditione tranſmiſsus mos fuit: hæc enim ſuprema eſt Eccleſiarum Dei, in qua Petrus ſedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus, & ſuper &c.* Hiſce S. Theori dictis adjicienda putamus, quæ illis tempore erant anteponenda, dicta ſcilicet alterius Monachi Sancti Stephani Junioris, qui, ut refert in ejus vita Stephanus Diaconus Eccleſiæ Conſtantinopoli-

politanæ a Loppino publici juris facta, ad Epiſcopos in pſeudo-Synodo a Conſtantino Copronymo coacta congregatos, qui eum ab Sacrarum Imaginum cultu avertere volebant, reſpondit: *Qua nam ratione veſtram Synodum œcumenicam dicitis, quam neque approbavit Romanus Pontifex; quamquam canone præſcribitur, res Eccleſiaſticas abſque Papa Romæ conſtitui non debere, neque Alexandrinus, neque Antiochenus, neque Hieroſolymitanus &c.* Porro hæc erat illorum temporum de Romano Pontifice ſacratiſſima ſententia. Eſt-ne vero deſiderare expreſſius ad demonſtrandum Pontificem ſive ſuprema præfulgentem poteſtate, ſive in fide infallibilem?

Nihilominus Boſſuetius def. declarat. par.2. lib.12. cap. 30. etiam ex Synodo VII.ſive Nicæna II.ſe colligere autumat Concilii ſupra Pontificem auctoritatem: Hadriani pariter litteras examini ea in Synodo ſubjectas arbitratus, ex eo quod lectis Hadriani epiſtolis, quum Legati Tharaſium interrogaſſent: *Dicat nobis..... ſi conſentiat litteris Sanctiſſimi Papæ?* Tharaſius reſpondens eas admittere, hanc attulit rationem: *Nam & ipſi ſcrutando ſcripturas, ſyllogiſtice approbando rimati ſumus*. Scilicet Pontificiæ auctoritatis non æqui æſtimatores unum, aut alterum verbum avide arripiunt, ut ſtatim de Pontificia auctoritate actum eſſe pronuntient. At vero dilucide oſtendimus Hadrianum in litteris tum ad Imperatorem, tum ad Tharaſium Sedis Apoſtolicæ prærogativas planas feciſſe, tum in Pſeudo-Synodum anathemate animadvertendo; tum Sedem Apoſtolicam indefectibilem adſtruendo; tum a Synodo obedientiam exigendo. Hadriano autem ex officio obſequutam Synodum, ejuſdem litteras religioſe profeſſam eſſe ſe ſequi, amplecti, ſuſcipere, & admittere: inter alios autem ab Joanne Taurominiæ, & Agapio Cæſareenſi Epiſcopis litteras Hadriani nuncupatas *Orthodoxiæ terminum*. Litteras illas igitur, ſicut fidei regulas Synodus venerata eſt, & nihilominus, ut fides fieret illuſtrior, nullusque ignoraret ab Hadriani litteris catholicum dogma apertiſſime doceri, prolata ſunt SS. Patrum teſtimonia. Ita plane intelligendum fore eum locum Tharaſii aperte liquet ex eodem Tharaſio, qui eo ipſo loco aſſerit fidem Eccleſiæ Romanæ eſſe fidem Catholicæ Eccleſiæ, ac proinde ejuſdem teſti-

teſtimonium ſequi neceſſarium eſſe, & inconſulto agere, qui illi conatur reſiſtere. Recole dicta ſuperius.

Ea ferme ratione id actum eſt totum, (atque hoc inſuper habeat reſponſum Boſsuetius homo vel circa res confeſſas moras attexere aſſuetus, neſciuſque æqui, bonique facere, niſi quæ ullo inficias ire modo nequeat) id, inquam, ea ferme ratione actum eſt totum, qua Eugenius II. egit cum Ludovico Pio, qui, ut ſatisfaceret Græcorum Legatis ad ipſum miſſis, Pontificem fuerat deprecatus, ut ſuis Sacerdotibus fas eſſet ſententias de cultu Sacrarum Imaginum ſcrutari, quas ſententias poſtea ad Eugenium miſit, ſcilicet ejuſmodi ſententias ſive conquiri, ſive conferri indulgens: non tamen ut VII. Synodi, & Sedis Apoſtolicæ ſententia examini ſubjicerentur, uti ſatis conſtat ex epiſtolis Ludovici apud Baronium, & Sirmondum, in quibus inter alia: *Quia*, inquit, *nos a Pontifice petere voluimus licentiam, quatenus has collectiones a Sacerdotibus noſtris fieri permitteret, ideo non potuit prætermitti, quin oſtendatur, quod ex ipſius permiſſione collectum eſt*. Eadem quoque ratione S. Leo indulſit de Synodo Chalcedonenſi iterum agi, ſed ut ſcribit ad Leonem Auguſtum epiſt. 88., ita conceſſit, ut ſimpliciorum, & rudiorum infirmitati conſuleret: *De rebus*, ait, *apud Nicæam, & apud Chalcedonem definitis nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia, & infirma ſint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas. Inſtructioni autem parvulorum noſtrorum, qui poſt lactis alimoniam cibo deſiderant ſolidiori ſanari, miniſterii noſtri præſidium non negamus, ut ſicut ſimpliciores non ſpernimus, ita a rebellibus hæreticis abſtinemus*.

At inquiunt rurſus adverſarii, inter quos Boſsuetius loc. cit. cap. 31., quos exagitandos ſuſcipimus, ſi Hadriano paruerunt Græci, quid fieri potuit, ut eidem morem pariter gerere recuſarint Galliæ, & Germaniæ Epiſcopi in Synodo Francofordienſi ſub Carolo Magno coacti, qui acta VII. Synodi hujuſce ab Hadriano miſsa admittere detrectarunt, imo in VII. Synodi Patres peſſime animo affecti, & invecti acriter ſunt, niſi dicatur a Germanis, & Gallis eam Pontificis ſummam poteſtatem, atque inerrantiam nequaquam agnitam, aſsertamque fuiſse? Quibus repo-

repono 1., quod ſi ex Francofordienſi Synodo quidquam Pontifici aſſertis privilegiis extundere liceret adverſum, eadem, ac potiori ratione id eruere eſſet, quod Synodo œcumenicæ detractum voluerint Patres Francofordienſes: nam eo in Francofordienſi Concilio nihil de Hadriano, ſed de Nicœna II. tantummodo Synodo actum, in quam ab illis, atque in ſacras imagines conclamatum eſt. Repono 2. Francofordienſes Patres erraſſe tum in jure, tum in facto, (errareque perfacile eis fuerat præjudiciis, ac ſtudio partium abreptis, nam tum Carolus Magnus cum Orientis Imperatore, ob denegatam in connubium Iræнem ſimultates gerebat): in jure quidem, ut cenſent Mabillonius præfat. in 1. part. ſæculi IV. Benedictini, & Lupus diſſert. de ſeptima Synodo cap. 15., eo quod cultum Imaginibus per proſtrationes, oſcula, & incenſationes exhibitum temere proſcripſerint, ut colligitur ex can. 2., quo dicitur: *Omnimodis adorationem renuentes contempſerunt, atque damnarunt*; & ex libris Carolinis, Hincmaro, Adone, Anaſtaſio, & Concilio Pariſienſi ſub Ludovico Pio: quamvis Imagines in templis retinerent, & Cruci, Evangeliorum libris, & SS. Reliquiis cultum impenderent. Errore vero facti, ut cenſent Baronius, Bellarminus, & Perronius; tum quod putarint a VII. Synodo SS. Imaginibus delatum cultum latriæ: id vero ex eo facilius putarunt, quod in actis VII. Synodi confeſſio Conſtantini Cypri Epiſcopi, quæ act. 3. habetur, perverſe a græco in latinum verſa fuiſſet, ſic enim lib. 3. Carolino cap. 17. exprimebatur latine: *Suſcipio, & amplector honorabiliter Sanctas, & venerandas Imagines ſecundum ſervitium adorationis, quod Trinitati emitto*: quum tamen in textu Græco originali habeatur: *Adorationem vero, quæ ſit ſecundum latriam, ſoli Trinitati emitto*. Nec iccirco tamen hæreſis nota illis infligenda, quia Nicænam II. pro œcumenica non habebant, eo quod ad illam Occidentales non vocati fuiſſent, necdum illam Hadrianus publico judicio firmaſſet: tum quod putarent ab Hadriano Concilii Nicœni II. acta ad ipſos miſſa, ut ea ad examen revocarent; in illis vero Idololatriam innovari iis viſum eſſet.

Repono 3. quod Hadrianus receptis a Carolo Magno per Engilbertum tranſmiſſis libris Carolinis eidem Impertori reſcripſit

cripſit, quod potius Sedi Apoſtolicæ, quam libris illis errorum refertiſſimis adhærere teneretur: *Evangelium ſcientibus liquet*, inquit, *quod voce Dominica Sancto, & omnium Apoſtolorum principi Petro Claves Regni Cælorum, & totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt*. Et relatis verbis Chriſti Matth. 16, Joann. 21, & Lucæ 22, *Ecce*, ſubdit, *cura ei totius Eccleſiæ, & principatus committitur, & ipſe vices ſuas Vicariis ſuis Pontificibus relinquere dignoſcitur Eccleſiæ curam gerendi*. Deinde ad libros Carolinos gradum faciens reſpondit: *Non quemlibet, abſit, hominem defendentes, ſed olitanam traditionem Sanctæ, catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ tenentes, priſcam prædeceſſorum noſtrorum Pontificum ſequimur doctrinam, rectæ fidei traditionem modis omnibus vindicantes.... & idcirco.... in ea orthodoxa fide, quam ſuſcepimus, manentes, & olitanam traditionem amplectentes, prædeceſſorum noſtrorum Pontificum procul dubio veneramur, & tenemus pro Sacris Imaginibus Concilia, nullum quemlibet jam exinde contrarium ſermonem ſuſcipientes, neque rationem reddentes*. Alludit his verbis ad Synodos Romanas ſub SS. Gregorio II, & Gregorio III, in quibus Romani Pontificis auctoritate cauſſam SS. Imaginum finitam affirmat. Deinde ad Synodum Nicænam II. convertens ſermonem eam ſuo juſſu coactam ſubtexit, in ea nihil aliud peractum a Græcis, quam quod profeſſi ſunt eam, quam S. Gregorius, & ipſe præſcripſerant fidem: *Et ſicut*, inquit, *de Imaginibus S. Gregorii ſenſum, & noſtrum continebatur, ita & ipſi* [Græci] *in eadem Synodo definitionem confeſſi ſunt*:ac propterea ſe Synodum confirmaſse ait.

Repono 4., quod tametſi aliquanto adhuc tempore Galliarum Epiſcopi adverſus Nicænum II. Concilium animum geſſerint obfirmatum, eo quod Hadriani mens ipſis vel ſatis perſpecta non foret, vel mutaſſe ſententiam Hadrianus viſus fuiſſet; poſtmodum tamen auctoritate Romani Pontificis devicti, ſubacti, & preſſi eam Synodum ratam demum habuerunt. Quin imo illud animadverſione dignum omnino eſt, quod Synodus Francofordienſis,quæ ſe plenariam nuncupabat,poſtquam Elipandum Toletanum, & Felicem Urgelitanum Epiſcopos Neſtorii labe maculatos diris omnibus devoviſset, ſubdit tamen: *Reſervato per*

omnia juris privilegio ſummi Pontificis Hadriani primæ Sedis Beatiſſimi Papæ. Agnoſcebat ſcilicet Synodus etiam a Conciliis œcumenicis appellationem ad Romanum Pontificem valere. Addit Lupus loc. cit. tum temporis, ut habet Thegani chronicon, Galliarum Epiſcopos peſſime fuiſſe imperitos, ruſticos, inquietos, ſuperbos, & ſervili genere natos, unde nil mirum, quod contra Synodum VII, & Sedem Apoſtolicam adverſa ſteterint fronte, ſicut & poſtea contra Imperatorem ſuum Ludovicum Pium, & Pontificem Gregorium IV, qui proinde illos ſuperbiæ, adulationis, & perjurii graviter objurgavit, ut refert Natalis cap. 1. art. 5. hiſt. Eccleſ. ſæcul. IX. At ego illiberalis non eſsem, niſi illiberaliores illi erga Pontifices extitiſsent.

Concilium IV. Conſtantinopolitanum, vulgo Synodus VIII. nuncupatum anno 869. ſub Hadriano II. ex Epiſcopis 109. dumtaxat collectum (ceteris multam partem Photii partes conſectantibus, & vel petere veniam, ac pœnitentiæ ſubjici indigentibus, adeoque in conſeſsum non admiſſis) ſi quod aliud Pontificiæ poteſtatis argumenta præclara ſuppeditat. In eo quippe omnia nutu, & Imperio Romanæ Sedis actitata fuiſſe adeo compertum ait doctiſs. Tomaſſinus diſſert. 12. in Concil. Chalced., ut non niſi ad Pontificis Romani poteſtatem manifeſtandam coactum videri poſſit, videlicet, ut ſententia a S. Nicolao I, & Hadriano II, cujus auctoritate cauſsam tandem Photii finiri Baſilius Imperator deprecabatur, cum adverſus Photium, tum pro Ignatio vindicando lata executioni demandaretur. Enim vero, ut ab exordio rem repetamus, juxta veterem, olitanumque morem deceſsoribus ſuis ſacrum S. Nicolaus I, poſtquam acceptis S. Ignatii Conſtantinopolitani Epiſcopi litteris hac epigraphe inſcriptis: *Sanctiſſimo Domino noſtro, & Beatiſſimo Præſidi, cunctarum Sedium Patriarchæ, S. Petri Principis Apoſtolorum ſucceſsori œcumenico Papæ*, intellexiſset in pſeudo-Synodo Photiana nullam Apoſtolicorum ſuorum mandatorum habitam rationem fuiſse; epiſtolas ſuas ea in Synodo minime perlectas; ſed imo fœde interpolatas, Legatosque ſuos turpiſſime prævaricatos, Ignatii exauctorationi, & Photii intruſioni conſenſum præbuiſſe ſuum; Romæ anno 862, & 863. Synodis habitis Photianæ pſeudo-Synodi

acta

acta damnavit: Photium Sacerdotali honore, & nomine exuit: Gregorium Syracuſanum Photii ordinatorem, & dudum depoſitum a Benedicto III, gradu omni ita dejecit, ut ei ſpem omnem reſtitutionis etiam a Synodo obtinendæ amputaverit, in Legatos lapſos exauctorationis ſententiam tulit: Ignatium legitimum Patriarcham pronuntiavit: Epiſcopos, & Sacerdotes in odium Ignatii, vel loco motos, vel in exilium amandatos revocari juſſit, ſuiſque ſedibus reſtituit; datis litteris ad Michaelem Imperatorem, ad Photium, ad Patriarchas, & Epiſcopos Orientales hiſce de rebus ab ſe geſtis, decretiſque certiores fecit.

Pleraque, ac præclara de Apoſtolicæ Sedis auctoritate in epiſtola ad Photium præmittit Pontifex, quam quæ prætermittantur: *Quia*, inquit, *univerſitas credentium ab hac Sancta Romana Eccleſia, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei depoſcit, criminum ſolutionem, qui digni ſunt, & gratia Dei redempti, exorant, oportet nos, quibus commiſſa eſt, ſollicitos eſſe* &c. & infra. *Conſtat Sanctam Romanam Eccleſiam per B. Petrum Principem Apoſtolorum, qui Dominico ore Primatum Eccleſiarum ſuſcipere meruit, omnium Eccleſiarum Caput eſſe, & ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis utilitatibus, & Eccleſiaſticis inſtitutionibus, quas ſecundum canonicas, & Synodicas, Sanctorumque Patrum ſanctiones inviolabiliter, atque irrefragabiliter retinet, exquirere, ac ſectari. Et ideo conſequens eſt, ut quod ab hujus Sedis rectoribus plena auctoritate ſancitur ....firmius, atque inconcuſſe teneatur.* In epiſtola vero ad Patriarchas, Metropolitanos, & Epiſcopos ipſis prohibet, ne cum Photio, ceu Patriarcha communicent; ſed Patriarcham Ignatium agnoſcant: *Et ut vos*, inquit, *hujus Sedis* [Apoſtolicæ] *privilegium rite ſervantes . . . pari nobiſcum ſuper Venerabilis Ignatii Patriarchæ Sacerdotii recuperatione, & Photii pervaſoris expulſione eadem ſentiatis, Apoſtolica auctoritate vobis injungimus, atque jubemus*. In epiſtola vero ad Michaelem hæc inter alia loquitur: *Eccleſiæ Romanæ privilegia Chriſti ore in B. Petro firmata ..... a cuncta Eccleſia jugiter venerata nullatenus poſſunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari*. Et infra. *Quoniam quum ſecundum Canones ubi eſt major auctoritas judicium*

dicium inferiorum ſit deferendum, ad diſſolvendum ſcilicet, vel ad roborandum, patet profecto Sedis Apoſtolicæ, cujus auctoritate major non eſt, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus. Quod quidem Bonifacii II. epiſt. ad Ruffum Theſſalon., & Gelaſii in commonitorio ad Fauſtum Magiſtrum auctoritate confirmat mactus animo Pontifex. Porro hujuſmodi S. Nicolai litteræ act. 1. Synodi VIII. cum laude lectæ, & exceptæ ſunt. His acti in furorem Photius, & Michael Imperator; iſte quidem ad Pontificem Maximum litteras, legationeſque dedit contumeliarum, & conviciorum refertiſſimas; quibus invicta animi fortitudine reponens Pontifex juſſit, ut contumelioſam epiſtolam igni adjiceret, ſin autem ejus auctori dira cuncta, epiſtolæ vero ultorem ignem minatur: *Quatenus*, inquiens, *ex his diſcat pius, quod amet, & crudelis quod timeat.* Ille vero coacto ſemel, & iterum conciliabulo, audita nuſquam ſæculis temeritate, in Nicolaum excommunicationis, proh ſcelus! jaculum jecit; Romanam Eccleſiam, ejuſque ſacros mores litteris encyclicis momordit, & laceſſivit; conflatoque ſchiſmate ab ea Eccleſiæ Græcæ partem multam abſtraxit, de quo alio in loco.

His malis præſto fuit, occurritque Deus O. M. infeſtum Imperatorem e vivis eripiens; cujus in locum ſalutatus Baſilius nihil habuit antiquius, quam ut Pontificis ſententiam in Photium executioni demandaret, ipſumque e gradu deturbatum in Monaſterium detruderet; Ignatium vero ſuæ redderet Sedi: de quibus ab ſe præclare geſtis confeſtim certiorem fecit Nicolaum data epiſtola, quæ act. 3. Synodi VIII. inſerta eſt, quaque inter alia habebat: *Nos Photium gradu movimus... Ignatium vero injuria affectum, ut judicio veſtro variis in epiſtolis declaraſtis, quas, qui ante nos imperaverunt, ſupprimere conati ſunt, ſolio ſuo reſtituimus: ut reliquis vero rebus finis imponatur, atque ut hæc ipſa confirmentur, Sanctitati tuæ integrum reliquimus.* Dedit quoque ad S. Nicolaum recens reſtitutus Ignatius litteras, quæ extant eadem act. 3., quaſque ſic magnifice exorditur: *Ad artus humani corporis plagis, & vulneribus ſaucios curandos medendi ars*

ari magnam Medicorum copiam ſuppeditavit: in membris autem Chriſti Dei, ac Salvatoris omnium capitis, ac ſponſi Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, unum tantum, ac ſolum ſelectum, ac univerſaliſſimum Medicum, tuam nempe fraternam, paternamque Sanctitatem, ſupremum, & fortiſſimum Dei verbum conſtituit, quum Petro ſupremo, ſanctiſſimoque Apoſtolorum vertici dixit: Tu es Petrus &c. reliqua proſequemur infra act. 3. Addit in eadem epiſtola: *Divinitus evectus Imperator noſter .... tuæ Sanctitatis ſententiam, & decretum exequutus, utrumque* [me inquam, & Photium] *pro æquitate tractavit*. Putas ne vero Patres alteram, quam quæ preclariſſima cum Imperatori, tum S. Ignatio ſententia inſedebat, animo de Pontifice prætuliſſe, ſiquidem actis Synodi inſertam voluere, dictoque deinde ſuo comprobavere?

Inter hæc fatis functo S. Nicolao Pontifice Optimo Maximo redditæ ſunt ejus ſucceſſori Hadriano II. litteræ tum Baſilii, tum Ignatii, quibus acceptis deceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens Hadrianus, utque illis ſatisfaceret, juraque Eccleſiæ Romanæ, & Conſtantinopolitanæ ſuo ſtatueret loco, coacto an. 868. Romæ Concilio, cujus acta inſerta ſunt VIII. Synodi actioni 7., Photianæ pſeudo-Synodi acta penitus abolevit, igneque digna judicans diris execrationibus devovit; eademque pœna complexus eſt Photii acta quæcumque, & ſcripta contra S. Ignatium, quibus omnibus propudium dixit; Photium iterato, diroque anathemate perculit; gradu, & communione privavit, laicæ dumtaxat communionis ei facta venia, modo voce, & ſcripto juraret ſe omnia a Nicolao, & ab eodem Hadriano decreta ſubiturum, & dicti conciliabuli acta damnaturum. Sub eadem lege, ideſt ſi Nicolai, & ſuis decretis obtemperarent, ſi ad Ignatii communionem, ad communionem Romanæ Eccleſiæ recepti, redirent; ſi conciliabulo Photiano adjectam ſyngrapham revocarent, ejuſque acta igni delenda traderent, lapſis, ac Photii partibus olim addictis communionis veniam ſpopondit: ſin minus, anathemati ſubjecit. His bene, optimeque geſtis Legatos Conſtantinopolim, qua juſſionibus, & qua inſtructionibus communitos Synodo præfuturos direxit.

Ii itaque ſtatim initio Synodi act. 1. Pontificis ad Imperato-
rem

rem prolatis litteris ſubjunxerunt: *Præ manibus habemus epiſtolam, quam tranſmiſit Imperatori ſanctiſſimus Papa Hadrianus, qui etiam poteſtatem nobis dedit, ut ſecundum quod Beatiſſimus Papa Nicolaus diſpoſuit de ſancta Conſtantinopolitanorum Eccleſia, ita ordinemus, & moderemur, atque firmemus, ut nullus adverſus eam pugnare poſſit, & ut, quæ ipſe Sanctiſſimus Hadrianus edidit, confirmemus*. En Legatos Pontificis decreta executioni mandanda Synodo edicentes: non eadem Synodi judicio examinanda, atque vel recipienda, vel reſpuenda ſubjicientes! Poſt hæc eadem act. 1. Legati producto, quod a Romano Pontifice acceperant ad Synodum adferendum, atque a Synodo ſubſcribendum, fidei formulari, in quo Photii damnatio, & Ignatii reſtitutio præferebantur, poſtularunt, ut univerſi Patres hujus formularis apographum ipſi conſcriberent, ſubſignarent, & Legatis traderent, atque profiterentur ſe amplecti Synodos a Nicolao I, & Hadriano II in cauſſa Photii celebratas. Quod ſane adamuſſim peractum eſt. Inter alia vero eo in formulari hæc legebantur: *Quia non poteſt Domini noſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus &c. hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur eventibus, quia in Sede Apoſtolica immaculata eſt ſemper reſervata Religio, & Sancta celebrata doctrina*. Hoc formular exſcribentes Epiſcopi, poſtquam declaraſſent, ſe juxta Sedis Apoſtolicæ juſſionem Ignatium recipere, ſubdunt: *Quoniam ſicut prædiximus ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & obſervantes omnia ejus conſtituta, ſperamus, ut in una communione, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur, in qua eſt integra, & vera Chriſtianæ Religionis ſoliditas; promittentes etiam ſequeſtratos a communione Eccleſiæ Catholicæ, ideſt non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria. Hanc autem profeſſionem meam ego Epiſcopus N. N. manu mea ſcripſi, & tibi Sanctiſſimo . . . Summo Pontifici, & univerſali Papæ Hadriano per Legatos tuos NN. obtuli menſe . . . . die . . . Indictione . . .* En Patres VIII. Synodi profitentes ſe teneri juſſionibus Romani Pontificis: in Sede Apoſtolica integram cuſtodiri fidem: a Sede Apoſtolica ſegreges ſchiſmatis eſſe damnatos, & Romanum Pontificem eſſe univerſalem Papam!

Non diſſimulamus equidem in græcis hujuſce Concilii exemplaribus hanc fidei profeſſionem decurtatam admodum legi: at id fraude, doloque Græcorum poſteriorum factum pugnamus. Nam Photius in ſuo libello de Synodis hanc ſuppreſſit, & Nilus Rhodienſis ſchiſmaticus in ſuo pariter libello de Synodis hujus loco Photianam nomine VIII. ſubſtituit: in 7. act. nequiter etiam inſertum legitur nomen Honorii inter Hæreticos: ſcilicet act.7. lecta, & inſerta eſt tertia actio Concilii Romani ſub Hadriano II, in qua audacia Photii damnata, qui in Nicolaum I. anathema dicere auſus fuerat; additumque legitur eadem act. 3. *Legi quidem a Romano Pontifice judicatos Epiſcopos totius Orbis*, *non legi ab aliquo ipſum in judicium poſtulatum*. Porro poſt hæc verba in exemplaribus græcis act. 7. Synodi VIII. legitur ab Orientalibus damnatum Honorium poſt obitum ob hæreſim, quo in caſu licere inferiori ordinationi Superioris reſiſtere. At vero in græco exemplari Vaticanæ Bibliothecæ verba ad Honorium ſpectantia leguntur in margine, ei ſane aliena manu adjecta, atque dubio procul manu iniquiori poſtmodum act.7. intruſa. Ad hæc Anaſtaſius Bibliothecarius (qui Synodi hujus VIII. canones ad 27. recenſet, quum in græcis exemplaribus 14. dumtaxat habeantur) Anaſtaſius, inquam, qui tum temporis Ludovici II. Imperatoris Legati munere Conſtantinopoli fungebatur, quique ante reditum Legatorum S. Sedis hujus Concilii græcum exemplar Romam attulit, vertitque in latinum, quale habemus, narrat, poſtquam formularia ſubſcripta Legatis tradita fuiſſent, Græcorum pleroſque ſecreto Ignatium Patriarcham, & Baſilium Imperatorem adeuntes admonuiſſe ab ſe male actum, quod Eccleſiam Conſtantinopolitanam Romanæ tam ignave, quam infime ſubmiſiſſent, ita ut hanc illi tamquam dominæ ancillam tradiderint: Baſilium vero abſentibus e domo Legatis curaſse, ut formularium pars auferretur; verum querelis ad Baſilium a Legatis deportatis, ipſis formularia omnia reſtitui juſſiſse Baſilium: quæ recepta Anaſtaſio Legati conſignarunt, qui ea Romam aſportata Papæ extradidit. Ex verſione itaque Anaſtaſii formular laudatum dedimus, quod formular ceteroqui nihil differt ab illo, quod a Græcis, ipſorumque Imperatore tempore Hormiſdæ jam pridem

ſubſi-

ſubſignatum fuerat. Quare Petrus de Marca vir hacce in re minime ſuſpectus lib. 5. de Conc. Sacerd., & Imp. cap. 14. obſervat plena, & integra auctoritate uſos fuiſse Legatos Apoſtolicæ Sedis, quod non modo primum locum occuparint, interlocutionibus ſuis Synodi ordinem conſtituerint, & uniuſcujuſque ſententias fuerint ſciſcitati, ſed etiam quod Synodi Epiſcopos eo adegerint, ut iis omnino, quæ a S. Nicolao I., & Hadriano II. decreta fuerant adverſus Hæreticos, & Schiſmaticos, ſe obtemperaturos profiteri debuerint, libellumque eo modo ſubſcriptum Legatis tradere.

Act. 2. lecta eſt definitio a Legatis Patriarcharum Antiocheni, & Hieroſolymitani adfirmantium, quod ſi quidem acta Synodi Romanæ ſub Nicolao I, & litteras ejus ſucceſsoris Hadriani II. præ manibus haberent, alterius operæ pretium non eſset, præterquam quod Patres declararent, quoad contentiones in Eccleſia Conſtantinopolitana motas, obediendum fore Romano Pontifici: *Eſt igitur*, inquiunt, *a nobis editum, & ſancitum de negotiis, quæ nunc mota ſunt, ut omnimodis obſequantur, & obediant definitionibus, & decretis Beatiſſimi Papæ Nicolai omnes homines*. Quibus Sancta Synodus reſpondit: *Placet omnibus*. Eadem act. 2. quum plurimi Epiſcopi, qui a SS. Methodio, & Ignatio ordinati, lapſi deſciverant in partes Photii, juſſi eſsent ingredi, veniamque a Legatis poſtulaſsent, impetraſsentque, dixere: *Nos adoramus vos, & ſuſcipimus vos Judices, & judicium veſtrum tanquam ex perſona Filii Dei habemus*: deinde ſubſcripſere formulari directo ab Hadriano. Res tota agebatur auctoritate Legatorum, unde Nicetas in vita S. Ignatii: *Patriarchæ*, inquit, *Ignatio in Synodo non erat auctoritas agendi, quæ vellet: Romanis enim pro antiqua Eccleſiaſtica traditione judicandi poteſtatem permittebat*.

Act. 3. quum Theodulus Ancyranus, & Nicephorus Nicænus Metropolitæ formulari laudato ſubſcribere detrectaſsent, illud non eſse neceſsarium dicentes, a Synodo rejecti ſunt: quum vero Theodorus Cariæ Metropolita poſt formularis ſubſcriptionem deprehenſus fuiſset ex iis eſse, qui in Synodo Photiana anathemati in Nicolaum intorto ſubſcripſerant, ejus cauſsa Romano Pontifici reſervata eſt. Viden cauſsas, quæ Pontificem attingunt, ad Pontificem ipſum dirimendas a Concilio generali dimitti.

mitti. Eadem act. 3. lecta eſt epiſtola Ignatii ad S. Nicolaum, qua inter alia, poſtquam retuliſſet verba a Chriſto dicta Petro: *Tu es Petrus &c. Tales enim*, ſubjiciebat, *beatas voces*, *non ſecundum quamdam utique ſortem Apoſtolorum Principi ſolum circumſcripſit, & definivit, ſed per eum ad omnes, qui poſt illum ſecundum ipſum efficiendi erant ſummi Paſtores, & diviniſſimi, ſacrique Pontifices ſenioris Romæ, tranſmiſit: & ideo ab olim, & priſco tempore in exortis hæreſibus, & prævaricationibus eradicatores, & peremptores malorum zizaniorum, & tabefactorum, & penitus inſanabilium ægrotantium membrorum, multi multoties facti ſunt, eorum, qui ſanctitatem, & ſummam Paternitatem tuam illic præceſſerunt, ſucceſſores ſcilicet Principis Apoſtolorum, & illius zelum in fide, quæ ſecundum Chriſtum eſt imitantes, & nunc noſtris temporibus Beatitudo tua digne tractavit datam ſibi a Chriſto poteſtatem.* Lecta quoque epiſtola Hadriani ad S. Ignatium, Synodus eam epiſtolam canonice ſcriptam, & plenam juſtitiæ dixit, quam act. 3. Synodi inſeri juſſit. Quibus nihil luculentius ad oſtendenda ea, quibus de agimus, Romani Pontificis privilegia, Primatum ſcilicet, auctoritatem, & infallibilitatem, quæ omnia utraque in ea epiſtola mire elucentia Synodus perſpexit, & probavit.

Act. 4. quum introduci in Synodum Zachariam, & Theophilum Pſeudo-Epiſcopos a partibus Photii interrogandos, num Concilii decretis ſubdi vellent, Magiſtratus, ſeu Judices ex parte Imperatoris Concilio adſiſtentes petiiſſent, Pontificii Legati repugnarunt, Romani Pontificis ſententiam retractari non poſſe reponentes, nec rurſus audiendos illos fore, qui a Romano Pontifice damnati jam fuerant, annueruntque tantum, ut admitterentur ſententiam Nicolai, & Synodi decreta audituri: *Nobis*, inquiunt Legati, *non licet reſcindere judicium Sacrorum Romanorum Pontificum, hoc enim contrarium eſt canonicis inſtitutis.... verumtamen ut manifeſtiorem eis juſtam judicationem S. Romanæ Eccleſiæ faciamus, ingrediantur, ut exaudiant legi Synodicas definitiones, & judicia Beatiſſimi Papæ Nicolai*. Perhibuerunt Legati hos duos Pſeudo-Epiſcopos Romam a Photio miſſos duplicem libellum porrexiſse, unum fidei, ſacramenti

alterum, quo ſe Apoſtolicæ Sedis decreta jurabant impoſterum obſervaturos, antequam ad communionem laicam admitterentur: denique interrogarunt, num vellent formulari ſubſcribere, qui moras adnectentes, aut detrectantes jubentibus Legatis foras projecti ſunt. Eadem actione lectæ ſunt duæ epiſtolæ S. Nicolai I. ad Imperatorem, in quarum prima ſic fatur Pontifex: *Principatum divinæ poteſtatis, quem omnium conditor electis ſuis Apoſtolis largitus eſt, ſuper ſolidam fidem Principis Apoſtolorum, Petri videlicet ſoliditatem conſtituens, ejus egregiam in eo primam Sedem deliberavit; nam voce dominica ipſi dictum eſt: Tu es Petrus &c. Petrus denique a firmitate petræ, quæ Chriſtus eſt, ſtructuram univerſalis Eccleſiæ inconcuſsam, & fidei robore ſolidatam, ita precibus ſuis munire non ceſsat, ut errantium veſaniam rectæ fidei norma reformare feſtinet... quatenus hæreticorum impetus non prævaleant ejuſdem Eccleſiæ unitatem refringere*: & infra: *Ad ejus etenim* (traditionis) *ſicut ipſi ſcitis*, inquit, *integritatem obſervationis multoties conventus fuerit SS. Patrum, a quibus & deliberatum, & obſervatum extitit, qualiter abſque Romanæ Sedis, Romanique Pontificis conſenſu nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur*. En fidem Romanæ Sedis inconcuſsam! En ſupremum in Concilia Romani Pontificis judicium! In epiſtola vero 2. ita Nicolaus Imperatorem alloquitur: *Dum aliqua in Conſtantinopolitana Eccleſia ... inconvenientia provenerint, hanc ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam, caput omnium Eccleſiarum, Romanam ſcilicet Eccleſiam, quæ ſemper SS. Patrum ſinceriſſimas auctoritates in omnibus ſuis actibus ſequitur, conſulere decrevit, ut ejus conſultu, quæ Eccleſiaſticis conveniunt negotiis, agere curaverit; procul dubio, quæ agenda, aut ambigenda fuerint, irretractabiliter cuncta diſponere, ordinare, atque definire poterit*. En Pontificis judicia irreformabilia! In epiſtola autem ad Photium hæc inter alia habet: *Et quia univerſitas credentium ab hac ſancta Romana Eccleſia, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, doctrinam inquirit, integritatem fidei depoſcit... oportet nos, quibus commiſsa eſt, ſollicitos eſse &c.* En denique Pontificis judicia infallibilia!

Act. 6. quum relectis S. Nicolai litteris ad Michaelem, & Photium

tium Legati poſtulaſsent ab Imperatore, ut quæ contra Photium decreta fuerant a Summis Pontificibus Nicolao, & Hadriano, executioni demandarentur, tunc quidam Photii fautores contendere cœperunt Eccleſiæ Romanæ judicia non eſſe infallibilia, eo quod multi, quos illa abſolverat, poſtea damnati fuerint, & viceverſa ab ea damnati poſtmodum fuerint abſoluti; idque exemplis conarentur oſtendere: Metrophanes Smyrnæ Epiſcopus Synodi nomine reſpondit ea omnino falſa eſſe: *Verum*, inquit, *quod dixiſti multos Romanorum Eccleſia juſtificante damnatos, & rurſus damnante juſtificatos habemus, falſum eſt, & procul a veritate.* Videlicet Zacharias Chalcedonenſis Photianæ partis Epiſcopus Nicolai I, & Hadriani II. judicia elevare conatus, *Papæ Nicolai*, ſubtexuit, *& cæterorum Patriarcharum canon Princeps eſt, & ſecundum illum agentes nihil faciunt, extra id, quod docent: quum vero extra hunc faciunt ſive Papa Nicolaus, ſive alius quis, non acquieſcemus.* Propterea judicia Pontificum non fore irretractabilia, exemplis enixus eſt oſtendere, tum Marcelli Ancyrani, qui a Julio Pontifice, & a Synodo Sardicenſi tametſi abſolutus, etiam num anathemate uti hæreticus jacebat perculſus: tum Appiarii, qui a Romano Pontifice abſolutus, ab Africana Synodo tamen fuerat repulſus: tum Flaviani Antiocheni, qui Sedem retinuit, etſi a Romana Eccleſia non eſſet receptus. Rurſus Nicolaum I. ea ratione dicebat non potuiſſe Photium e gradu dejicere, quod e laicis ad Epiſcopalem Sedem evectus fuiſset, quum paria exempla legantur Tharaſii, Nicephori, Nectarii Conſtantinopoli, Thalaſſii Cæſareæ, Euſebii, & Ambroſii Mediolani electorum. Cetera non proſsequar, quæ huc non faciunt. At Zachariæ repoſuit laudatus Metrophanes Smyrnæ Metropolita, quod quamvis S. Nicolaus I. Judex ſupremus non fuiſset ratione Primatus, quia tamen ipſum Judicem elegerant, & ad ejus tribunal Photius cauſſam ſuam per Legatos, & litteras detulerat, non poſse ipſos Nicolai ſententiæ refragari, quum leges cum Eccleſiaſticæ, tum civiles a Judice delecto reſilire vetent. Ita nempe refractario omnem evadendi aditum intercludere volebat. Marcellum Ancyranum a S. Julio ideo receptum fuiſse, quia hæreſim, cujus in ſuſpicionem venerat, ejuraſset: ſed rurſus a Liberio, (potius dici a S. Damaſo de-

 buit)

bnit) fuiſse, ut hæreticum rejectum. In cauſſa Appiarii Synodum Africanam revera paruiſse Romani Pontificis decretis, quamvis ob ſcandalum eumdem ſacris in Eccleſia dumtaxat Siccenſi interdixerit. Flavianum tandem regnante Theodoſio (dicere magis debuerat Arcadio, ut docet Theodoretus lib. 8. cap. 23.) a Romana Eccleſia admiſsum fuiſse, ideſt a S. Innocentio I, ut refert S. Ambroſius epiſt. ad Theophilum. Laudatos denique Epiſcopos, etſi e laicis, canonice tamen electos fuiſse, & aſsumtos; non ita Photium. Mirum vero, quod hæc eadem recudere ad Sardicenſis Synodi de appellationibus ad Apoſtolicam Sedem auctoritatem elevandam Petrum de Marca, & Queſnellum non puduerit; qui proinde jure pro meritis vapulant a Clariſs. Lupo diſsert. de Synodo Sardic. cap. 6, & diſsert. 1. de appellat. Gallic. Eccleſ. cap. 32; de quibus nos alibi.

Act. 7. lecta eſt epiſtola S. Nicolai ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam, qua inter alia ſic loquitur: *Cunctarum Chriſti ovium cura conſtringimur, quum vices illius . . . geramus, cui ſpecialiter a Deo dicitur*: Paſce Oves meas, *& rurſus*: & Tu aliquando converſus confirma fratres tuos; *non potuimus diſſimulare, aut negligere, quo minus viſitaremus Oves diſperſas, & diſſipatas; vel quominus confirmaremus in fide, & bonis moribus fratres noſtros, & proximos*. Deinde poſtquam dixiſset oportere, ut Imperator facta in favorem Photii irrita juberet, ſubdit: *Alioquin ſtudiis, quibus poſſumus, inſiſtemus, ut inter exanimes computentur, qui in auctoritatem Petri non conſenſerint, imo Dei hanc ordinantis in Petro non intellexerint; ita ut nec iſta, quæ pernicioſe compilata ſunt*, (in Photii defenſionem) *defendere, nec his ſimilia, ut non dicam ſcripto tradere, vel in mente volvere quis ulterius audeat*. Intelligere hinc Janſeniſtas vellem tam veterem, quam veram in Eccleſia doctrinam eſse, quod Pontifici ex cathedra docenti nedum ſilentio obſequi, ſed etiam animo obedire, auſcultareque oportet. Eadem act. 7. recenſitum eſt Nicolai I. iteratum in Photium tyrannum, mœchum, & invaſorem judicium: relectæ litteræ Hadriani acta ſui deceſsoris Nicolai contra Photium confirmantes: lecta acta Synodi Romanæ ab eodem Hadriano Pontifice contra Photium celebratæ: lectum etiam commonitorium

torium a Legatis ad Photium, ejuſque partiarios directum, quo anathematis telum iterato in eumdem intorquendum ſignificabant, ſiquidem Sedis Apoſtolicæ judiciis tandem præfracte non pareret. Poſt quæ Photio, ejuſque partiariis iterato anathema irrogatum a Synodo, acclamatumque Hadriano, ceu interemptori novi Simonis, ac ceu percutienti novum mendacem Ananiam. Ex his autem efferre ne eſt Synodum ſupra Pontificem, aut Pontificem inferre in fide fallibilem!

Act. 8. intromiſſi Baſilius Hieroſolymitanus, & Leontius Alexandrinus Epiſcopi Photiani ſchiſmatis ſuſpecti, juſſi ſunt anathema dicere libellis contra Nicolaum Papam confictis, eorumque auctoribus. Moras nectentibus comminati ſunt Legati ſe illos una ſecum Romam adducturos ad judicium ibidem Apoſtolicæ Sedis ſubeundum: quibus auditis abſque cunctatione libellos illos diris omnibus devoverunt. Lectus deinde eſt jubentibus Legatis canon Synodi Romanæ ſub S. Martino I., quo anathemate perſtringuntur, qui falſos fingerent libellos, atque quæcumque ſcripta ſupponerent. Obligari, & obſtringi eo ſane canone Synodum œcumenicam exiſtimabant: non autem alia ratione, niſi quia Martini I. auctoritate, qua cuncti afficerentur, conditus in Synodo Romana canon fuiſſet. Præclara vero ſunt, quæ in eadem actione occaſione Chritini Iconomachiæ acerrimi defenſoris, nec a ſententia volentis ullo modo diſcedere, enuntiavit Bahanes Patricius: *Poſuit Deus*, inquiens, *Eccleſiam ſuam in quinque Patriarchiis, & definivit Evangeliis ſuis, ut nunquam aliquando penitus decidant, eo quod Capita Eccleſiæ ſint: etenim illud, quod dicitur: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, hoc denuntiat: quando duo ceciderint, currunt ad tria, quum tria ceciderint currunt ad duo; quum vero quatuor forte ceciderint,* (ut reapſe miſere ceciderunt) *unum, quod permanet in omnium Capite Chriſto Deo noſtro, revocat iterum reliquum Corpus Eccleſiæ*. O' utinam revocanti jamdudum Romanæ Eccleſiæ Capiti obtemperarent quatuor, quæ corruerunt capita Eccleſiæ Orientalis! Denique eadam act. 8. S. Nicolai I, & Hadriani II. ex ambone jubentibus Legatis recitata ſunt anathemata adverſus Photium, ejuſque fautores, atque iis additæ damnationes Synodi. Damnationi

tioni Photii Epiſcopos ſubſcribentes intinxiſse calamum in ſanguine Chriſti D.auctor eſt Nicetas in vita S.Ignatii. Simile exemplum refertur de Theodoro Papa diris devovente Pyrrhum præfractum Monothelitam.

Inter canones a Synodo editos can.2. S.Nicolaus, & Hadrianus vocantur *Organa Spiritus ſancti*, quibus obedientia omnis debeatur: *Beatiſſimum Papam Nicolaum*, inquiunt, *tamquam organum S. Spiritus habentes, nec non & Sanctiſſimum Hadrianum.... definimus, atque ſancimus etiam omnia, quæ ab eis ſynodice* (ideſt in Romanis Synodis) *per diverſa tempora expoſita ſunt, & promulgata ... ſervari ſemper, & cuſtodiri*: & can.21. Dioſcori, & Photii, qui in Romanos Pontifices in ſuis pſeudo-Synodis ſententiam vibrare auſi fuerant, temeritatem deteſtati, *Quiſquis*, inquiunt, *tanta jactantia, & audacia auſus fuerit, ut ſecundum Photium, vel Dioſcorum in ſcriptis, vel ſine ſcriptis injurias quaſdam contra Sedem Petri Apoſtolorum Principis moveat, æqualem, & eamdem, quam illi, condemnationem recipiat*. Deinde addunt: *Porro ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſancta Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas, & controverſia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & reſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices*. Pudere hinc illi diſcant, qui a Pontifice ad Synodos non modo,ac ſemper, ſed & aliquando velut ab abutente ſua auctoritate laicas poteſtates appellare fas eſſe docent. Hic canon 21 in collectione Anaſtaſii, eſt 13. in codicibus Græcis. Porro hanc Synodum VIII, ſeu Conſtantinopolitanam IV. œcumenicam eſſe indubium eſt, ut proinde jure optimo Julianum Cæſarinum S.R.E. Cardinalem Baronius errati coarguerit, ideo quod diſputans in Concilio Florentino adverſus Marcum Epheſinum, dum adhuc Ferrariæ concertationes cum Græcis agitabantur, ſeſſ. 6. inter œcumenicas ab Eccleſia receptas Synodos hanc octavam contra Photium non connumerandam exiſtimavit:non animadvertens impoſturas Photianæ pſeudo-Synodi hanc octavam abrogantis, putidiſſimeque mentientis a Joanne VIII. reprobatam fuiſſe, quum ta-

tamen Johannes id ſolum ſpe pacis conceſſerit, ut Photius vita functo S. Ignatio ſufficeretur. Ad hæc confer Anaſtaſii Bibliot. adnotationes in Synod. VIII. apud Harduinum tom. 5. pag. 939, & ſeqq.; nec non Pagium ad annum 869. num. 16, & ſeq.

Abſoluta Synodo inſcripta eſt epiſtola encyclica ad Epiſcopos, & univerſos Chriſtifideles, in qua recenſitis univerſim geſtis contra Photium a Nicolao I, Hadriano II, & a Synodo, dicitur inter alia: *Propter hæc ... anathematizavimus*, (Photium) *atque a tota Catholica, & Apoſtolica Eccleſia fecimus alienum per datam nobis poteſtatem in Spiritu ſanƈto a primo, & magno Pontifice noſtro, & liberatore, & ſalvatore cunƈtorum*: quibus poſtremis verbis mihi videtur deſignatus Hadrianus; declaratumque a Pontifice ceu a ſummo capite in Synodum ceu in corpus influxum dimanare. Dedit etiam Synodus ad Hadrianum II. epiſtolam Synodi confirmationem rogans his verbis: *Igitur libenter, oppido, & gratanter imitatrice Dei ſanƈtitate veſtra univerſalis hujus Synodi conſenſum, & conſonantiam recipiente, prædica eam magis, ac veluti propriam, & ſollicitus confirma Evangelicis præceptionibus, & admonitionibus veſtris, ut per ſapientiſſimum magiſterium veſtrum etiam aliis univerſis Eccleſiis perſonet, & ſuſcipiatur veritatis verbum, & juſtitiæ decretum*. Quibus præclare celebratus Pontifex eſt ceu ſacrorum canonum conditor, confirmator, cuſtos, executor, exactor. Quod confirmari probe majorum teſtimonio poſſet Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Euſebii, Athanaſii, Optati, Baſilii, Theodoreti, Hieronymi, Auguſtini, Proſperi, Turribii; a quibus frequens commemorata legimus decreta ubique vulgata a SS. Victore, Zephyrino, Cornelio, Stephano, Dionyſio, Melchiade, Silveſtro, Julio, Damaſo, Anaſtaſio, Innocentio, Zoſimo, Cæleſtino, Leone, de Quartadecimanis, Lapſis, Novatianis, Anabaptiſtis, Sabellianis, Donatiſtis, Macedonianis, Apollinariſtis, Origeniſtis, Pelagianis, Semipelagianis, Priſcillianiſtis; ſed de his alias. Scripſerunt etiam ad Pontificem Baſilius Auguſtus, & Ignatius Patriarcha enixe deprecantes, ut de Lectoribus plurimis ordinatis a Photio ſententiam diceret, an perpetuo eſſent abſcindendi a ſpe ſacerdotii, eiſque gratiam faceret ob Eccleſiæ, neceſſitatem:

roga-

rogarunt, ut cum Theodoro Cariæ Epiſcopo diſpenſaret, eique gradum reſtituere dignaretur, ut qui multa pro Ignatio fuiſset paſſus, nec niſi tormentis adactus ad Photium defeciſset: rogarunt pro Paulo Carthophylace, ut conceſſa ei venia ad Epiſcopi dignitatem poſſet promoveri. *Magnificum ſane pro Romani Pontificis Primatu*, ait hic Natalis Alex., *teſtimonium*, *quod Synodus œcumenica diſpenſationes a Summo Pontifice roget*, *eique non aliis Patriarchis poteſtatem a Chriſto concreditam agnoſcat temperandi ſeveritatem canonum*, *qui ab Eccleſia recepti ſunt univerſa*. Eamdem vero confirmavit, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate comprobavit Hadrianus, ut conſtat ex ejus epiſt. ad Baſilium Imperatorem, atque ex Anaſtaſ. bibliot. præfat. in acta VIII. Synodi, ut proinde jure, ac merito vapulet a mox laudato Natali Launojus id in dubitationem adducens.

Nihilominus poſthæc, & poſtquam Sedem Apoſtolicam laudibus celebraſſet ex canone 21, ſui veluti oblitus diſſert. 4. in hiſt. Eccleſ. Sæcul. XV, & XVI. n. 27. ex eodem canone detractum eidem Sedi Apoſtolicæ vult, nam canonem ita intorquet, ſiniſtreque interpretatur, ut eo imo ſtatutum velit poſſe a Concilio in Romanum Pontificem dici ſententiam, dummodo id *audacter* non fiat, ideſt ne facile, ne abſque diligenti examine, & matura deliberatione, uti fecere Photius, & Dioſcorus, fiat: *Alioquin enim*, inquit, *fruſtra quæſtio a Synodo haberetur in cauſſis ipſum ſpectantibus*, *quum omnis quæſtio ad judicium ordinetur*: *at quæſtiones hujuſmodi a Synodis haberi poſſe docet canon ille* 21. Boſſuetius vero par. 2. lib. 12. cap. 32. contendit litteras Hadriani a Concilio ad examen fuiſse revocatas, ſcilicet eamdem recoctam ſæpius crambem obtrudit. Conjicit vero ex verbis Legatorum act. 6. ad Baſilium Imp., quibus ajunt ſe miſſos, ut non amplius appellationi locus daretur, ab ipſis Synodi judicium agnitum fuiſſe, ut ſupremum, a quo non amplius reſilire liceret. Verumtamen vehementer errant, nec Synodi ſenſum aſſequuti ſunt. Natali ſane S. Nicolai I. duo Sedis ſuæ privilegia adſtruentis epiſtolas expendere, atque ad Hadriani Synodo ipſi jubentis verba attendere, fuiſſet ſatius: Nicolai quidem, qui epiſt. 8. ad Michaelem Imp., qua ſuperbiæ ipſum increpat: *Non dicatis*, in-

inquit, *non eguiſſe vos in cauſſa pietatis Romanæ Eccleſiæ, quæ collecta Concilia ſua auctoritate firmat ... unde quædam eorum, quia conſenſum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt* : quorum exempla ſuppeditat in pſeudo-Synodis Epheſina pro Photio, & Conſtantinopolitanis pro Iconomachis. Eadem vero epiſtola poſtquam Romam Ignatium, & Photium in jus advocaſſet ita pergit: *Quoniam quum ſecundum canones ubi eſt major auctoritas judicium inferiorum ſit deferendum, ad diſſolvendum ſcilicet, vel roborandum, patet profecto Sedis Apoſtolicæ, cujus auctoritate major non eſt, judicium a nemine fore retractandum: nec cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus.* Laudat ſubinde in eamdem rem Bonifacium in epiſt. ad Ruſum, & Gelaſium in epiſt. ad Anaſtaſium Imp., de quibus ſuperius. Præterea Baſilii Imp. perpendere epiſtolam ad S. Nicolaum act. 3. perlectam, qua narratis Eccleſiæ Conſtantipolitanæ incommodis, *De quibus*, inquit, *decretum, & judicium paternam ſanctitatem veſtram præſcribentes popoſcimus, & nunc expetimus. Ita Pater ſpiritalis ... accelera pro Eccleſiæ noſtræ correctione, & conflictu .... multam nobis congeriem bonorum donare, ideſt ... Eccleſiam in Chriſto unam, & Ovile uni obſecundans Paſtori.* Immo S. Ignatii Patriarchæ epiſtolam ad eumdem Pontificem, qua ut ſuperius referebamus, Romanum Pontificem S. Petri ſucceſſorem, unum Eccleſiæ ſingularem, & ſummum Medicum, & ſupremum Principem, & Paſtorem, hæreſum eradicatorem &c. nuncupat.

Hadriani II. deinde perpendere Natalis debuiſset epiſtolas, quibus ad Ignatium ſcribens ei agenda ſumma auctoritate præſcribit: *Ergo*, inquiens, *fraternitas tua curet neceſſe eſt, ut ſententiarum capitula, quæ ſynodice in Eccleſia Dei* (ſcilicet in Synodis ſub Nicolao I, & ipſo Hadriano) *ubi S. corpus Apoſtolorum Principis Petri requieſcit, pro abolendis profanis Conciliis Conſtantinopoli a Photio* (tam adverſus Ignatium, quam adverſus Nicolaum I.) *congregatis communi conſonantia promulgavimus, apud vos in Synodo cunctorum ſubſcriptione roborentur.* Qui rurſus ſcribens ad Baſilium Imp., quæ act. 1. recitata eſt epiſtola: *Intel-*

lexiſti, ait, *quibus vulneribus ſauciata manebat Eccleſia*, [Conſtantinopolitana], *& quod hæc Sedes hujuſcemodi mederi poſſit vulneribus, magiſtris fidei noſtræ ſcrutatis liquido didiciſti? atque ideo hæc curare cupiens Apoſtolicæ Sedis decreti remedium ſanctiſſime requiſiſti*. Deinde poſt pauca ſubdit: *Volumus ergo . . . illic numeroſum celebrari Concilium, cui noſtri quoque miſſi præſidentes, & culparum, perſonarumque differentias liquido cognoſcentes, juxta quod in mandatis acceperunt, ſingulorum libere diſcretiones exerceant*: Et revera rerum omnium geſtarum in Synodo ſummam apud Legatos Hadriani Pontificis ipſo jubente ſtetiſſe liquido, ac luculenter ſuperius oſtenſum eſt. Quibus adnectenda ſecunda ejuſdem Pontificis ad Synodi Patres allocutio lecta act. 7. a Petro Diacono, qua improbata Photii impudentia, qua in Romanum Pontificem judicium inſtituere auſus fuerat, ſubditur: *Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum; ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus* [Synodo VI.] *majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus libere reſpuendi: quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum Antiſtitum cuipiam de eo in quemlibet fas fuerit proferendi ſententiam, niſi ejuſdem primæ Sedis Pontificis præceſſiſſet auctoritas*. Quam in rem adducit ſubinde exemplum Synodi in cauſſa S. Symmachi. Quibus poſtremis verbis funditus everſum jacet argumentum, quo ex damnatione Honorii Concilii auctoritatem ſupra Pontifices evehere perperam conatus eſt Natalis.

Ergo genuinus canonis 21. is ſenſus eſt: in poteſtate equidem Synodi eſſe poſitum de controverſia exorta circa Romanum Pontificem reverentia, qua decet, ac par ſit, interrogando ſciſcitari, non judicando eamdem ſolvere; reſponſum accipiendo proficere, non antevertendo in ſententiam audacter proſilire: de eo enim judicare audaciæ ſummæ crimen eſt, apud quem omnes in judicio experiri oportet, ipſe vero nullius obnoxius judicio omnino eſt: non vero ſenſus ille, quem pro ſua præconcepta opinione Natalis appingit. Nihilo etiam melius

Boſ-

Boſsuetius illorum ſenſum aſsequutus eſt, quæ Legati act. *6*. Baſilio expoſuerunt. Neque enim ſignificarunt a judicio Synodi intercludendam fore appellationem ad Pontificem, imo ex adverſo prolato judicio Pontificis non amplius ſupereſſe locum appellationi: Nam inquiunt: *Novit S. Synodus, quia S. Romana Eccleſia anathematizavit, & projecit Photium pervaſorem, una cum omnibus ſequacibus ejus* (ſcilicet Nicolaus, & Hadrianus, ut referunt ibidem Legati) *noſque indignos famulos ſuos direxit... ad manifeſtationem, & certitudinem veri, & juſti judicii ipſorum, in conſpectu juſti Imperii veſtri, & hujus ſanctæ univerſalis Synodi, ita ut non habeant vocem repedationis, vel appellationis, ſed quemadmodum jam judicati ſunt, & dejecti in ſæculum maneant*. Næ his auditis, qui adhuc a Pontifice ad Concilium provocandi locum eſſe pugnaret, magno in errore verſatur! Sed jam tempus urget, ut ad Latinorum Concilia gradum faciamus, e ſententia Occidentalis Eccleſiæ oſtenſuri Propoſitionis aſſertæ veritatem undequaque. Cæterum illud obiter monendum hic cenſemus pleraque ad hæc loca pertinentia a nobis exagitanda fore parte 2. Vindic., quo loci ex Pontificum Romanorum factis, & dictis ipſis jus ſuum vindicandum ſuſcipiemus.

Ex Oecumenicis Eccleſiæ Occidentalis Conciliis

ARTICULUS III.

De Poteſtate, varioque Poteſtatis uſu Romano Pontifici in celebratione Conciliorum frequenti, & qua Primati, & qua Patriarchae.

PROLEGOMENON.

QUia plurimorum ex Proteſtantium grege, quinimo ex noſtræ communionis hominibus eo collineant ſtudia, ut Romano Pontifici, ea, quæ poſſunt, aut Primatis, aut Patriarchæ jura adimant, aut diminuant, ideoque ſuſdeque omnia vertunt, & turbant, ac maxime diſciplinæ Eccleſiaſticæ in cele-

brandis Conciliis olim uſu frequentatam ſacram rationem nebulis obducere conantur; ſiquidem unum ſit ex Eccleſiaſticis capitibus, quod utrumque Romani Pontificis jus, & qua Primatis, & qua Patriarchæ omnium oculis veluti ſubjicit, atque iccirco vetera, eaque varia Conciliorum monumenta vel pernegare peſſimo auſu, vel pravis interpretationibus pervertere non deſinunt, Beveregius, Salmaſius, Baſnagius, Wanefpenius, Juſtellus, Launojus, Queſnellus, Dupinus, Duguet, aliique hujuſce generis homines felle pleni, a quibus in errorem frequens, etſi præter voluntatem pleroſque incautos, alioquin erga Pontifices Maximos haud prave affectos, pertractos dolemus, operæ pretium eſt, ut Pontificum Romanorum jura ſuo loco conſtabiliantur, hocce Eccleſiaſticæ diſciplinæ excellens caput in bono lumine collocare.

Ergo etſi olim Patriarchæ, & Archiepiſcopi nomen non audiret, res tamen eo nomine importata obtinebat, non ſecus atque ab initio obtinuit Primatus Pontificii ſive res, ſive etiam nomen. Itaque juxta diverſum id rei, & nominis, diverſum eſt diſtinguendum Conciliorum genus, quorum alia generalia, alia Patriarchalia, alia Nationalia, Provincialia quædam, quædam Diœceſana, ſequiori nomine dicta a cujuslibet Epiſcopatus diſtrictu; non veteri, quo jure tum civili, tum Eccleſiaſtico plures Provinciæ, ſi civiles ſub uno Prætorio præfecto, ſi eccleſiaſticæ ſub uno Primate comprehendebantur; ideoque Concilia, quæ ex Provinciis eo modo acceptis cogebantur, Nationalia, Regionaria, Plenaria audiebant, de quibus accipi debent L. 23. Cod. Theodoſ. de Epiſcopis; de Concilio totius Africæ S. Auguſtinus lib. 2. de baptiſm. contra Donat. cap. 3., & de Concilio totius Italiæ Joannes VIII. epiſt. 56., adeundique Scheleſtratius in append. tom. 2. antiq. illuſtr., & Petrus de Marca lib. 6. de concord. cap. 16. Agimus hic de diverſo jure dumtaxat, ac generatim convocandi, ac celebrandi ejus generis Concilia. Jus igitur generalia cogendi, ac celebrandi unum penes Romanum Pontificem, ut Eccleſiæ Primatem reſedit jugiter, ac reſidet: jus convocandi Patriarchalia, ſive quaſi Patriarchalia integrum, unumque erat Patriarcharum, aut Primatuum, quibus ad Concilia vocantibus

Metro-

Metropolitas, & Epiſcopos obtemperare oportebat can. 17 Synodi VIII., quo jure plene uſi, ac potiti ſive Alexandriam, ſive Antiochiam ad Concilia ex Diœceſibus ſuis Epiſcopos advocaſſe Patriarchæ ſive Alexandrinus, ſive Antiochenus frequens leguntur. Ad hæc proxime accedebant Nationalia, ſive Regionaria, cujuſmodi Carthagine ex Africa univerſa ab ejus Primatibus Agrippino, Cypriano, Grato, Genetlio, & Aurelio congregata olim ſunt. Provincialia a Metropolitis ex provincia can. 20. Concilii Antiocheni an. 341., & cap. *Propter Eccleſias* diſt. 18., quæ bis in anno primum cogi oportebat can. 5. Nicæno; cit. 20. Antiocheno, & S. Leone epiſt. 4., nunc 16. ad Epiſcop. Siciliæ: poſtea in anno ſemel can. 8. Trullano; & can. 6. Nicæni II.: poſtremo ſingulis trienniis ſaltem Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform., eiſque intereſſe Epiſcopos gravi impedimento non detentos canonibus *Si quis autem*; *Si quis Epiſcopus*, & *Si quis Epiſcoporum* præcit. diſtinct. 18. præſcriptum eſt. Diœceſana denique ab Epiſcopis ex Diœceſi ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. citato, de quibus impræſentiarum nihil præſtat dicere.

Jam vero inquirendum de jure Pontificis in indictione, ac celebratione Conciliorum: iſtud vero inſpici poteſt bifariam, vel qua Primatis, vel qua Patriarchæ munus, perſonamque Romanus Pontifex gerit. Itaque 1. Qua Primati jus eſt illi nedum convocandi, celebrandique generalia Concilia, quod ipſi quidem ſoli integrum eſt, ſed etiam jubendi, ut congregentur ubilibet Concilia ſive Patriarchalia, ſive Natianalia, ſive Provincialia, ſive Diœceſana, aut jubendi ut congregatis ab ſe adſint ex Oriente vel Patriarchæ, vel Metropolitæ, vel Epiſcopi. 2. Qua Patriarchæ jus eſt illi Concilia ſive Patriarchalia, ſive Provincialia accitis ex Occidente Epiſcopis, convocandi, celebrandique aut per ſe, aut per alios, quibus provinciam impoſuerit iſtam. Quæ modo breviter prænotata, jam brevi calamo ſunt perſtringenda. Quod igitur ad primum, jus ſcilicet Primatus Pontificii attinet, penes unum Pontificem integrum eſſe jus convocandi generalia Concilia, iis per ſe, vel per Legatos præſidendi, ab iiſdemque geſta calculo ſuo comprobandi part. 2. demonſtrandum dimittimus: at in poteſtate item Pontificis eſſe, eſſeque veluti Primatus ſui in Eccleſia

appen-

appendicem convocandi, aut jubendi, ut convocentur Concilia in Oriente Patriarchalia, aut Nationalia, aut Provincialia, aut Diœceſana, ſive jubendi, ut ab ſe congregatis interſint ex Oriente qua Patriarchæ, qua Metropolitæ, qua Epiſcopi, innumeris cum teſtimoniis, tum exemplis fit evidentiſſimum. Teſtimoniis quidem, quibus Pontifici Romano poteſtas adſeritur, vel Concilia ubique gentium indicendi, ad exagitandas cujuslibet generis Eccleſiarum omnium cauſſas: vel a Conciliis jam exagitatas ad ſuum tribunal tamquam ſupremum exagitandas iterum trahendi: vel Conciliis leges præſcribendi, quas ex officio ſequantur: vel a Concilio latis detrahendi, ſi quando a definitis ab eo deflexerint; teſtimoniis, inquam, S. Julii I. in epiſt. ad Oriental. apud S. Athaſium apolog. 2.; Concilii Italici Epiſcoporum 93. in Synodica ad Epiſcopos Orientales in collect. Holſtenii; S. Damaſi in Synodica epiſtola ad Paulinum, ſive potius ad Acholium Theſſalonicenſem apud Theodor. lib. 5. cap. 10.; Synodi Antiochenæ anno 378. ex Epiſcopis 153. apud Holſtenium in collect. Rom part. 1; Concilii Italici in epiſtola Synodica ad Epiſcopos Concilii I. Conſtantinopolitani; Euſebii lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 29; Concilii Aquilejenſis in epiſtola Synodica ad Gratianum, Valentinianum, & Theodoſium Imperatores, inter epiſtolas S. Ambroſii; S. Athanaſii apolog. 2.; S. Ambroſii, Epiſcoporumque Italiæ in epiſtola Synodica ad Theodoſium Imperatorem, & S. Ambroſii in epiſtola ad Theophilum, quæ ab Holſtenio Siricio tribuitur; S. Innocentii I. in epiſt. ad Epiſcopos Macedoniæ, & epiſt. ad Theophilum Alexandrinum apud Coutantium tom. 1.; S. Chryſoſtomi in epiſt. ad Innocentium apud Palladium in dialogo; S. Baſilii in epiſt. 52. ad S. Athanaſium, & 74. ad S. Damaſum; S. Gregorii Nazianzeni de laud. S. Baſilii, & in Monodia, ubi auctor eſt Liberii vice ab S. Euſebio Vercellenſi, & Lucifero Calaritano Orientis Eccleſias viſitatas; S. Hilarii in fragm. eodem munere per Orientem defuncti; S. Cæleſtini in epiſt. ad S. Cyrillum; Concilii Alexandrini in Synodica ad Neſtorium; Joannis Antiocheni in epiſt. ad S. Sixtum III.; S. Leonis Magni in epiſt. 22., 24., 27., & 28.; S. Flaviani in epiſt. Synod. ad S. Leonem; Anatolii apud Surium in actis S. Abundii Epiſcopi Comenſis die 3. Aprilis; necnon

in

in actis Synodi Conſtantinopolitanæ ſub eodem Anatolio apud Labbeum tom. 4.; Gennadii Conſtantinopolitani in Synod. 81. Epiſcoporum ad Romanum Pontificem apud Lambeccium tom. 8. biblioth. Cæſareæ Vindob.; S. Simplicii in epiſt. ad Acacium; Acacii Conſtantinopolitani Epiſcopi in epiſt. ad S. Simplicium apud Labbeum tom. 5.; S. Felicis III. in ſupplemento Acaciano apud Maffejum; Concilii Romani ſub Felice III. in epiſtola Synodica ad Clericos, & Monachos Orientales apud Labbeum loco præcitato; S. Gelaſii in epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ; Cleri Alexandrini in libello tradito Apocriſariis S. Anaſtaſii II. apud Harduinum tom. 2.; Joannis Conſtantinopolitani in libello fidei ad S. Hormiſdam; S. Hormiſdæ in epiſt. 6. ad Epiphanium Conſtantinopolitanum; Synodi Epiri veteris in epiſt. ad S. Hormiſdam; Monachorum ſecundæ Syriæ in epiſt. ad Hormiſdam; Stephani Lariſſenſis in libello oblato Bonifacio II.; Synodi Romanæ anno 531. ſub Bonifacio II. apud Holſtenium in collect. Rom.; Mennæ Coſtantinopolitani Epiſcopi in Synodo adverſus Acephalos, & in epiſtola Synodica ad S. Agapetum I.; Monachorum Orientalium in Synodica ad eumdem Pontificem; S. Agapeti in epiſt. ad Petrum Hieroſolimitanum; Synodi Hieroſolimitanæ ſub eodem Petro apud Harduinum tom. 2.; Vigilii Papæ in Conſtituto; Synodi Mopſveſtenæ adverſus Theodorum Mopſveſtenum in Concilio Conſtantinopolitano II. collat. 5.; Cleri Italici in epiſt. ad Legatos Francorum; S. Gregorii in epiſt. ad Secundinum; S. Eulogii Alexandrini in Synodica ad S. Gregorium apud Photium cod. 230.; Theodori Papæ in epiſt. ad Paulum Conſtantinopolitanum apud Sirmondum; Colombi, Stephani, & Reparati Africanorum Epiſcoporum in Synodica ad Theodorum Papam; Victoris Carthaginenſis in Synodica ad eumdem; S. Martini I. in epiſt. Synod. ad Conſtant. Imperat., epiſt. 5. ad Joannem Philadelphiæ Epiſcopum, epiſt. 11. ad Eccleſias Antioch., & Hieroſol.; Stephani Dorenſis in Concil. Lateran. ſub S. Martino ſecret. 2.; S. Agathonis in Synodica ad Epiſcopos Orientales; S. Gregorii II. in epiſt. ad S. Germanum Conſtantinopolitanum; Hadriani I. in epiſt. ad Tharaſium; Tharaſii in epiſt. Synodica ad eumdem; S. Nicephori Conſtantinopolitani in Synodica ad Leonem

nem III. apud Baronium ad annum 811., & Henſchenium ad diem 13. Martii; S. Theodori Studitæ in epiſt. ad S. Paſchalem I.; S. Ignatii Conſtantinopolitani in epiſt. ad Hadrianum II.; quorum ſententiæ integræ ſuo loco dabuntur. Mitto cætera, ne præter modum prolixior ſim.

Exemplis quoque, quorum ut quædam perſequamur, S. Anicetus Romanæ Synodo in cauſſa Paſchatis adeſſe S. Polycarpum voluit, ſi fides adhibenda auctori Synodici apud Pagium. S. Victor Theophilo Cæſareenſi, ut Concilium ex diverſis provinciis congregaret adverſus Quartadecimanos auctor fuit, cujus fragmentum refert V. Beda lib. de Æquinoctio verno. S. Dionyſius Romæ Synodum habuit in cauſſa S. Dionyſii Alexandrini de Sabelliana hæreſi ad eum delati: Synodo interfuere ex Pentapoli accuſatores, accuſatus vero apologia miſsa fidem omnino liberavit ſuam, teſte S. Athanaſio lib. de Synod., & epiſt. de ſententia S. Dionyſii, & S. Baſilio lib. de Spiritu Sancto. S. Silveſtri, cujus vice defungebatur, auctoritate Oſius Cordubenſis adverſus Arium Concilium Alexandriæ celebravit. Concilio Romæ ex Epiſcopis 50. collecto a S. Julio in cauſsa S. Athanaſii ex Oriente adfuere S. Athanaſius, Marcellus Ancyranus, Aſclepas Gazenſis, & adeſse Euſebiani juſſi leguntur in epiſtola Julii ad Orient. apud S. Athanaſium apolog. 2. Alteri Synodo Romæ ab eodem S. Julio coactæ interfuere Valens, & Urſacius, oblatoque libello veniam rogaverunt,ut refert S. Hilarius in fragm. S.Liberii nomine Alexandriæ Concilium anno 362. ejuſdem Legati S. Euſebius, & Lucifer Calaritanus celebrarunt, in eoque adverſus Arianos, & Semiarianos vox *Omouſion* conſtabilita eſt: ab Ariana hæreſi reſipiſcentes, modo auctores non eſſent, venia donati, ac loco reſtituti ſunt. Confer S. Athanaſium epiſt. ad Ruffinianum act. 1. Concili Nicæni II.; S. Gregorium Nazianzenum de laudibus S. Baſilii, & in Monodia; Ruffinum hiſt. Eccleſ. lib.1. cap. 27., & Socratem lib. 3. cap. 7. Eidem Liberio in Romana Synodo Euſtathius Sebaſtenus, Silvanus Tarſenſis, & Theophilus Caſtabalitanus, ut eſt apud Socratem lib. 4. cap. 12., ſe ſiſtentes fidei profeſſione emiſſa probati ſunt. Synodo Romanæ ſub S. Damaſo adverſus Apollinarem interfuit S. Petrus Alexandrinus.

Ad

Ad Romanam alteram ut advenirent Orientales juſſi ſunt: adfuere vero SS. Paulinus Antiochenus, Epiphanius Salaminenſis, & Acholius Theſſalonicenſis, ut perhibet S. Hieronymus epiſt. 27. ad Euſtochium. Antiochenum an. 378. ex Epiſcopis 157. ejuſdem juſſu coactum eſt, in eoque formulæ fidei adverſus Arianos, Macedonianos, Apollinariſtas decretæ, ad eoſque directæ ſyngrapha appoſita, ut ſupra dictum eſt. S. Cyrillo, ut Concilio Alexandriæ coacto Neſtorium damnaret, auctor fuit S. Cæleſtinus, ut liquet ex epiſt. Synod. ad Neſtorium; & ad Clerum, populum, Monachoſque Conſtantinopolitanos. Ut Conſtantinopoli adverſus Eutychem Concilium cogeret S. Flaviano in mandatis dedit S. Leo M., & alteri Conſtantinopoli congregato Legatos ſuos adeſſe juſſit, quibus coram Anatolius fidei ſuæ rationem una cum aliis Epiſcopis redderet. Videſis acta Concilii apud Labbeum tom. 4., & acta S. Abundii apud Surium loco indicato. Conſtantinopoli pro concilianda pace ob ſchiſma Acacianum diſcerpta, præſentibus Apocriſariis ſuis Synodum agitari præcepit S. Hormiſdas, eique tandem ex ſententia ſucceſſit. Ad conciliandam Synodo IV. auctoritatem Romæ anno 503. Concilium Epiſcoporum 218. celebravit S. Symmachus, eique ut intereſſent ex Occidente non modo, ſed etiam ex Oriente multi, ex Cypro, Lydia, Ægypto, Lycaonia, Phrygia, Lycia, Pamphylia, Creta, Piſidia, Caria, Galatia, & Aſia curavit, ut ex eorumdem ſyngraphis liquet. Romam ſub Bonifacio II. ex Palæſtina a Stephano Lariſſenſi Metropolita miſſus adfuit Theodoſius Echinienſis. Conſtantinopolitano ſub Menna celebri adverſus Anthimum, Severum, & Acephalos interfuiſſe S. Agapeti Legati Sabinus Canuſinus, Epiphanius Aſculanus, Aſterius Salernitanus, Ruſticus Feſulanus, Leo Nolanus Epiſcopi, Theophanes, & Pelagius Diaconi leguntur in actis Concilii apud Harduinum tom. 2. Vigilius, dum Conſtantinopoli demoraretur, conventum indixit, ad eumque Epiſcopos 70. convenire juſſit, de quo legendus Facundus lib. 4. capp. 3., & 4. Celeberrimo a S. Martino I. adverſus Monothelitas Romæ ex Occidente congregato interfuere ex Oriente Sergius Cyprius, & Stephanus Dorenſis. S. Vitalianus epiſt. 1. Paulo Cretenſi Metropolitæ Concilium ut cogeret juſſit, in eoque juſſa ſua executioni man-

daret. Prætermitto cetera, ne ſim prolixior, quam par ſit.

Quod ad 2. attinet, Pontificis ſcilicet jus Patriarchicum, iſtius particulam fuiſſe Concilia cum Romæ, tum alibi per ſe, vel per litteras, vel per Legatos indicendi, ac celebrandi, ut de Diæceſanis nihil dicam, quæ ex Clero, viciniſque, ſeu ſuburbicariis Epiſcopis colligi ſolebant, ut liquet ex S. Cornelio epiſt. ad S. Cyprianum inter Cyprianicas 46. edit. Pamelii; ex S. Siricio epiſt. 2. ad Eccleſiam Mediolanenſem; ex S. Innocentio I. epiſt 23. ad Synodum Toletanam; ex Bonifacio II in actis Synodi Romanæ in collect. Holſtenii, & ex S. Vitaliano epiſt. 1. ad Paulum Cretenſem, cujuſque generis fuere Romanæ Synodi ſub S. Fabiano adverſus Origenem ex S. Hieronymo epiſt. 65. ad Pamachium; & Ruffino lib. 2. adverſus S. Hieronymum: ſub S. Stephano adverſus Anabaptiſtas, ex S. Cypriano epiſt. 74. ad Pomp.; & Euſebio lib. 7. cap. 3: ſub S. Siricio adverſus Jovinianum ex ipſius epiſtola ad Epiſcopos Italiæ: ſub S. Cæleſtino adverſus Neſtorium ex ipſius epiſtola ad S. Cyrillum: ſub S. Leone adverſus Manichæos ex ipſius ſermone 5. de jejunio, & epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ: ſub S. Zacharia adverſus Adelbertum, & Clementem hæreticos apud Harduinum tom. 3., Concilia, inquam, indicendi, ac celebrandi ſive Provincialia, ſive Patriarchalia, uſu frequentiſſimo perſpectiſſimum ſit. Ita enim Concilio Romano ſub S. Cornelio ex 60. Epiſcopis adverſus Novatianum conflato adfuiſſe ex Africanis illò advocati Caldonius, & Fortunatus leguntur apud S. Cyprianum epiſt. 42. edit. Pamelii; Euſebium lib. 6. cap. 43., & S. Hieronymum de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 66. Romano ſub S. Melchiade ex 19. Epiſcopis coadunato adverſus Donatiſtas anno 313. cum Italis interfuiſſe Gallos Epiſcopos Maternum Agrippinenſem, Rheticium Auguſtodunenſem, & Marinum Arelatenſem, referunt S. Optatus lib. 1, & S. Auguſtinus epiſt. 162., & lib. adverſus Donat. poſt collat. cap. 23. In Romano ſub S. Damaſo adverſus Auxentium inter 90. Epiſcopos Gallos etiam advocatos audiviſſe liquet ex Synodica ad Epiſcopos Illyrici apud Theodoretum lib. 2. cap. 22., & Sozomeno lib. 6. cap. 23. Romano ſub S. Innocentio I. ex Hiſpania pro extinguendo ſchiſmate hujus Eccleſiæ adfuere Hilarius, & Elpi-

Elpidius. Ad Romanum ſub S. Siricio ex Epiſcopis 80. pro inſtauranda in Africa diſciplina, apud Pagium ad annum 386., & ad Romanum ſub S. Hilaro ex Epiſcopis 50. pro reſtituenda diſciplina collectum profecti ſunt ex Gallia, & Africa Epiſcopi; non ſecus ac ad Romanum ſub S. Felice III. ex 77. Epiſcopis adverſus Acacium epiſt. 8. ejuſdem ad Acacium, & epiſt. Synodi Rom. ad Clericos, & Monachos Orientales apud Labbeum tom.5; & ad Romanum ſub S. Gelaſio indictum Epiſcopi 70. undique ex Occidente vocati confluxerunt: in quo latum decretum de libris qua legitimis, & qua apocryphis. Decretum tribuitur S. Damaſo in codicibus Mſs. Dacheriano, & Pariſienſi Societ. Jeſu apud Harduinum: S. Hormiſdæ in codice Ms. Jurenſi apud Labbeum, ſed verius S. Gelaſio ab Hincmaro Remenſi, Lupo Ferrarienſi, S. Nicolao Papa, a Chronico Centumcellenſi apud Dacherium tom. 4. ſpicilegii, & ab Attone in Capitul. tom. 8. ſpicilegii. Subdititium decretum omnino contendunt Pearſonius, Beveregius, Caveus, Baſnagius, contra pugnant, genuinumque oſtendunt Baronius, Noriſius, Fontaninus, Blanchinius, & Blanchus. Adiſis Blanchinium in notis ad Anaſtaſium tom. 3. in S. Gelaſio ſect. 74., ubi ex veteribus monumentis Romanæ Eccleſiæ canonem ſacræ Scripturæ in Eccleſia Romana receptum, atque a S. Gelaſio conſtitutum contra Heterodoxos vindicat. Romanum III. ſub S. Symmacho præſentia ſua cohoneſtaſſe etiam Gallos Epiſcopos liquet ex relatione ſynodica ad Theodoricum, & ex epiſt. S. Aviti Viennenſis ad Senatores. Romano ſub S. Martino I. contra Monothelitas Epiſcopi 105. ex Italia, Sicilia, Sardinia, Africa, & Palæſtina interfuere. Ad Romanum ſub S. Agathone frequentiſſimum adverſus Monothelitas undique ex Occidente confluxiſſe Epiſcopos claret ex epiſt. ſynodica ad Synodum VI generalem. Romano ſub S. Gregorio II. contra illicita connubia ex 32. Epiſcoporum numero adcenſiti ſunt, qui advenerant ex Hiſpania Sinderedus, ex Britannia Sedulius, e Scotia Fergustus. Ad Romanum ſub Stephano III. pro cultu SS. Imaginum, & electione Pontificis e Gallia properarunt Epiſcopi 12, quorum nomina in codicibus Anaſtaſii excisa reſtituit Sirmondus, ſuntque Willicarius Senonenſis, Lullus Moguntinus,

Gavienus Turonenſis, Ado Lugdunenſis, Herminardus Bituricenſis, Daniel Narbonenſis, Tilpinus Remenſis, Herulphus Lingonienſis, Herembertus, Babulſus, Giſelbertus, & Joſeph incertæ ſedis. Confer Anaſtaſium in Stephano III, & Labbeum tom. 8. Romano ſub Leone III. adverſus Felicem Urgelitanum inter Epiſcopos 57. ex Gallis, & Germanis plerique conſediſſe perhibentur ab Alcuino lib. 1. adverſus Elipandum, & apud Papebrochium ad diem 19. Maji in vita Alcuini. Quæ quid aliud præferunt, quam quod in poteſtate Pontificis ſemper fuerit ad Concilia Epiſcopos undique ex Occidente Romam cogere?

Quod per ſemet perſæpe Romæ præſtiterunt, idipſum per Legatos, vel per litteras præſtitiſſe alibi perſpectum eſt. Ejuſmodi jus cogendi Epiſcopos ad Concilia Apoſtolicæ Sedis Vicariis inerat: in Illyrico Epiſcopis Theſſalonicenſibus, ita ea facultas facta a SS. Damaſo, Siricio, Anaſtaſio, Innocentio, Bonifacio, Leone legitur Acholio, Anyſio, Ruffo, Anaſtaſio Theſſalonicæ Epiſcopis, quibus adjunctum jus ordinandi Metropolitas, iſtis abſque illorum aſſenſione Epiſcopos ordinandi auctoritate ademta. In Galliis Epiſcopis vel Arelatenſi, ut Patroclo a S. Zoſimo epiſt. 5. apud Labbeum; vel Forojulienſi, ut Leontio a S. Leone epiſt. 10, apud Queſnellum 89. ad Epiſcopos Provinc. Vienn.; vel Arelatenſi iterum, ut Ravennio a S. Leone epiſt. 109. ad Epiſcop. Provinc. Arelat., 50. apud Queſnellum; Leontio a S. Hilaro epiſt. 8. apud Labbeum tom. 5. ad Epiſcopos Galliæ Provinciarum; vel Remenſi, ut S. Remigio a S. Hormiſda, ut refert Hincmarus in vita S. Remigii, ſed verius a S. Anaſtaſio II, ut critici obſervant apud Blancum de Polit., & Poteſt. Eccleſ. tom. 5. part. 1. lib. 3., cap. 1. §. 3.; vel tertio Arelatenſi, ut S. Cæſario a S. Symmacho epiſt. 10. ad eumdem apud Labbeum loco indicato. In Hiſpania primum Zenoni Hiſpalenſi a S. Simplicio epiſt. ad ipſum apud Baronium ad annum 482.; Saluſtio Hiſpalenſi a S. Hormiſda epiſt. 26. ad eumdem apud Labbeum tom. 5: poſtea Tarraconenſibus, ac poſtremo Toletanis. Ordinationes tamen Epiſcoporum a Metropolitis, & Metropolitarum a Conciliis Provinciæ celebrari debuiſſe conſtat ex SS. Innocentio epiſt. 11. ad Victricium, & epiſt. 13. ad Synodum Toletanam; Zoſi-

Zoſimo epiſt. 5. ad Epiſcopos Galliarum; Cæleſtino epiſt 11, ad Epiſcopos provinc. Vien., & Narbon.; Leone epiſt. 10. in editione Queſnelli, vel 89. ad Epiſcopos provinc. Vienn. In Anglia S. Auguſtino Cantuarienſi a S. Gregorio M. epiſt. 15. lib. 12., & Honorio Cantuarienſi ab Honorio I. epiſt. ad ipſum apud V. Bedam lib. 1. hiſt. Angl. cap. 18. In Africa Carthaginenſi, ut colligitur ex S. Siricio epiſt. 4. decretali ad Epiſcopos Africæ, de qua in Conciliis Carthaginenſi ſub Genetlio, Tuſdritano anno 417. apud Baluzium, & Telletenſi, ſive Zellenſi apud Ferrandum in Breviario, & apud Harduinum tom. 1., quod contra Queſnellum vindicant eruditi, & conſtat ex teſtimonio S. Leonis IX. in epiſt. 4. ad Petrum, & Johannem Africanos Antiſtites apud Labbeum tom. 11. aſſerentis Primatem Carthaginenſem hunc præ aliis Africæ præſulibus primum honoris, poteſtatiſque locum ab Apoſtolica Sede jampridem obtinuiſſe.

Quas vero partes in Conciliis indicendis, celebrandiſque Vicariorum opera Pontifices agebant, eaſdem qua legationibus, & qua litteris pariter perficiebant. Plane abſque S. Fabiani conſcientia Lambeſitanum Concilium in Africa adverſus Privatum ex 99. Epiſcopis a Donato Carthaginenſi celebratum haud quaquam fuiſse conjicere eſt ex S. Cypriano epiſt. 55. edit. Pamelii, & 19. edit. Oxonienſis. S. Victoris nutu, & juſsu celebrata de Paſchate Concilia Lugduni in Gallia a S. Irenæo, Hieroſolymis a Narciſſo, Cæſareæ in Palæſtina a Theophilo, alibique ab aliis alia, ut Ponticum ſub Palma, Corinthiacum ſub Bachillo, Oſroenum, conjicere eſt ex Euſebio lib. 5. hiſt. Eccleſ. capp. 23, & 24., & Beda lib. de æquinoctio vernali. Nonniſi ſub auſpiciis S. Melchiadis adverſus Donatiſtas Arelatem Concilium celebratum ex Gallia, Hiſpania, Britannia, Africa, Italia, omnes 600. Epiſcopi confluxere, quo fatis functo ad S. Silveſtrum pro confirmatione Synodi magnificis illis verbis in Synodica ſcripſerunt: *Placuit etiam hæc juxta conſuetudinem antiquam a Te, qui majores Diæceſes tenes, & per Te potiſſimum omnibus inſinuari.* Quæ verba Arelatenſi Concilio reſtituit ex emendatione Perronii, & Franciſci Harlei Rothomagenſis Archiepiſcopi, & adverſus Decanum Londinenſem vindicavit doctiſs. Schelſtratius antiq. illuſtr. part. 2. diſ-

diſſert. 1. cap. 7., & diſſert. 4., cap. 4., unde & Cl. Thomaſſinus lib. 1. veter., & novæ diſciplin. part. 1. cap. 8. appoſite obſervavit, quod prima Silveſtri Sedes, ad quam Patres Arelatenſes ſcribebant: *Indeclinabilem juriſdictionem exercuerit in cæteros omnes Patriarchas*. S. Liberius Legatorum ſuorum Luciferi Calaritani, Pancratii Presbyteri, & Hilarii Diaconi operam adhibuit ad celebrandum Mediolani Concilium, etſi ei ex ſententia non ſucceſſerit: ex Archivio Eccleſiæ Vercellenſis apud Baronium ad annum 355. deſcripta epiſtola Legatorum ad S. Euſebium Vercellenſem id oſtendit. Illyricum juſſu S. Damaſi adverſus Macedonianos coadunatum liquet ex Concilii Italici ſynodica ad Illyricos. S. Siricio annuente, jubenteque Concilia habita ſunt ſive Capuanum contra Bonoſum Sardicenſem, & in cauſſa Flaviani Antiocheni, quod plenarium in codice Africanæ Eccleſiæ can. 48. appellatur, ſive Aquilejenſe contra Palladium, & Secundianum ex Gallis, Afris, Illyricis, Italis conflatum, quod confictum quidem cenſet Chiffletius, genuinum tamen evincunt eruditi, ſive Mediolanenſe adverſus Jovinianum, ut conſtat ex S. Ambroſio epiſt. 78. ad Theophilum, ex ſynodica Concilii Aquilejenſis inter opera S. Ambroſii ad Imperatores Gratianum, Valentinianum, & Theodoſium apud Harduinum tom. 1, ex Vigilio Tapſenſi lib. adverſus Eutychem, & ex epiſt. ſynodica Concilii Mediolanenſis apud S. Ambroſium ad Siricium. Certe Aquilejenſis Concilii ſynodicæ epiſtolæ præfixa epigraphe ad Patriarchale Concilium Pontificis Romani pertinuiſſe Galliarum provincias ſupponit: *Concilium*, ſic enim præfertur, *quod convenit Aquileæ* .... *Epiſcopis Provinciæ Viennenſium, & Narbonenſium primæ, & ſecundæ*.

Ah hæc Toletanum I, cujus mentio in Toletano anno 438. occurit, etſi inficias eant aliqui, ab aliis vero ſub Siricio celebratum cenſeatur, juſſu S. Innocentii pro reſtituenda collapſa diſciplina, atque a ſacris ordinationibus removendis abuſibus, habitum eſt; non ſecus atque pro cauſſa S. Johannis Chryſoſtomi Theſſalonicæ indictum ab eodem Concilium, miſſoſque jam Legatos perhibet Palladius in dialogo, quamvis fatis illo functo Concilii opera jam non amplius fuerit deſiderata.

S.Zo-

S. Zoſimus Africanum, ſeu Carthaginenſe VII. ex Epiſcopis 217. adſiſtentibus Fauſtino Epiſcopo, & Azello presbytero Legatis ſuis celebravit, ut conſtat ex epiſt. ſynodica ad S. Bonifacium I. Carthaginenſe alterum ſub auſpiciis S. Cæleſtini in cauſsa Appiarii, atque Fauſtino Legato aſſidente celebratum, nec non Cæſarcenſe in Mauritania a S. Auguſtino, demandata ei vice a S. Cæleſtino, liquet ex Synodica ad S. Cæleſtinum; & ex S. Auguſtino epiſt. 157. ad Optatum, epiſt. 261., & lib. 2. Retract. cap. 51. S. Leo Magnus, ut litteris ſuis ad Flavianum, decretiſque a Concilio Chalcedonenſi undique ſubſcriberetur, qua Legatis, & qua litteris nihil non egit. Itaque ejus juſsu ad id operis exequendum habita ſunt Concilia tum Gallicanum, quod Arelatenſe a Sirmondo nuncupatur, Epiſcoporum 43., ut liquet ex Synodica ad eumdem S. Leonem apud Harduinum tom. 1. pag. 1775, tum Mediolanenſe a S. Euſebio, ut legere eſt in Synodica ad eumdem apud Harduinum eodem loci pag. 1779. Eodem Pontifice jubente habitum eſt in Hiſpania, quod Aſturicenſe apud aliquos audit, adverſus Priſcillianiſtas Concilium, quod perperam Toletanum I. ab aliis appellatur, ex quatuor provinciis Tarraconenſi, Carthaginenſi, Luſitana, & Bœtica, ut habetur in epiſt. 93. ad Turribium, in actis Concilii, & Concilii Bracarenſis II. tom. 2. Concil. Hiſpan. Epaonenſe (ab Epaona, quam Jenam Vicum in Sabaudia ad Rhodanum conſitum cenſet Harduinus tom. 2. in notis ad hoc Concilium) anno 517. juſſus eſt a S. Hormiſda convocare S. Avitus Viennenſis, ut conſtat ex epiſt. Aviti ad Epiſcop. provinc. Vienn.

Arauſicanum II. ex 14. Antiſtitibus adverſus Semipelagianos anno 529. ex S. Felicis IV. ſacra juſſione, receptiſque ab eo capitulis ſubſcribendis celebratum eſt a S. Cæſario Arelatenſi, ut legitur in præfat. apud Harduinum tom. 5. pag. 1097.; ac teſtatur Hincmarus lib. de Prædeſtinat. capp. 12., & 22. Nannetenſe anno 658. juſſu S. Vitaliani in cauſſa Monaſterii S. Nivardi collectum legitur apud Flodoardum hiſt. Remenſ. lib. 2. cap. 8. A S. Martino I. epiſtola ad eumdem exarata juſſus eſt S. Amandus Trajectenſis Epiſcopus Concilium in Gallia cogere, in eoque ab ſe adverſus Monothelitas definitis ſubſcribi. A S. Agathone eoſdem adverſus

Mo-

Monothelitas ex univerſo ferme Occidente indicta Concilia ſunt, exindeque juſſi Romam mitti Legati ad Concilium propediem ab ſe celebrandum. Itaque e Conciliis in Italia, Anglia, Gallia habitis Legati Romam miſſi leguntur Wilfridus Eboracenſis, Adeodatus Leucenſis, Felix Arelatenſis, aliique in ſynodica S. Agathonis ad Synodum VI. generalem apud Labbeum tom 7. Toletanum XV. anno 688. ex Epiſcopis 62. juſſu S. Benedicti II. conflatum eſt, in eoque juſſi Epiſcopi Synodo VI. ſubſcribere, reddereque rationem de propoſitione, qua dictum fuerat a Juliano Toletano in Deo *a voluntate voluntatem genitam*, *a ſapientia ſapientiam*, ſicut, & *in Chriſto tres eſſe ſubſtantias*; quod a Juliano adornata Apologia perfectum eſt: liquet id ex epiſt. Benedicti II. ad Petrum Regionarium Notarium, ex actis Concilii, & ex apologia præcitata. Joannis VII. juſſu Concilium Niddenſe in Anglia anno 705. celebratum eſt, in quo Wilfridus Eboracenſi Eccleſiæ reſtitutus eſt, ex epiſtola Joannis VII. ad Ethelredum Regem, apud Harduinum tom. 3. pag. 1825.

Ex præcepto S. Zachariæ tum Germanicum, ſive Liptinenſe Concilium anno 743. a S. Bonifacio Moguntino congregatum eſt, receptaque in eo, quæ Pontifex ad capitula Pippini reſcripſerat, atque a Pontifice jam prædamnati Adelbertus, Godolſazius, & Clemens diris cunctis devoti ex epiſtola 8. Zachariæ ad S. Bonifacium, & altera ejuſdem Pontificis ad Francos, & Gallos lib. 5. Capitul. cap. 1., & epiſtola 105. S. Bonifacii ad Cudbertum Archiepiſcopum Cantuarienſem apud Harduinum tom. 3. pag. 1925: tum Germanicum alterum anno 745. contra illlos hæreticos, in eoque gradu deturbato Gervilione Moguntino ſuffectus eſt S. Bonifacius, ut legitur apud Serrarium lib. 3. hiſt. Mogunt. cap. 44.: tum Cloveshovienſe II. anno 747. pro ſtatu Religionis Chriſtianæ reſtituendo ex præcitata epiſtola S. Bonifacii ad Cudbertum, actiſque Concilii apud Harduinum loco indicato. Concilio Gentiliacenſi anno 767. pro cultu SS. Imaginum per Legatos adfuit S. Paulus I. ex epiſtola Pauli ad Pippinum, quæ eſt 26. inter Carolinas, ex Reginone, & Adone in chronico ad citatum annum. Calchutenſi in Anglia anno 787. ad fidem primitus ſuſceptam retinen-

dam

dam, aliaque diſciplinæ capita ſtabilienda indicto per Legatos pariter interfuit Hadrianus I. In Anglia Concilium tum Bacanceldenſe anno 799. ad laicos ab Eccleſiarum dominio arcendos, tum Cloveshovienſe anno 803. pro Athelardo Eccleſiæ Cantuarienſi reſtituendo celebrari juſſit Leo III. tom. 1. Concil. Britanniæ. Pariſienſe anno 824. ex conſenſu Eugenii II. habitum eſt, ad quem miſſa relatio de cultu SS. Imaginibus impendendo ex epiſt. Ludovici Pii ad Eugenium II. Wormatienſe anno 829. Gregorii IV. Legatis præſentibus, ac præſidentibus Ludovici Pii capitularia comprobavit apud Hincmarum lib. de divortio Lotharii, & Teutbergæ. Denique S. Nicolaus I., a quo novam invectam diſciplinam, inauditumque majoribus jus inductum, Apoſtolicæque Sedi aſſertum maleferiati illi effutiunt, in quo proinde finem facio, ne prolixiori, quam par ſit, oratione faſtidium, moleſtiamque lectoribus creem, eoque magis, quod profuſioris operæ non ſit pretium, Nicolaus, inquam, Romano Pontifici jus Patriarchicum, quo ex Occidente univerſo ad Synodos cogere, quos mallet Epiſcopos, potis eſſet, plurimis, inviciſſimiſque vindicavit epiſt. 70. ad Epiſcopos Galliarum apud Labbeum tom. 9., atque ultro citroque agnovere Adventitius Metenſis, Ratholdus Argentinenſis in epiſt. ad S. Nicolaum I. apud Baronium ad annum 864., & Hincmarus Remenſis epiſt. ad eumdem Pontificem apud Flodoardum lib. 3. hiſt. Rem. cap. 13.: ſed & jam pridem hanc juris particulam in tuto collocaverat S. Leo epiſt. 4, in edit. Queſnelli 16. ad Epiſcopos Siciliæ, tres annuatim ex Sicilia Epiſcopos Romæ Synodo intereſſe omnino jubens. Legendus Cl. Chriſtianus Lupus diſſert. 1. de antiq. Gallicanæ Eccleſiæ ad Apoſtol. Sedem appellat. cap. 22., ubi adver. Petrum de Marca argumentum hoc egregie exagitat.

Jam vero utrumque jus iſtud Pontificis in Conciliis celebrandis, & qua Primatis, & qua Patriarchæ illuſtrare juvat Innocentii III. ſacrorum rituum, & myſticæ ſignificationis rerum a deceſsoribus ſuis in Romana Eccleſia recte inſtitutarum eximii interpretis egregia doctrina, quam in epiſtola regeſt. 15, num. 154. a Thomaſſino vet., & novæ diſcipl. part. 1. lib. 1, cap. 15. regeſtam tradit. Docet ibi Eccleſiam Romanam cetera-

rum matrem, ac magiſtram talem exhibere imaginem Eccleſiæ Catholicæ, ut exemplum illuſtre ſit Throni illius, ac Sedis Dei, & Agni, quam vidit, & deſcripſit in Apocalypſi S. Johannes Apoſtolus. In medio Sedis, inquit, & in circuitu Sedis erant quatuor animalia: *Sedes illa*, ſubdit Innocentius, *Romana Eccleſia intelligitur, quæ Sedes Apoſtolica nuncupatur: utique ſedes Agni, ſedes viventis in ſæcula ſæculorum. In medio cujus quaſi filiæ in gremio reſident, & in circuitu adſtant quaſi famulæ in obſequio quatuor Patriarchales Eccleſiæ.* Ab initio itaque a Pontificibus Romanis, ut indicaretur Eccleſia Romana præferre præclaram imaginem Hierarchiæ per univerſam Eccleſiam gradibus ſuis diſtributæ, ac diſperſæ in Patriarchas, Metropolitas, Epiſcopos, conſtitutæ ſunt primitus quinque majores, ac præſtantiores in Urbe Roma Eccleſiæ, quæ Patriarchalium nomine cenſerentur, a quibus deſignarentur quinque Patriarchales Eccleſiæ in Orbe celebratiſſimæ. Nempe Baſilica Salvatoris ad Lateranos, utpote ceterarum primaria pro Romano Pontifice; S. Petri Apoſtoli in Vaticano pro Conſtantinopolitano Patriarcha; S. Pauli via Oſtienſi extra Urbis mœnia pro Alexandrino; Liberiana, ſive Sixti Papæ in Exquiliis, cui dein S. Mariæ ad Præſepe, ſive S. Mariæ Majoris nomen adhæſit, pro Antiocheno; SS. Stephani, & Laurentii extra muros via Tiburtina pro Hieroſolymitano. Quo modo Sedes Apoſtolica egregiam ſpeciem univerſæ rei Chriſtianæ Primatum gerentis, ac jura dicentis in ceteros omnes Patriarchas refert. Ad hæc, ut ceteros præterea Hierarchicos gradus, quibus Pontifex præeſt velut Patriarcha, in una Romana Eccleſia complexos, ſub unoque Romano Pontifice velut compoſitos exhiberent, multis qua muſivis, & qua picturis, & qua titulis efficere Pontifices certarunt, atque exprimere mox per 7. Epiſcopos Lateranenſi Eccleſiæ adjectos, & per 25. Presbyteros, totidemque titulos illis adſignatos, uti a SS. Cleto, Dionyſio, Simplicio confectum fertur: mox per 24. ſeniores Apocalypſis coronas offerentes ſedenti ſuper Thronum, uti conſpicitur in Baſilica S. Pauli a S. Leone Magno; & in titulis SS. Praxedis, & Cæciliæ a S. Paſchali I. expreſſum: mox per 7. candelabra, inque eorum medio ſpeciem Filii

Filii hominis, quæ in titulo SS. Coſmæ, & Damiani S. Felix IV; & in Baſilica S. Mariæ Tranſtiberim Innocentius II. muſivo expreſsere. Confer Clariſſ. Cardinalem Raſponum lib. 1. de Baſilica, & Patriarchio Lateran. cap. 3, & Blanchinium in notis hiſt. ad SS. Cletum, Dionyſium, & Simplicium tom. 2, & 3. Anaſtaſii, quibus obſervationes hujuſmodi acceptæ referri debent: nam de his jam nimium.

Ex Lateranenſi ſub S. Martino I; Lateranenſi I. ſub Callixto II;

Et Lateranenſi II. ſub Innocentio II.

§. I.

Probatur tertio Propoſitio ex Conciliis Eccleſiæ Occidentalis. Et 1. Concilium Lateranenſe ſub S. Martino I. an. 649. adverſus Monothelitas, quod quamvis generale non fuerit, magno, tamen in pretio habitum eſt, ut quod in profeſſione fidei Romanorum Pontificum legebatur, atque Synodo VI. generali inſertum fuit, præclara in hanc rem ſuppeditat argumenta. In eo Stephanus Dorenſis genere Græcus, Antiſtitum Palæſtinæ Legatus act. 1, ſeu ſecretario 1. libellum obtulit, in quo hæreticos auctoritate primæ Sedis damnatos ſemper pro damnatis ubique habitos ab Eccleſia univerſa jugiter venerata in Apoſtolica Sede ſuprema cum poteſtate infallibilitatis prærogativam affirmat: *Quoniam*, inquiens, *hoc poteſtative olim, & antiquitus facere per Apoſtolicam, ſive canonicam conſuevit auctoritatem, dum aperta lucubratione non ſolum claves Cælorum creditæ ſunt ei, atque ipſe tantummodo ad aperiendas eas fidelibus quidem digne, minime autem Evangelio gratiæ credentibus juſte claudere magnus ſecundum veritatem, & Princeps Apoſtolorum meruit Petrus; ſed etiam & paſcere primus juſſus eſt oves Catholicæ Eccleſiæ, quum Dominus dixit*: Petre amas me? paſce Oves meas: *& iterum ipſe præcipue, ac ſpecialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum noſtrum, & immutabilem fidem, convertere*

 ali-

aliquando, & confirmare exagitatos conſortes ſuos, & ſpiritales meruit fratres, utpote diſpenſative ſuper omnes ab ipſo, qui propter nos incarnatus eſt Deus, poteſtatem accipiens, & Sacerdotalem auctoritatem. Addit Stephanus ſe a Sophronio ad Sedem Apoſtolicam miſsum, ut de Sergii errore, ejuſque Symmiſtarum eamdem commoneret: *Quantocius*, Sibi dictum fuiſse ait, *deambula, donec ad Apoſtolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, pervenias, non ſemel, non bis, ſed multo ſæpius aperiens ſacris viris ibidem conſiſtentibus omnia, quæ in his partibus mota ſunt*. In eo vero libello a Stephano oblato ita etiam Abbates, & Monachi loquuntur: *Sanctæ Dei, & Apoſtolicæ Synodo..... in alma Urbe Roma congregatæ.... per juſſionem ſanctam, ſive præceptionem divinitus præſidentis vobis, atque omnibus his præeminentis Sacerdotum Sacerdotis, & Patris Patrum Domini noſtri Martini*. Allatæ quoque ſunt, & lectæ ea in Synodo ſecret. 2. litteræ Sergii Cyprienſis Inſulæ Epiſcopi, & Synodi ſub eo congregatæ, atque ad Theodorum Papam Martini deceſsorem directæ his verbis: *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo a Deo noſtro honorabili Domino meo Patri Patrum, Archiepiſcopo, & univerſali Papæ Domino Theodoro Sergius humilis in Domino ſalutem. Firmamentum a Deo fixum, & immobile, atque tituli formam lucidiſſimam fidei veſtram Apoſtolicam Sedem conſtituit, ò Sacer vertex, Chriſtus Deus noſter. Tu es enim, ſicut divinum veraciter pronuntiat verbum, Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ confirmatæ ſunt. Tibi & claves Cælorum commiſit &c. Tu profanarum hæreſeon depoſitor exiſtis, ut Princeps, & Doctor orthodoxæ, & immaculatæ fidei. Igitur non deſpicias partuum tuorum Pater fidem æſtuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, nec non periclitantem: reſolve nebulam inſipientium lumine tuæ divinæ ſcientiæ, ò Sanctiſſime*. Quibus quid illuſtrius ad patefaciendam, quæ firma illis inſedebat, perſuaſionem de Romano Pontifice ſupremo in Eccleſia Primate ſupra Synodos auctoritate pote; & in fidei definitionibus falli, & fallere neſcio?

Eodem ſecretario 2. perlectæ ſunt epiſtolæ, quas ad Theodorum Papam dederant e Synodo Africana tres Primates provinciarum

rum Numidiæ, Byzacenæ, & Mauritaniæ, Columbus, Stephanus, & Reparatus, ea occaſione exaratæ, quod quum iidem Præſules Africani Conſtantinopoli demorarentur legationem ad Paulum ejus Urbis Epiſcopum Monothelitarum Principem obituri, ea de re prius Theodorum Papam certiorem reddere voluerunt, datiſque litteris petierunt, ut ſua ad Paulum ſcripta per Apoſtolicæ Sedis reſponſales ei redderentur, rogantes inſuper, ut niſi Paulus emendaret errorem, ab ipſo Romano Pontifice anathemate percelleretur. Non extant ſane in laudato ſecretario 2. Africanorum litteræ ad Paulum datæ; at bene leguntur tum eæ, quas ſeparatim Epiſcopi Guloſus, Probus, aliique Concilii Carthaginenſis proconſularis provinciæ ad Theodorum miſerunt; tum eæ, quas e tribus illis Synodis laudati tres Primates tum ad Imperatorem, tum ad Pontificem dedere; tum ea, quam eidem Theodoro inſcripſit Victor Carthaginenſis Epiſcopus e Synodo Carthaginenſi. Porro in ea ad Theodorum exarata ſynodica a tribus Primatibus epiſtola inter alia habetur: *Antiquis regulis ſancitum eſt, ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum, ut hujus auctoritate, juſta quæ fuiſset, pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ, velut de natali fonte, prædicationis exordium, & per diverſas totius Mundi regiones puritatis incorruptæ manarent fidei ſacramenta ſalutis*. In ea pariter, quam dedit Victor, præclara hæc habentur: *Per divinorum eruditionem eloquiorum veſtra inſtruente admonitione exhortatoria ſuperædificatur orthodoxa Chriſti Eccleſia.* Et infra. *Veſtrum eſt ... canonica diſtrictione ſolicite contrariis catholicæ fidei obviare*. Itaque illorum ſententia a Pontifice longe, lateque in Epiſcopos omnes, vel in Concilio congregatos poteſtatis particula promanat; nec illis eo inconſulto quidpiam in rebus fidei, religioniſque adgredi fas eſt; ſed ab eo ſuprema expectanda ſententia, cui ex officio omnes dein omnino hæreant.

Eadem in Lateranenſi Synodo S. Martinum damnaſſe una cum hæreſi Monothelitarum, ejuſque auctoribus, Ecthesim Heraclii, & Typum Conſtantis exploratum eſt: direxiſſe perinde

inde ad univerſos Fideles encyclicas de eorum damnatione epiſtolas, imo ad ipſum Conſtantem cum Synodi actis damnatos ab ſe Monothelitas denuntiaſſe: Eccleſias Hieroſolymitanam, & Antiochenam monuiſſe de abrogatis ab ſe ordinationibus Macedonii Antiochiæ, & Petri Alexandriæ perperam factis: *Apoſtolicæ Sedis Pontifices ad cuſtodiam domus*, ideſt Eccleſiæ, *pervigiles juxta præceptum domini eſſe*: Paulum Theſſalonicenſem hæreſi infectum communione privaſſe, atque dignitate Epiſcopali exuiſſe: de ſe dixiſſe: *Non dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed fortitudinis, & dilectionis, & prudentiæ ad tollendam omnem hæreſim* in epiſt. ad Johannem: Johannem Philadelphiæ Epiſcopum ſuum in Oriente Vicarium conſtituiſſe, cui facultas facta Epiſcopos, & Presbyteros in Eccleſiis conſtituendi, & lapſos ad fidem reduces in priſtinos gradus reſtituendi. Acta Later. Synodi in Africam miſiſſe inſuper conſtat ex epiſt. ad Eccleſiam Carthaginenſem, eique ſubjectos Epiſcopos ab ipſo ſcripta, qua ab ipſis emiſſam profeſſionem fidei probat: miſiſſe item in Aſiam conſtat ex epiſt. ad laudatum Johannem, aliosque Orientales directa: miſiſſe & in Gallias ad Sigebertum Regem Auſtraſiæ, & ad Clodoveum ejus fratrem Neuſtriæ, & Burgundiæ Regem, a quibus Galli Epiſcopi poſtulati Legati in Orientem mittendi, conſtat ex epiſt. ad S. Amandum Trajectenſem Epiſcopum. Præclara ſunt vero, quæ de Romano Clero perhibet in epiſt. 14. ad Theodorum apud Harduinum tom. 3. pag. 675, ſcilicet Clerus Romanus S. Pontificem ob damnatos Monothelitas a Calliopa captum, inque exilium abducendum conſpiciens clara, unaque voce conclamavit: *Anathema habeat quiſquis dixerit, vel crediderit, quia Martinus uſque ad unum apicem fidem mutavit, aut mutaturus eſt: & anathema habeant, qui in orthodoxa fide ſua usque ad mortem non permanſerint*. Quibus evidentiſſime Proteſtantium audacia refellitur affirmantium S. Martinum in damnatam Novatianorum hæreſim, poſtquam Monothelitas damnaſſet, delapſum. Confer doctiſſ. Pagium, & Sommier in notis ad Anaſtaſium in S. Martino I. tom. 4. Tanti ſane hæc momenti ſunt, ut Boſſuetius uſus cæteroquin Pontificum præclara quæque facinora vellicare, defen. decl. part. 2. lib. 15. cap. 8. fateri coactus ſit

ſit agnitum, tum a Stephano Dorenſi, tum a Sophronio Hieroſolymit. in Eccleſia Petri manere Petri doctrinam, atque optima fidei fundamenta ibidem ſuperſtructa; neque futurum unquam, ut illa Eccleſia a vera Religione abſtrahatur: hoc eſt, tamen ut addit, ipſius ſummæ ſucceſſionis habita ratione: videlicet vult ſucceſſionem, aut ſeriem Romanorum Pontificum a fide indeficientem eſſe, Pontifices vero ipſos fallibiles omnino: nempe, ut ſupra dicebamus, Pontificum ſeriem abrumpi, & non abrumpi; non abrumpi, quia in ſucceſſione reſidet inerrantiæ privilegium, abrumpi autem, quia ſingulis id privilegii detrahit.

Natalis vero hiſt. Eccl. ad ſæcul. VII. diſſert. 2. de Honorio Papa prop. 2. ex epiſtola S. Martini I. ad S. Amandum Epiſc. Trajectenſem ſe colligere putat S. Pontificem Epiſcoporum Galliæ conſenſu damnationem hæreſis Monothelitarum ab ſe factam firmari poſtulaſſe. Cedo verba Pontificis in medium proferantur. Miſſis ad S. Amandum Synodi actis ceteris Gallicanis Epiſcopis communicandis: *Credimus*, inquit Pontifex, *ad vos perveniſſe quomodo... a Sergio falſo Epiſcopo Conſtantinopolitano... execranda, & abominanda hæreſis pullulavit Apollinariſtarum, & Severianorum; Eutychianiſtarum, atque Manichæorum errorem renovans; quam ſucceſſor ejus Pyrrhus.... in deterius auxit. Pro qua re ſæpius Apoſtolica Sedes perſuaſionibus, conteſtationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab ejuſmodi errore recederent, & ad lumen pietatis, ex quo lapſi ſunt, remearent: & non ſolum hoc facere nullatenus voluerunt, ſed & nunc ſucceſſor ejus Paulus nequius excogitavit... Imperialem Typum* (a Conſtante) *a Clementiſſimo Principe fieri perſuaſit;... ideoque neceſſe habuimus, ne pro quadam negligentia, & animarum detrimento, quæ nobis commiſſa ſunt, culpæ reatu adſtringamur, cœtum generalem Fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum in hac Romana Civitate congregare*. Refert deinde a Synodo hæreſim illam, & hæreticos damnatos, ac geſta Synodalia cum encyclica ſua ad ipſum mittere: *Ex quarum ſerie*, ſubdit, *omnia ſubtiliter poteſtis addiſcere, & tenebras illorum nobiſcum, ut filii lucis extinguere. Idcirco ſtudeat*, ſubjicit, *fraternitas tua omnibus eadem innoteſcere, ut tam abominandam hæreſim nobiſcum execrentur...*

tur . . . atque Synodali conventione omnium fratrum , & Coepiſcoporum noſtrorum partium illarum effecta ſecundum tenorem encyclicæ a nobis directæ , ſcripta una cum ſubſcriptionibus veſtris nobis deſtinanda concelebrent confirmantes , atque conſentientes eis , quæ pro orthodoxa fide , & deſtructione hæreticorum veſaniæ nuper exortæ a nobis ſtatuta ſunt . Ex his poſtremis verbis contendit Natalis Martinum I. voluiſse ab Epiſcoporum Galliæ ſententiam ſuam adverſus Monothelitas firmari conſenſu ; atque ex his explicari Agathonis , & Nicolai I. verba ſuperius , quum ageremus de VI, & VIII. Synodo , relata , ſcilicet quum aſſerunt Sedem Apoſtolicam a tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe , intelligendos eſſe quum de controverſiis fidei pronuntiant ex Cathedra ; ex Cathedra vero pronuntiare intelligendos eſſe , quum Pontifici Eccleſiæ proponenti , & præcipienti Eccleſiæ accedit conſenſus . At S. Martini I. ſenſum non eſt aſſequutus , (verbo abſit injuria) Natalis : nam ea in encyclica Pontifex Epiſcopis Gallis præcipit dubio procul , ut ab ſe ſtatutis conſentiant , ſeu obediant , & obediendo confirment . Præterea confirmationis verbum non ſemper auctoritatem præſeferre jam diximus , ſed adhæſionis , ſeu obedientiæ oſtenſionem ſignificare . Poſtremo quum S.Martinus innuat a Sede Apoſtolica ſæpius increpatos hæreticos nihilominus in errore illo obfirmatos permanſiſſe , ad aliud remedium , quod ſupererat , quamvis jam latum a Sede Apoſtolica ſatis ſuperque eſſe debuerit , Synodum videlicet , quamvis in hancce auctoritas ab eadem Sede Apoſtolica dimanaret , manum applicuit : ut vero Synodus ex Occidente celebrata generalis evaderet, & ab hæreticis nihil ei detrahi poſſet , viſum eſt Pontifici , ut Synodi acta admitterentur ab univerſo Occidente , atque illis ſyngrapham ſuam apponerent , quotquot ex Hiſpania , & Gallia a Synodo abfuerant . Jam gradus ad alia faciendus .

Concilium Lateranenſe I. an. 1123. ſub Callixto II. Latinæ Eccleſiæ generale I , inter generales Synodos IX. nullum equidem peculiare argumentum in rem noſtram exhibet : Boſſuetius attamen par. 2. lib. 12. cap. 34. poſtquam ex octo prioribus generalibus Synodis pleraque ſe protuliſſe jactaſſet præfidentiſſime , (num jure , an injuria jam vidimus) quibus fidei controverſias

ad

ad Concilia generalia referendas eſſe, ab eiſque finiendas probaret; optans quoque ex quatuor Lateranenſibus œcumenicis, & Lugdunenſi I. aliquid in medium producere, quo eorumdem Conciliorum auctoritatem Pontificis poteſtati anteponeret, nihil in eiſdem actum, niſi facro approbante Concilio obſervavit: ſcilicet hac formula declaratum decreta quæcumque Conciliorum, in quibus præſens aderat, & præſes Romanus Pontifex, non niſi ab eiſdem Conciliis plenam obtinuiſſe firmitatem, ac proinde Conciliorum potiorem eſſe poteſtatem, quam Pontificis. Idem par. 2. lib. 9. cap. 31. repetit. Verumtamen concidit facile hæc Boſsuetii conjectatio: ex iis enim, quæ in octo præſertim priora generalia Concilia animadvertimus, novimus Romanos Pontifices SS. Cæleſtinum, Leonem, Agathonem, Hadrianum I, Nicolaum I, Hadrianum II. &c. eiſdem Conciliis definienda dictaſſe, ac ab iis, quæ ipſimet definierant, non recedendum Synodis mandaſse. In eiſdem rurſus œcumenicis Synodis, teſte S. Nicolao I. epiſt. 9. ad Michaelem Imp., Pontificum decreta icciirco producta, & propoſita fuere, ut Epiſcopi ex eis dignoſcerent quænam recta fides, quæ nam a fide aliena hæreſis eſset, ſibique quid agendum, præcavendum, & credendum foret. Scilicet in Synodis ita factum, non ſecus ac factitatum extra Synodos frequens eſt ab eorum deceſsoribus, a S. Victore cum Aſianis circa Paſcha; a S. Cornelio cum Afris circa Lapſos; a S.Melchiade cum Gallis circa Donatiſtas; a S.Liberio cum Orientalibus circa Arianos; a S. Damaſo cum Illyricis circa Macedonianos; a S. Siricio cum Italis circa Jovinianum; a S. Anaſtaſio cum Palæſtinis circa Origeniſtas; a S. Zoſimo cum Africanis circa Pelagianos, cui agendi rationi poſtmodum ſequioris ætatis Pontifices ſe ſe coaptarunt, ea nempe ratione, ut Sedis Apoſtolicæ ſententia cunctis innoteſceret, & a cunctis ſervaretur. Quia vero Epiſcopis quoque Judicis munus, non quo judicium finiant, nam hoc Pontificii juris eſt, ſed quo judicium ferant, concreditum eſt, ſub Pontifice tamen, ſeu cum dependentia, ut dicunt, a Pontifice, a quo juriſdictio in ipſos immediate promanat; jure merito proinde ea formula utuntur Pontifices canones edentes: *Sacro approbante Concilio*: nempe ea auctoritate approbantibus

Epiſcopis, quam Romanus Pontifex ipſis impertitus eſt. Sed etſi eam, ut autumant noſtri adverſarii, auctoritatem a Chriſto immediate obtinerent, tamen ex ea formula nihil Pontificibus iret detractum, nihil Concilio ſupra Pontificem ſignificaretur collatum: quemadmodum enim Rex, qui plures Judices conſtituit, ſi ex Judicum approbatione ſententiam diceret, peſſime exinde colligeret quis Judicum auctoritatem Regia ſuperiorem eſſe, eumque ſupereminere, ita plane Boſsuetius peſſime ex approbatione Concilii hujus auctoritatem ſuper Pontificem evehendam ſumpſit. Id addam, quod ſi Concilium Pontifici præcelleret auctoritate, hoc potius Pontifice approbante, non hic approbante Concilio ſententiam pronunciare deberet, quandoquidem ſuperioritatis indicium eſt pronunciare, ſubjectionis vero approbare. Ad hæc canones in Concilio a Callixto ſuo dumtaxat, aut deceſſorum nomine appellato conditos liquet ex canone 1. de Simoniacis ordinationibus: 4, qui in codice Ananienſi apud Baluzium 8. eſt, de Laicis a rebus Eccleſiaſticis arcendis; & 11. in codice Anianenſi 10. de profectione Hieroſolymitana, & Hiſpanica. Poſtremo a Callixto prædeceſsorum decreta de Inveſtituris comprobata, aliaque, loco, & tempori congrua procuſa nullo præhabito Concilii aſsenſu liquet ex Abbate Urſpergenſi apud Binium.

Concilium Lateranenſe II. œcumenicum X. anno 1139. ſub Innocentio II. celebratum, etſi nullum peculiare nobis perinde ſuppeditet argumentum, aliquod tamen ex geſtis ad idem Concilium pertinentibus eruere nos poſſe exiſtimamus, quo propoſitionem noſtram comprobare liceat, quin tamen prolixiori orationi operam, præterquam oporteat, impendamus. Perſpectum eſt profecto convocandi Concilii hujuſce occaſionem dediſſe inter alia ſchiſma Petri Leonis, & Petrobuſianorum, & Arnaldi de Brixia nefandas hæreſes. Jam vero quum pſeudo-Papa Anacletus Legatum miſiſſet ad Monachos Cluniacenſes, ut eos partibus ſuis adſciſceret, ut qui in Gallia doctrina, & pietate celeberrimi eſſent, Cluniacenſes ex adverſo Innocentio, tanquam legitimo Pontifici, ſibi potius adhærendum ſummo zelo propoſuere. Quapropter Ven. Petrus Cluniacenſis epiſt. 1. lib. 3. ad Innocentium inſcrip-

ſcripta, inter alia, quæ huc faciunt, *Habetis*, inquit, *cum tota Eccleſia vobis a Deo commiſſa & me in membris Chriſti ultimum, veſtramque pariter Cluniacum; qui quamdiu fuerit ſpiritus in naribus noſtris ad obediendum, ad collaborandum, fortaſſis etiam ad commoriendum parati erimus. Nulla certe mutabilium rerum permutatio nos mutare, nihil nos a Paſtore, nihil a Petro, nihil a Chriſto, quæ omnia in te uno habemus, ſeparare poterit.* S.Bernardus quoque epiſt. 126. ad Epiſcopos Aquitaniæ, Epiſcopos, Monachos, Reges &c. Innocentii partibus addictiſſimos recenſet his verbis: *Innocentio firmiter adhærent, ſincere favent, humiliter parent, verum Apoſtolorum ſucceſſorem fideliter recognoſcunt.* Quum vero Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus Anacleti Anti-Papæ partibus adhærens, ejuſdem legatione defungens Aquitaniæ Epiſcopos ab Innocentio II. abſtrahere conaretur, Vulgrinus Archiepiſcopus Bituricenſis, & Aquitaniæ Primas datis litteris ad Burdigalenſis Provinciæ Epiſcopos, (cujus Archiepiſcopatum Gerardus invaſerat), ejuſdemque Eccleſiæ Clerum, & populum, eos in obedientia legitimi Pontificis confirmavit, electionem Gerardi violentia Comitis Pictavienſis factam irritam declaravit, & latam ab Innocentio contra Gerardum ſententiam promulgavit: inter alia vero obſervatione digna ſunt, quæ ſcribit: *Sæpe accidit, ut machinatione hæreticorum, & tyrannide Principum a ſedibus ſuis catholici expellerentur Epiſcopi: nec tamen everti potuit Eccleſia Dei, quia enim ædificata eſt ſupra petram, non poſſunt adverſus eam portæ Inferi prævalere. Quia igitur in partibus veſtris aperta eſt porta Inferi, caveant omnes Catholici, ne per eam corruant, & deſcendant in Infernum viventes. Quo utique corruunt, & deſcendunt, qui a Romana diſcedunt Eccleſia... Catholici Epiſcopi, & Catholici Cardinales, qui cum Domino Papa Innocentio perſecutionem patiuntur,... ii ſunt Romana Eccleſia: non illi... ſchiſmatici, qui adhærentes Petro Leoni amiſerunt petram juſtitiæ, quæ conculcabit Leonem, & Draconem... Vos autem, fratres, fundamento Petræ, ſuper quod ædificare cœpiſtis, firmiter inhærete* &c. Et in altera epiſtola ad eoſdem data: *Nos quidem*, ait, *Domino Papæ Innocentio ſicut ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Præſuli, & Catholico univerſalis Ec-*

 cleſiæ

cleſiæ Paſtori ſincera devotione obedimus : in hac unitate nobiſcum perſeverant Patriarchæ , Primates &c. Hæc eſt catholica , hæc eſt univerſalis Eccleſia .

Præclara ſunt etiam , quam quæ ſilentio prætermittantur , quæ a Pontifice in allocutione ad Patres Concilii prolata refert auctor chronici Mauriniacenſis : *Noſtis*, inquit Innocentius , *quia Roma Caput eſt Mundi , & quia a Romani Pontificis licentia Eccleſiaſtici honoris celſitudo quaſi Feudalis juris conſuetudine ſuſcipitur , & ſine ejus permiſſione legaliter non tenetur* . Narrat ſubinde ſchiſmaticos , qui Synodo aderant , Præſules nominatim a Pontifice cum aſperitate exprobratos,inſignibus cum ignominia expoliatos, e gradibus cum diſtrictione deturbatos . Itaque ab Innocentio ſummi in Synodo exerciti juris ſpecimen exhibitum . Sub id temporis , ſacrarum rerum ſcilicet ſumma potiente Innocentio, prodiit recens hæreticus Petrus Abaelardus , non multo poſt in Concilio Sveſſionenſi damnatus, cujus quoque liber a Synodo confixus iccirco eſt , quod Romani Pontificis , & Eccleſiæ auctoritate nequaquam approbatus , in publicum emiſſus fuiſſet , ut refert idem Abaelardus epiſt. 1. ad amicum. Sequenti anno 1140. Concilium Senonenſe coactum eſt, ad quod accitus Abaelardus , dum in Concilio ſtaret auditis capitulis ex ipſius libris excerptis , & adverſus ipſum regeſtis , ad Romanum Pontificem appellavit . Ob Sedis Apoſtolicæ reverentiam Abaelardus Romani Pontificis judicio reſervatus eſt , nihilque adverſus ejus perſonam auſi deinceps ſunt Epiſcopi , pravis tamen illius dogmatibus nigram inflixerunt notam;actorumque omnium relationem ad Innocentium II. miſere ipſum rogantes,ut pro ſua poteſtate errores pariter configeret,Synodi ſententiam confirmaret , & Novatorem hominem coerceret . Ita referunt Gaufridus Clarevallenſis in vita S. Bernardi lib. 3. cap. 5. , & Otto Friſingenſis lib. 1. de geſtis Friderici cap. 48. , quo etiam loci exhibet litteram Synodicam ab Epiſcopis ad Innocentium II. exaratam , quam a S. Bernardo ſcriptam ex ſtilo cenſent eruditi . In ea vero inter alia narrant : *Quum in conſpectu Epiſcoporum ſuper his* (erroribus) *eum argueret Abbas Clarevallenſis* (S. Bernardus) , *ille nec confeſſus eſt , nec negavit , ſed a die , a loco , & judice , quem ipſe ſibi elegerat ,* (quamobrem po-

potuit non obſtante appellatione damnari, quum juxta canones a Judice electo non permittatur appellatio) *ſine læſione, ſine gravamine, ut prolongaret iniquitatem, Sedem Apoſtolicam appellavit. Epiſcopi, qui propter hoc in unum convenerant, veſtræ Reverentiæ deferentes, nihil in perſonam ejus egerunt, ſed tantummodo capitula a ſanctis olim Patribus condemnata* (en rationem alteram, ob quam appellatione non obſtante errores Abaelardi damnavit Synodus) *medicinali neceſſitate, ne morbus ſerperet, abjudicaverunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit poſt ſe, & populum habet, qui ſibi credat, neceſſe eſt, ut huic morbo celeri medicina occurratis.* (noverant enim Synodi ſententiam abſque Pontificis confirmatione infirmam fore) *Proceſſimus nos in hoc negotio quouſque auſi ſumus. Tuum, Beatiſſime Pater, eſt de cetero providere, ne aliqua hæreticæ pravitatis macula decor Eccleſiæ contaminetur. Tibi commiſſa eſt ſponſa Chriſti, ô amice ſponſi. Tuum eſt eamdem uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Præterea idem S. Bernardus nomine ſuo duas epiſtolas ad eumdem Innocentium, ſcilicet 189., & 190. de Abaelardi cauſſa dedit: in priori relatis Abaelardi erroribus, & Synodi geſtis concludit: *Itaque in præſentia omnium, adverſario ſtante ex adverſo, producta ſunt quædam capitula de libris ejus excerpta; quæ quum cæpiſſent legi, nolens audire exivit appellans ab electis Judicibus, quod non putamus licere.* (Recole dicta ad Synodum VIII.) *Porro capitula judicio omnium examinata inventa ſunt fidei adverſantia, contraria veritati... Verum Tu o ſucceſſor Petri judicabis, an debeat habere refugium ad Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu, inquam, amice Sponſi prævidebis, quomodo liberes ſponſam a labiis iniquis, & a lingua doloſa.* Ex quibus plane conſtat Senonenſis Concilii Patres, & S. Bernardum agnoviſſe Pontificis partes eſſe fidei controverſias finire, hæreſes gladio concidere, atque in hæreticos pœnas diſtringere; ita ut ab ejus ſententia provocari amplius non poſſit. Sed luculentius Romani Pontificis privilegia, quibus de agimus, exprimit in poſteriori epiſtola ad eumdem Innocentium: en verba S. Bernardi, & Eccleſiæ Gallicanæ egregiam ſententiam de Apoſtolicæ Sedis prærogativis exponentia: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia*

gentia in regno Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi fides non poſſit ſentire defectum: hæc quippe hujus prærogativa Sedis: cui enim alteri aliquando dictum eſt: pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua? Acceptis Concilii Senonenſis, & S. Bernardi litteris Innocentius Pontifex Maximus illius doctrinæ hæreſis dicam conſcripſit, illi vero tanquam hæretico iniqua obloquenti ſilentio os obſtruxit. Innocentii reſcripta extant inter S. Bernardi epiſt. n. 149, & in collect. Concil. inter acta Concilii Senonen., quibus inter alia reſpondet: *Nos, qui in B. Petri Cathedra, cui a Domino eſt dictum,* & Tu aliquando converſus confirma fratres tuos, *licet indigni reſidere conſpicimur, communicato fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Cardinalium conſilio deſtinata nobis a veſtra diſcretione capitula, & univerſa ipſius Petri perverſa dogmata ſanctorum canonum auctoritate cum ſuo auctore damnavimus &c.* Extat alia etiam breviſſima Innocentii II. epiſtola ad Archiepiſcopos Senonenſem, & Remenſem ad calcem Concilii Lateran. III, qua Arnaldum, & Abaelardum in religioſis locis ſeparatim includi jubet, eorumdemque libros errorum refertiſſimos, ubicumque reperti fuerint, igne concremari. Ad hæc auctor eſt Ordericus lib. 13. canones in Lateranenſi Concilio ab Innocentio procuſos: quotquot Concilio aderant Præſules diſtrictiſſime juſſos perinde a Pontifice, cum ut ad eorumdem canonum amuſſim ſemet integre componerent; tum ut ad eorumdem obſervantiam, patefacto Pontificis placito, cunctos ſubjectos ſibi Chriſtifideles pellicerent, urgerent, compellerent. Hactenus dictis offundant tenebras, ſi placet, Launojus, Dupinus, horumque ſimiles exaſperati in Pontifices ingenii homines, perſpicua tamen ſunt, lucemque mitioris indolis afferent aliis: quique illa tenuerint probe intelligent Pontificem ita ſive in Synodos, ſive in hæreticos homines, qua præcipiendo, & qua proſcribendo ſupremum jus ſuum proſequentem gemina illa, quibus potiebatur, quorumque jam pridem in poſſeſſione fuerunt ipſius prædeceſſores, privilegia infallibilitatis in fide, poteſtatiſque ſupra generales Synodos feciſſe planiſſima.

Ex

Ex Remenſi ſub Eugenio III, Lateranenſi III. ſub Alexandro III, & Lateranenſi IV. ſub Innocentio III.

§. II.

CONcilium Remenſe anno 1148. ab Eugenio III. Pontifice Maximo, qui & ei præfuit, congregatum, quod etſi in generalium Conciliorum cenſum proxime non veniat, magnæ tamen, nulloque contemnendæ modo auctoritatis in Eccleſia eſt, atque optimo loco a bonis omnibus habitum, Pontificiæ auctoritatis, qua non ſit potior, atque inerrantiæ, qua omnino polleat, præclarum exhibet ſpecimen. Principio ad eum Pontificem Armenorum, & Syrorum Legati obſequium, obedientiamque omnem oblaturi advenerunt, quam diu denegabant Romani in Arnaldi partes abſtracti. In eo vero Concilio, in quo, ſi adhibenda continuatori Anſelmi Gemblacenſis fides eſt, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates uſque ad mille reſediſſe dicuntur, ex Gallia, Hiſpania, & Anglia advocati, ut proinde generale appellarint Otto Friſingenſis, & Willelmus Neubringenſis, in eo, inquam, poſt habitam cum Gilberto Porretano diſputationem, dictante S. Bernardo conſcripta ſunt quatuor capitula adverſus totidem Gilberti aſſertiones erroneas, quibus inditum eſt ſymboli nomen, quod exhibet Pagius in brev. hiſt. crit. in Eugenio III. Narrat vero Otto Friſingenſis lib. 1. de geſtis Friderici I. cap. 57. Cardinales, qui tum Remis aderant, graviter conqueſtos fuiſſe apud Eugenium, quod S. Bernardus ſeorſum cum Gallicanis, ipſo abſente Pontifice, ipſiſque Cardinalibus inconſultis, in contemptum Romanæ Eccleſiæ, cujus ſolius erat de fide definire, fidei ſymbolum condere præſumſiſſet, & credendum proponere: *Scire debes* (Pontifici dicentes Cardinales refert ille) *Te . . . Romanæ Eccleſiæ culmen . . . curare, & obſervare debere. Sed quid fecit Abbas tuus,* (S. Bernardus) *& cum eo Gallicana Eccleſia? qua fronte, quo auſu cervicem contra Romanæ Sedis primatum, & apicem erexit? hæc eſt enim ſola, quæ claudit, & nemo aperit &c. Ipſa ſola de fide Catholica diſcutere habens, a nullo*

a nullo etiam abſens, in hoc ſingulari honore pati præjudicium poteſt. Sed ecce Galli iſti ... ſuper capitulis, quæ his diebus nobis aſſidentibus agitata ſunt, tamquam finitivæ ſententiæ ultimam manum apponendo, nobis inconſultis fidem ſuam ſcribere præſumpſerunt. Certe ſi in Oriente ... coram omnibus Patriarchis hujuſmodi tractaretur negotium, nihil firma ſtabilitate ſolidum ſine noſtra finiri valeret auctoritate: quin:mo juxta antiquorum Patrum ſtatuta, vel exempla Romano ſervaretur examini terminandum. Addit vero auctor Eugenium a S. Bernardo rem geſtam ſciſcitatum ab eo humile reſponſum accepiſſe, nempe haud ipſum, vel Epiſcopos Gallicanos ea animo definiendi conſcripſiſſe, ſed ſimpliciter, pureque ſe, quod ſentiret, expoſuiſſe, eoque reſponſo indignationem Cardinalium quieviſſe quidem, ita tamen ut præfatum ſcriptum tamquam inconſulta Curia prolatum velut auctoritatis pondere carens, pro Symbolo in Eccleſia, non ſecus atque in Synodis adverſus hæreſes congregatis fieri ſolet, non haberetur, antequam ab Eccleſia Romana admitteretur, ab eaque robur acciperet. Appoſite in hanc rem S. Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 10. docuit juris privatorum Epiſcoporum non eſſe fidei ſymbolum condere abſque conſcientia, & auctoritate Romani Pontificis, cujus eſt fidei controverſias finire: *Nova*, inquit, *editio ſymboli neceſſaria eſt ad vitandum inſurgentes errores... ad illius ergo auctoritatem pertinet editio ſymboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſſa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur, ut dicitur in decretalibus extra de baptiſmo cap. Majores: unde & Dominus Luc. 22. Petro dixit, quem ſummum Pontificem conſtituit,* Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua *&c. Hujus ratio eſt, quia una fides debet eſſe totius Eccleſiæ, ſecundum illud 1. Corinth. 1.* Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: *Quod ſervari non poſſet, niſi quæſtio de fide exorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, ut ſic ejus ſententia a tota Eccleſia firmiter teneatur: & ideo ad ſolam auctoritatem Romani Pontificis pertinet nova editio ſymboli, ſicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Eccleſiam, ut congregare*

gare Synodum generalem , & alia hujuſmodi . Quibus profe-
cto nihil præclarius in rem noſtram deſiderare eſt .

Tria nihilominus obtendit Natalis diſsert. 8. in hiſt. Eccleſ. ſæcul. XI , & XII. videlicet 1. Romani Pontificis decreta fidei indubia, & indefectibilia evadere , & nobis innoteſcere nonniſi accedente Eccleſiæ conſenſu,idque eſſe Pontificem ex Cathedra pronunciare, ſi nempe pronuncianti accedat Eccleſiæ conſenſus:Pontificem vero inconſulta Eccleſia , aut nullo Eccleſiæ accedente conſenſu minime eſſe falli,& fallere neſcium.Ex hac vero quæſtione nil præjudicatum aſſerit Romani Pontificis juribus , non ſecus ac ex quæſtione de Concilii generalis ſupra Pontificem auctoritate: *Quid vero , amabo , ait , ſummæ poteſtati Sancto Petro , & ejus ſucceſsoribus Romanis Pontificibus a Chriſto collatæ dignitatis , & ſplendoris accedit , ex eo , quod eæ , vel illæ opiniones propugnentur a Catholicis Theologis ? Quum ſacer ille Pontificiæ poteſtatis apex , ejuſque jura , ac privilegia innata , & inſita non humanis opinionibus nitantur , ſed Scripturæ ſacræ , & traditionis oraculis comprobentur* . At nugatur ne , an ſerio agit ? ludere , & illudere mihi ſane videtur ille , qui poſtquam ſcripturæ, & traditionis oracula Romanum Pontificem Conciliis ſuperiorem , & in fide indefectibilem demonſtrantia ſuſdeque everterit , & in alienum ſenſum intorſerit , hiſce Pontificum præcipuis dotibus nihil detractum iri tamen calamo , ſtiloque irriſorio ſcribit : ſed de hac evaſione ſuo loco. 2.Obtrudit ne dum Romani Pontificis,ne dum Concilii generalis , ſed juris quoque Epiſcoporum eſſe, fidei cauſſas cognoſcere , & de iis judicium ferre , quod multis cit. differt. contendit . Quibus ſi Natalis id ſolum vult Epiſcopos jure potiri judicium ferendi de cauſſis fidei , verum eſt : ſi autem velit id Epiſcoporum juris ratum , firmumque conſiſtere independenter a Romani Pontificis judicio , aut ab Epiſcopis in Concilio generali finiri poſſe cauſsas fidei abſque Romani Pontificis auctoritate , hoc plane falſum eſſe demonſtrant ea , quæ plana facimus argumenta , inter quæ illud præclarum impræſentiarum proferre juvat, quod S. Innocentius I. epiſt. 24. ad Patres Concilii Carthaginenſis ſcribens de hæreſi Pelagiana docet finitivum cauſsarum fidei judicium poſt Synodorum relationem ad Sedem

Apoſtolicam pertinere : *Antiquæ traditionis* , inquiens, *exempla ſervantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ veſtræ religionis vigorem ....vera ratione firmatis , qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi debeatur, a qua ipſe Epiſcopatus , & tota auctoritas nominis hujus emerſit*: (ſimilia habet Pius II. in Bulla retract.) *quam ſequentes tam mala jam damnare novimus , quam probare laudanda . Vel id vero, quod Patrum inſtituta ſacerdotali officio cuſtodientes, non cenſetis eſſe calcanda: quod illi non humana , ſed divina decrevere ſententia , ut quidquid quamvis de disjunctis, remotiſque provinciis ageretur , non prius ducerent finiendum , niſi ad hujus Sedis notitiam perveniret , ut tota hujus auctoritate juſta quæ fuerit, pronunciatio firmaretur* . Similia habent S. Julius in epiſt. ad Orient. apud S. Athanaſium apolog. 2 ; S. Damaſus in epiſt. ad Orient. apud Nicephorum lib. 12. cap. 17. ; S. Zoſimus in epiſt. ad Concil. Carthaginenſe ; S. Leo I. in epiſt. ad Epiſcop. provinc. Vienn.; S. Gelaſius in epiſt. ad Epiſ. Dardaniæ; Pelagius II. in epiſt. ad Epiſcop. Iſtriæ ; S. Vitalianus in epiſt. ad Paulum Cretenſem ; S. Leo IX. in epiſt. ad Michael. Cerularium. Mitto alios, ne præter modum ſim longior. Quibus ſi auſcultare detrectes , adiſis Concilium Arelatenſe in Synodica ad S. Silveſtrum; Lampſacenum in Synod. ad S. Liberium; Italicum ſub S. Damaſo in Synod. ad Orient.; Aquilejenſe in Synod. ad S. Siricium ; Millevitanum in Synod. ad S. Innocentium I ; Africanum in Synod. ad S. Boniſacium I ; Alexandrinum ſub S. Cyrillo in Synod. ad Neſtorium ; Conſtantinopolitanum ſub S. Flaviano in Synod. ad S. Leonem ; Romanum ſub S. Symmacho in apolog. Ennodii ; Epiri veteris , & Illyrici apud Theophanem ad annum 508. in Synod. ad S. Hormiſdam ; Arauſicanum II. in Synod. ad S. Felicem IV ; Mopſveſtenum in ſuggeſtione ad Vigilium ; Africanum in Synod. ad Theodorum Pap. ; Hieroſolymitanum in Synod. ad S. Martinum I. Pleraque alia ſilentio prætereo , nam iſta ſatis ſuperque ſunt . Si demum velit Epiſcopos quoque ſaltem in Synodo particulari poſſe ſymbolum condere , id plane a veritate abhorret , & adverſatur doctrinæ S. Thomæ docentis editionem ſymboli majores inter cauſſas eſſe referendam , & Capiti Eccleſiæ reſervan-

vandam iccitco, ut eadem ſit totius Eccleſiæ fides, neque ulla ſchiſmatibus occaſio, & turbis eſse poſſit, quarum quot vel ex ſola particulæ *Filioque* additione exortæ ſint, nemo neſcit. 3.

S. Thomæ non ſemel alienum ſenſum Natalis attribuit. Enim vero animadvertens S. Thomam 22. q. 11. art. 6. in reſp. ad 3. docere majorum errores non præjudicare fidei ſimplicium, niſi ii pertinaciter eorum erroribus adhæreant contra univerſalis Eccleſiæ fidem, quæ deficere non poteſt, Domino dicente: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat* &c. confeſtim arripit occaſionem arguendi, iſtud Chriſti oraculum non de fide Petri, quatenus ſingularis perſona eſt, ſed de fide univerſalis Eccleſiæ ab Angelico doctore explicari: idque deinde multis contendit. Boſsuetius etiam SS. Thomæ, & Bonaventuræ eumdem ſenſum appingit, ſed ſuo loco utrique ſatisfaciemus, ac duobus iſtis doctoribus germanum ſenſum vindicabimus. Præterea eodem partium ſtudio præoccupatus illud obſervari jubet Natalis S. Thomam q. 11. art. 2. reſp. ad 3. docere: *Poſtquam eſſent* [aliqua] *auctoritate univerſalis Eccleſiæ determinata, ſi quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur; quæ quidem auctoritas principaliter reſidet in ſummo Pontifice. principaliter*, ſubdit Natalis, quia miniſteriale Caput eſt, *non totaliter*, quia in ceteris etiam Epiſcopis reſidet divina illa auctoritas. Verum S.Thomæ, quum Eccleſiam eſſe infallibilem colligit ex Chriſti oraculo: *Rogavi pro te Petre* &c., ex quo loco docuit quoque Pontifices eſſe infallibiles, plane ille S. Thomæ, inquam, obvius eſt ſenſus, quod e Pontificum infallibilitate promanat Eccleſiæ infallibilitas; unde ſicuti Eccleſiæ fides in Petro repræſentatur, ita ex Petro promiſſa infallibilitate Eccleſiæ conſequitur infallibilitas: idque rurſus ex eo ſuadetur, quod S. Thomas editionem ſymboli Romano Pontifici ea ratione aſſeruit, tum quod editio ſymboli facta in Synodo generali ſit, quam ad eumdem Pontificem pertinet convocare, & confirmare, adeoque ſua auctoritate facta cenſenda ſit. Unde mirari valde ſubit Natalem eum plane ſiniſtrum S. Thomæ ſenſum affricuiſſe, ut docuerit Conciliis divinam ineſſe auctoritatem independenter ab illa, quam in eadem Concilia transfundere Romanus Ponti-

ſex queat: ſi enim ita, ut eum intorquet Natalis, ſenſiſſet S. Thomas Pontificem eſſe fallibilem, & Concilio generali ſubjectum, peſſime ſane intuliſset editionem ſymboli ad Pontificem pertinere, & auctoritatem Eccleſiæ principaliter in Pontifice reſidere, ex eo, quod Concilium ſymbolum ediderit, & Eccleſia aliquod fide credendum determinaverit: optima vero econtra ratione intuliſset, ſi infallibilem in Pontifice auctoritatem agnovit, eamque a Pontifice in Eccleſiam derivari. Igitur tò *totaliter*, quod diſtinguit a tò *principaliter* Natalis, ſi diſtinctionem auctoritatis in Pontifice, & Concilio inferat, plane abſurda diſtinctio eſt: ſi auctoritatem totalem in Pontifice reſidentem, & a Pontifice in Concilium derivatam velit ſignificari, id acceptum eſt: abſurdum eſt, inquam, primum, nam, ut mox dicebamus, inepta, & peſſima alioquin fuiſset S. Thomæ argumentatio, ſcilicet Pontificii juris eſse ſymboli editionem, quæ facta in Concilio a Pontifice facta cenſeri debet, eo quod a Pontifice Concilium convocari, & confirmari oporteat. Deinde quum ſuperius, ut diximus, ideſt 22. q. 1. art. 10. dilucide S. Thomas docuerit: *Ad cujus* (Pontificis) *auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſsa fide teneantur*: plane pateſcit S. Thomam in Pontifice agnoviſse principalitatem non modo, ſed auctoritatis plenitudinem, quum ad Pontificem finaliter de fide judicare juxta ipſum pertineat; agnoviſse quoque in Pontifice indeclinabilem fidem, quum ab eo definita inconcuſsa fide ab omnibus tenenda juxta ipſum ſint.

Concilium Lateranenſe III generale XI. ſub Alexandro III. an. 1179. celebratum ſupremæ Pontificiæ auctoritatis non levia præbet argumenta. In anteceſsum vero animadvertendum occurrit, quod quum Fridericus Imperator veteri odio in Alexandrum affectus, Octaviani, ſeu Victoris dicti, pſeudo-Papæ partibus addictiſſimus conciliabulo apud Papiam indicto, cui tamen etſi ex Germania, Gallia, Anglia, Hungaria, Dacia &c. litteris Friderici invitati, nonniſi 50. Epiſcopi interfuere, reliquis id refugientibus, quod ſcirent Imperatoris non eſse Concilium indicere, atque Imperatorem Victori ſchiſmatico adhærere, ad idem Concilium per Legatos, & litteras Alexandrum III.

poſtu-

poſtulaſset ; Legatis hiſce reſpondit magnanimus Pontifex : Non eſse Imperatoris abſque conſcientia Romani Pontificis Concilium indicere, aut ipſum Pontificem ad Curiam ſuam poſtulare, ſicut homo in illum poteſtatem habens : *Quum B. Petro*, inquit, *& per eum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus ipſe Magiſter extitit, & fundator, hoc privilegium legitime a Domino Jeſu Chriſto ſit datum, ut univerſarum Eccleſiarum cauſsas ipſius auctoritate diſcuteret, ac finiret, ipſa vero nullius unquam judicio ſubjaceret*. Ita habent acta Alexandri III, quæ ex Vaticano codice ab Anonymo exarato laudat Baronius ; & ita refert quoque Radevicus lib. 2. de geſtis Friderici cap. 14, & ex ipſo Baronius in append. ad an. 1160. Sub id temporis in vivis degens S. Ælredus Abbas Rievellenſis in Anglia ſer. 231. agens de conciliabulo Papienſi, & adverſus Victorem pſeudo-Papam, poſtquam pro Alexandri III. legitima electione comprobanda pleraque denuntiaſſet: *Ubi Eccleſia eſse Romana*, ait, *oculis cernitur, ratione probatur, confirmatur auctoritate, ibi cor meum, ibi animus meus, ibi affectus meus: ab ejus fide, quæ Chriſto orante non deficiet, ab ejus unitate, quam ſchiſmaticorum pravitas Chriſto conſervante non dividet, ab ejus ſubjectione, cujus mihi Princeps Cælum aperiet, me neque mors, neque vita, neque alia creatura, Dei adjuvante gratia, ſeparabit*. Quum vero Fridericus perſpiceret univerſos pene Principes Alexandro reverentes, ac parentes, Galliæ Regi ſuaſit per Legatum, ut ambo in confinio Imperii, & Regni convenirent, & ipſe quidem ſecum eo deducturum Octavianum, ſeu Victorem ſpopondit, Rex autem deduceret Alexandrum, qui tum in Galliis morabatur, atque ibidem in unum congregatis Epiſcopis Gallicanis, Italis, & Teutonicis de utroque Pontifice decerneretur. Collocutus vero Rex cum Alexandro, ut & ipſe eo proficiſci non gravaretur, reſponſum accepit : indignum eſse, & SS. Patrum ſtatutis contrarium, ut Romanus Pontifex, & prima Sedes aliquod humanum ſubiret judicium, ac ſatis ſuperque eſse, ſi nonnulli Cardinales mitterentur ad Alexandri canonicam, & Octaviani illegitimam electionem demonſtrandam.

Obſervatione omnino ſunt digna, quæ mactus animo Pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Tuſciæ, qua eis ad Concilium convenien-

niendi diem dixit, de ſuprema Pontificis dignitate, ac poteſtate præclare diſſeruit, ubi aſſumtis ex Jerem. 1. verbis illis: *Ecce conſtitui te ſuper gentes &c.* ſic ſubjunxit: *Id autem licet univerſis Eccleſiarum rectoribus incumbat, multo tamen fortius imminet Romanæ Urbis Antiſtiti, qui a Domino Jeſu Chriſto, ut Caput eſſet Eccleſiæ in B. Petro accepit, de paſcendis Dominicis ovibus, & Fratribus confirmandis expreſſum, & ſpeciale noſcitur habuiſſe mandatum*. Poſtremo in hoc Lateranenſi Concilio ab Alexandro celebrato editus eſt canon 1. de modo eligendi Romanum Pontificem, atque legitur Cap. *Licet extra de elect.*, quo habetur: *Ex hoc tamen nullum canonicis Conſtitutionibus præjudicium generatur, in quibus majoris, & ſanioris partis debet ſententia prævalere, quia quod in eis dubium venerit, ſuperioris poterit judicio definiri: in Romana vero Eccleſia aliquid ſpeciale conſtituitur*, (videlicet ut electio Papæ fiat a duabus partibus Cardinalium) *quia non poteſt recurſus ad ſuperiorem haberi*. Igitur juxta hunc canonem Pontifex ſuperiorem non habet; illi igitur Concilium ſubeſſe neceſſe eſt. Hunc canonem animadvertere debuerat Boſſuetius ajens ex Lateranenſibus Conciliis nihil in favorem Pontificiæ cauſſæ expiſcatum iri. Obſervatione dignus eſt quoque canon 27., quo confiſcationis bonorum pœna in hæreticos decernitur, quæ pœna etiam ſtatuta fuerat a Concilio Turonenſi anno 1055. adverſus Berengarium celebrato can.4, fuitque poſtea ab aliis, ut infra pateſcet. In eodem Concilio Epiſcopi, qui in partes Imperatoris conceſſerant ſchiſma ſub hac formula abdicarunt apud Harduinum tom. 6. par. 2. *Anathematizo omnem hæreſim extollentem ſe adverſus S. R. Eccleſiam... & me obediturum juro, & promitto fidelitatem S. R. Eccleſiæ, & D. meo Alexandro, & Succeſſoribus ejus juſte intrantibus*. Quo de argumento, Deo auſpice, copioſe alibi.

Concilium Lateranenſe IV. ſeu generale XII. ſub Innocentio III. an. 1215. celebratum Sedis Apoſtolicæ auctoritatem maxime nobis commendat, ſuoque optimo loco collocat. Sunt revera, qui ab iſta Synodo nihil ſancitum eſſe ſcribant, uti M. Antonius de Dominis, Ludovicus Servinus in ſupremo Galliarum Senatu regius Cognitor in poſtulatione facta in eodem Senatu adver-

verſus librum Card. Bellarmini de poteſtate Pontificis in temporalia Regum; & Barclajus in Vindiciis adverſus eumdem Bellarmini librum, arbitrati canones Synodi hujus Lateranenſis nomine inſcriptos, unius Innocentii III. opus eſſe. Verum quotquot fuere ſcriptores, & Pontifices, qui de hac Synodo ſermonem inſtituerint, ei ſane canones adjudicant, qui in jure Canonico ſub ejus titulo paſſim laudantur. Vetus codex Ms. juris Cardinalis Mazarini canones hujuſce Concilii 70. græce ſimul, & latine exaratos exhibet, ex quo eoſdem edidit Coſſartius. Legendus Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. XIII., & XIV. diſſert. 1. art. 2. His ſtatutis can. 2. damnatus eſt liber Joachimi Abbatis contra Petrum Lombardum, nihil tamen decretum in Joachimi perſonam ea de re, *Quia Joachim omnia ſcripta ſua nobis aſſignari mandaverit* (inquit Innocentius) *Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda, vel etiam corrigenda; dictam epiſtolam propria manu ſubſcripſit, in qua firmiter confitetur ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ cunctorum fidelium, diſponente Domino, mater eſt, & magiſtra*. Canone 5. antiqua ſedium Patriarchalium privilegia inſtaurata ſunt, ſtatutumque, ut poſt Romanam Eccleſiam, *Quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum, utpote Mater omnium Chriſtifidelium, & Magiſtra*, locum habeant Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum &c. Jura vero Patriarcharum explicat in eo poſita, ut poſtquam a Romano Pontifice pallium acceperint, præſtito ſibi fidelitatis, & obedientiæ juramento, pallium & ipſi ſuis ſuffraganeis conferre poſſint (ſuffraganeorum nomine deſignari Metropolitas Patriarchis immediate ſubjectos obſervant Eruditi) recipientes per ſe profeſſionem canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem: ut Crucem ante ſe deferri faciant, niſi ubi Summus Pontifex, vel ejus Legatus præſens adſit: ut in Provinciis omnibus eorum juriſdictioni ſubjectis ad eos, quum neceſſe fuerit, appelletur; ſalvis appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum. Inſertus legitur lib. decret. tit. de *Privilegiis*. Equidem ad annum uſque 934. mos integer viguit, ut Conſtantinopolitani Patriarchæ non niſi a Romano Pontifice pallio donaren-

ren-

rentur, quo modo ſignificatam Conſtantinopolitani Patriarchæ ſub Romano Pontifice ſubjectionem obſervavit Luitprandus in legatione ad Nicephorum Phocam apud Baronium ad hunc annum. At ab eo anno Alberici Romæ tyrannidem exercentis, idque vi, ac minis extorquentis opera a Johanne XI. Theophylacto a Patre Romano Græcorum Imperatore in Conſtantinopolitanam Eccleſiam intruſo facta facultas eſt, qua impoſterum nulla præhabita a Romano Pontifice licentia pallio illi uti poſſent, ſuffraganeiſque ſuis id honoris impertire. Puto igitur privilegium iſtud legitimum non habitum a Pontificibus, ſiquidem neque inter Patriarchas ante Innocentii III. tempora Conſtantinopolitani Epiſcopi habiti fuerint. Quare quum primo Innocentius Conſtantinopolitano locum inter Patriarchas fecerit, ea lege feciſſe putandus eſt, ut a Romano Pontifice impoſterum pallium obedientia præſtita acciperet.

Eodem in Concilio Innocentius III. confirmavit ſtatutum in Synodo Monſpelienſi anno 1215. celebrata a Petro Beneventano Sedis Apoſtolicæ Legato, cui adfuerant 5. Archiepiſcopi, Epiſcopi 28., Abbatum vero, aliorumque ingens numerus, quo ſtatuto dominium Civitatis Toloſanæ, totiuſque ditionis, qua pridem potiebatur Raymundus Comes Albigenſium fautor, Simoni Comiti Montisfortis eorumdem Albigenſium debellatori collatum eſt. Ita refertur in decreto Innocentii apud Dacherium tom. 7. ſpicilegii, & in hiſtoria Albigenſium cap. 83. a Petro Monacho Vallis-Cernenſis exarata. Canone autem 3. habetur: *Damnati vero hæretici ſæcularibus poteſtatibus relinquantur animadverſione debita puniendi, Clericis prius a ſuis Ordinibus degradatis; ita quod bona hujuſmodi damnatorum, ſi Laici fuerint, confiſcentur, ſi vero Clerici, applicentur Eccleſiis ... ſi vero Dominus temporalis requiſitus, & monitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum, & ceteros provinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur: & ſi ſatisfacere neglexerit intra annum, ſignificetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipſe Vaſſallos ab ejus fidelitate denuntiet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, ſine ulla contradictione poſſideant, & in fidei puri-*

puritate conſervent, ſalvo jure Domini principalis, dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege ſervata circa eos, qui non habent Dominos Principales. Habentur hæc Cap. *Excommunicamus* de Hæreticis, lib. 5. decret. tit. 7.

Natalis diſſert. 3. in hunc canon. art. 3. contendit de Feudatariis dumtaxat intelligendum eſſe canonem, non vero de Regum dominio, quandoquidem canon iſte occaſione Raymundi Toloſani Comitis; Raymundi Rogerii Comitis Fuxenſis; Bernardi Comitis Convenarum, & Gaſtonis Vicecomitis Bearnenſis, qui ad Albigenſium defenſionem fœderati erant, conditus fuerit. Quorum ditiones Catholicis occupandas non exponere cenſet auctoritate propria, ſed de conſenſu Principum, qui per Oratores Concilio aderant, ſcilicet Friderici II. Imperatoris Roman.; Henrici Imperatoris Conſtantinopolitani; Philippi Regis Galliarum; Johannis Hieroſolymorum Regis; Andreæ Hungariæ; Johannis Angliæ; Hugonis Cypri; Jacobi Aragoniæ: idque oſtendere conatur, tum ex Ludovico S. Ludovici patre, cujus Oratores ad Innocentium III. miſſi, ut jura ejus in Angliæ Regnum adverſus Johannem tuerentur, dixere: *Non credit Dominus Ludovicus, quod Concilium poſſit ei jus ſuum auferre*: tum ex Angliæ Proceribus, qui ad Bonifacium VIII. poſtmodum ſcripſere: *Omnium noſtrum conſenſus fuit, & erit in futurum, quod Dominus noſter Rex ſuper juribus Regni Scotiæ, aut aliis ſuis temporalibus non reſpondeat judicialiter coram Vobis, nec judicium ſubeat quoquo modo*: tum ex conſtitutione Friderici II. adverſus hæreticos data Patavii an. 1225., in qua canonis 3. Later. IV. verba tranſcribit, ſibique tribuit, quæ Concilium tribuit Pontifici: *Si vero*, inquiens, *Dominus temporalis requiſitus, & admonitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica pravitate, poſt annum a tempore monitionis elapſum terram ipſius exponimus Catholicis occupandam &c.*: tum denique ex ipſo Innocentio III. Cap. *Per venerabilem*, *qui filii ſint legitimi* lib. 4. decret. tit. 17. relato epiſt. 138. lib. 5. edit. Baluzii: Comiti enim Montiſpeſſulani roganti, ut filios, quos ex adulterio ſuſceperat, ingenuitate donaret, ſicuti filios a Philippo ex Maria Moravia poſt In-

gelburgis repudium ſuſceptos legitimos declaraverat, reſpondit Pontifex cauſſam eſſe longe diſſimilem, inter alia diſcrimina hoc adducens: *Inſuper quum Rex ſuperiorem in temporalibus minime recognoſcat, ſine juris alterius læſione in eo ſe juriſdictioni noſtræ ſubjicere potuit, in quo videretur aliquibus, quod per ſe ipſum non tamquam Pater cum filiis, ſed tamquam Princeps cum ſubditis potuit diſpenſare, tu autem noſceris aliis ſubjacere.*

Verumtamen alia plane ratione hunc canonem 3. Concilii Later. IV interpretati ſunt Bellarminus,& Perronius,quos immerito cit. loco Natalis exagitat: tria namque edicit canon iſte. 1. Suis ditionibus exutos voluit Comites illos Albigenſibus fœderatos,qui quidem Regis Galliæ beneficiarii erant, non tamen ſubditi erant Eccleſiæ, quæ proinde ſententiam in eos non alia ratione, niſi qua hæreticorum fautores, ac pœnis Eccleſiæ ſubjectos tulit. 2. Etiam in ſupremos ipſorum Dominos ſuam poteſtatem, & pœnam eamdem extendit, nam ipſorum jus ſolum voluit illæſum, dummodo latæ ſententiæ obſtaculum non appoſuiſſent. 3. Decernens canon denuntiandos ſubditos abſolutos a juramento fidelitatis, vult plane locum habere etiam quoad non habentes Dominos principales, qui proinde ſunt ſupremi. Natalis contendit eo canone Concilium attendendum voluiſſe conſenſum Principum, ex quo robur canon ille obtineret. At vero canon, ut dixi modo, quum in ipſos ſupremos Reges animadvertat, quando impedimenta appoſuiſſent ſuis decretis, proinde fit palam Concilium non attendiſſe eo in canone Principum conſenſum, quum in eoſdem Principes extendat pœnam. Præterea per tò *Salvo jure Domini principalis* Rex Galliæ plane in eo canone deſignabatur, cujus beneficiarii erant Comites illi Albigenſibus fœderati: igitur per tò *Dominos principales*, quod paucis interjectis legitur in eodem canone, non Beneficiarii, ſed ſupremi Domini ſignificantur, ſeu Principes. Rurſus non recte Natalis autumat *pro non habentibus Dominos principales* intelligendos eſſe non Principes, ſed Francos Allodios, ſeu eos, qui ditiones ſuas ab Eccleſia ſolo beneficiario jure obtinebant: nam in eo canone deſignati Comites Albigenſibus adhærentes, quia Regis Galliæ beneficiarii, Dominum principalem habebant, unde dicitur *ſalvo jure Domini principalis*:

palis : igitur Eccleſiæ quoque beneficiarii, ſeu feudatarii Dominum habent principalem, nec dicendi ſunt tantummodo Franci Allodii. Poſtremo Franci Allodii nullum quidem Dominum principalem ratione prædiorum habent; attamen Principi ſubjecti ratione juriſdictionis impropriiſſime dicerentur non habere Dominos principales. Nihil autem moramur reſponſa ſive Ludovici VIII., ſive Anglorum Procerum; iis enim canonem huncce objicimus: vel reſponſa illa vera ſunt de dominio directo. Friderici II. vero conſtitutio eſt plane executiva ſententiæ canonis, ut quæ canonem ipſum uſurpat. Innocentii autem reſponſum, ut ex ſerie ipſa, & tenore pateſcit, intelligendum eſt de dominio directo, quod certe a nullo exerceri in ſupremos Principes aliena poteſtate valet. Sed de his id obiter dictum eſto. Confer. Doctiſs. Roncaliam in præfat. Natalis locum; & Blancum de polit.; & poteſt. Eccleſ. tom. 1, & 2. multis adverſus Boſſuetium diſputantem. Eodem in Concilio etiam de rebus Imperii actum eſt, atque rejecto Ottone illud Friderico aſſertum fuiſſe refert ex Richardo a S.Germano Raynaldus: *Innocentius*, inquit, *quum a B. Martini ad S. Andreæ feſtum ter Concilium coegiſſet, electionem Principum, qui Fridericum ſalutarant Imperatorem, confirmavit*. Contendentibus jampridem de Imperio Philippo Sueviæ Duce, & Ottone Saxone, ab Innocentio Ottonis electionem confirmatam, uti habetur Cap. *Venerabilem de elect.*, refert Pagius in brev. hiſt.crit. in Innocentio. Johannem quoque Angliæ Regno privaſſe, quod ad Galliæ Regem tranſtulit; etſi poſtmodum eidem reſtituerit. Filio demum Andreæ Regis Hungariæ ſcripſiſſe, ut votum belli ſacri exſolveret, paterna alias hæreditate privandus: & habetur Cap. *Licet de voto*.

Innocentium III. nihiloſecius ſe Concilio generali ſubditum agnoviſſe, & ab eo ſe poſſe coerceri faſſum in epiſtola ad Philippum Galliæ Regem 106. lib. 15. contendit Natalis hiſt.Eccl. ad ſæcul.XV, & XVI. diſſert.4.§.4.n.31. Rogatus enim a Rege, ut ſuum dirimeret cum Iſemburge matrimonium, inter alia reſpondit: *Verum ſi ſuper hoc abſque generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam, & mundanam infamiam, quam ex hoc poſſemus incurrere, forſan ordinis, &*

officii nobis periculum immineret, quum contra præmiſſam veritatis ſententiam (quod Deus conjunxit, homo non ſeparet) *noſtra non poſſit auctoritas diſpenſare*. Launojus ex eodem reſcripto infert Innocentium agnoviſse ſe Concilio inferiorem non modo, ſed etiam ſe ab errore haud eſse immunem, atque hanc immunitatem ſolo Concilio eſse tribuendam. Verumtamen de re indubia, ſcilicet de matrimonii rite celebrati, & conſummati indiſsolubilitate agebatur, quod indiſsolubile plane eſse ex Chriſti D. verbis, *Quod Deus conjunxit* &c., Innocentius recte pronunciarat: *Quum contra præmiſſam veritatis ſententiam*, inquiens, *noſtra non poſſit auctoritas diſpenſare* &c., addens, quod ei adnuendo, divinam offenſam, & mundanam infamiam incurreret. At hinc quis rite inferat juxta Innocentium potuiſse Concilium diſpenſationem, quam ipſe denegabat, concedere, ac proinde ſe Concilio agnoviſse ſubjectum? Quis rite inferat ſe errori circa fidem obnoxium adfirmaſse, qui ait ſe concedere id abſque Dei offenſa non poſse? Dum igitur dixit *ſi ſuper hoc abſque generalis Concilii* &c., noluit ſignificare id poſse Concilium, quod ipſe non poterat; ſed vel ita reſcribendum duxit, oportere ſcilicet convocari ad id Concilium, ut Regem ab ea iniqua petitione arceret: vel ſignificare voluit, quod ſi id conceſſiſset abſque Concilio, hæreſis criminis incuſari potuiſset, quaſi crederet nempe matrimonium conſumatum poſse diſsolvi. Quo in caſu Concilio generali fas fuiſset in ipſum animadvertere, quod periculum ut ab ſe proinde amoveret, Concilii ad id opus eſse reſpondit. Non moror autem Natalem hactenus diſputatis adhuc contranitentem, ſiquidem magis eum pudere debuiſset tam levia obtrudiſse, quam me pigeat hiſce diluendis operam ludere. Nec magis moror Boſsuetium ab Innocentio circa ſacramenti pœnitentiæ ſigillum graviſſime erratum affirmantem: ſiquidem opportuniori loco, & tempore me ei facturum ſatis ſpondeo. Potius obſervaverim obiter huicce Concilio Maronitarum, ac Surianorum Patriarchas interfuiſse, unaque cum ipſis ingenti numero Maronitas, Armenos, Georgianos, & Jacobitas, ejuratis ſive erroribus, ſive ſchiſmate, ſive etiam ritibus, ad Eccleſiæ Romanæ dogmata, & diſciplinam acceſſiſse: Innocentio faſces ultro citroque demiſiſſe, fidem-

fidemque illi ſuam omnem deſpondiſse; uti ex Guillelmo Tyrio, Gauffrido Monacho, & auctore Chronici Belgici refert Gabriel Coſſartius in addit. ad Concil. Later. IV. Quo plane modo Orientales illi probro cedunt Latinis hiſce, qui Pontificibus ſummis ſe minus æquos præbent.

Ex Lugdunenſi I. ſub Innocentio IV; Lugdunenſi II. ſub Gregorio X; & Viennenſi ſub Clemente V.

§. III.

Concilium Lugdunenſe I. generale XIII. ſub Innocentio IV. anno 1245. celebratum de Pontificia auctoritate, quid non præclarum, quid non magnificum præfert? Initio attingam, quin operæ faciam diſpendium, quæ ſupra Imperatoriam Pontificiam efferunt poteſtatem. A Gregorio IX. Pontifice Maximo jam bis, ideſt anno 1228, & anno 1230. Fridericus II. Imperator anathemate innodatus fuerat, ejuſque ſubditi a fidelitatis ſacramento abſoluti, quo ſive Imperii, ſive Regni Siciliæ ratione illi eſſent obſtricti, ea de re, quod ob ingentia ſcelera de fide catholica non bene ſentire videretur Imperator, auctore Pagio brev. hiſt. crit. in Gregorio IX: ut proinde animadverſio in Fridericum non tamquam in fiduciarium, ſeu feudatarium Romanæ Eccleſiæ ob Regnum Siciliæ lata a Gregorio dicenda ſit, ut contendit Natalis, ſed tamquam in hæreticum, ſeu de fide ſuſpectum lata fuerit, ac perinde in ipſum tamquam Imperatorem. Idque magis confirmatur ex Gregorii epiſtola ad S. Ludovicum Galliæ Regem data, qua, *Noverit*, inquit, *dilectus filius Eccleſiæ ſpiritualis Illuſtris Rex ... nos deliberatione, & tractatu diligenti omnium fratrum noſtrorum* (in Romana Synodo) *condemnaſse, & a culmine Imperiali abjudicaſse Fridericum dictum Imperatorem, & Robertum Comitem fratrem* (S. Ludovici) *Regis Francorum loco ipſius elegiſse*. Quoniam vero ingratiſſimus, æque ac iniquiſſimus Imperator ab Innocentio III. ad Imperii faſtigium evectus, a Gregorio IX. dejectus modum ſceleribus facere neſciebat, nolebatque; in Concilio Lugdunenſi I. ſeſſ. 3. diris omnibus

bus devotus, & a culmine rurſus Imperii deturbatus ab Innocentio IV. cum Patrum conſenſu eſt: *Nos*, (inquit Pontifex in ſententia inſerta 6. decret. tit. de ſent. Cap. *ad Apoſtolicam*) *Nos ... cum fratribus noſtris, & ſacro Concilio deliberatione præhabita diligenti, quum Jeſu Chriſti vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobiſque in B. Petri Apoſtoli perſona ſit dictum:* Quodcumque ligaveris *&c. Memoratum Principem.. .ſuis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore, & dignitate privatum a Domino oſtendimus, denuntiamus, ac nihilominus ſententiando privamus: omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur obſtricti, a juramento abſolventes* &c. ... *Illi autem, ad quos in eodem Imperio Imperatoris ſpectat electio, eligant libere ſucceſſorem*, (fuitque electus Henricus Thuringiæ, & Haſſiæ Lantgravius) *de Siciliæ vero Regno providere curabimus*, (hoc enim beneficiarii juris erat Eccleſiæ.) Hæc vero hic eo uno conſilio protulimus, & perſequimur, ut ex agendi ratione, quam in Concilio erga Imperatorem Innocentius adhibuit, pateſcat Concilio probatam perinde fuiſſe eamdem agendi rationem, qua Pontifex ſe Concilio præferebat, ac ſe Concilio ſuperiorem eſſe ſignificabat.

Natalis poſtquam diſſert. 5. de Concilio Lugdun. I. art. 3. n. 4. dixiſſet Fridericum dominiis temporalibus, quæ beneficiario jure ab Eccleſia non tenebat, Pontificis Romani, vel Synodi ſententia privari non potuiſſe, ſententiam n. 8. retractans a Synodo latam non fuiſſe exauctorationis in Fridericum ſententiam, ſed a ſolo Innocentio contendit. Nimirum id unum curandum maxime ei erat, ut Innocentium tantum, non Concilium, in errorem prolapſum relinqueret. Id vero ex eo ſe conficere autumat, tum quod Pontifex illam ab ſe ferri dixerit, non ſacro approbante Concilio, ſicuti in aliis decretis conſueverat, ſed ſacro dumtaxat præſente Concilio: tum quod Albertus Abbas Stadenſis in chron. eam a Papa auctoritate propria latam referat: tum quod hiſtorici perhibeant ad hanc ſententiam exhorruiſſe Patres. Verumtamen vehementer a vero aberrat Natalis. Enim vero verba in ſententia relata: *Nos... cum fratribus noſtris, & ſacro Concilio deliberatione præhabita diligenti* apertiſſime evincunt Concilii approbationem, atque non ſolum circa excommunicationem, ſed etiam

etiam circa depoſitionem anteceſſiſſe. Quis enim ajat a Pontifice conſultos Patres de ſententia excommunicationis, non vero depoſitionis? Unde Pagius in Innocentio IV. veriſimillimum cenſet eum titulum *Sacro præſente Concilio* non eſſe ipſius Innocentii, ſed ab exſcriptoribus, uti in ſimilibus ſæpe accidit, adjectum. Præterea Matthæus Pariſius, vir ſane hac in re neutiquam ſuſpectus, qui ceteris fuſius, & diligentius acta Concilii Lugdunenſis I. in hiſtoria Anglicana perſequutus eſt, ita refert: *Hæc igitur in medio Concilio prolata cunctis audientibus ad inſtar corruſcantis fulguris non mediocriter timorem omnibus incuſſerunt. Magiſtri igitur Thaddæus de Sueſſa, & Walterus de Ocra, & alii Procuratores Imperatoris, & qui cum ipſis erant, emiſſo ejulatu flebili, hic femur, hic pectus in indicium doloris percutientes vix a lacrymarum profluvio ſe ſe continuerunt: & ait magiſter Thaddæus: dies iſta dies iræ, calamitatis, & miſeriæ. Dominus igitur Papa, & Prælati aſſiſtentes Concilio candelis accenſis in dictum Imperatorem Fridericum, qui jam Imperator non eſt nominandus, terribiliter recedentibus, & confuſis ejus Procuratoribus, fulgurarunt.* Hæc Pariſius, vir ſane Pontificibus non multum adjectus. Rurſus idem Pariſius hæc perhibet: *Affirmavit Dominus Papa hæc omnia, maxime autem, quæ de Principe ſtatuit, ſe irrevocabiliter ſervaturum: hæc autem quum intellexiſset magiſter Thaddæus ab imo trahens ſuſpiria ait, intelligo nullum remedium patere diſcrimini: ejulanſque, & flens ſubintulit: vere dies iſta dies iræ, ſicut antea dixerat, quum ad Concilium plenum omnes Prælati candelas ſuas accenſas inclinarent, & extinguerent, excommunicatum Imperatorem deponentes.* Nicolaus quoque de Curbio Ord. Min., qui erat Innocentio a confeſſionibus, ac teſtis oculatus geſtorum Concilii, in vita ejuſdem Innocentii cap. 14, poſtquam ſententiam in Fridericum latam a Pontifice deſcripſiſſet, ſubjungit: *Quæ fuit ab univerſis Eccleſiarum Prælatis in eodem Concilio reſidentibus approbata, ſicut liquere poteſt omnibus tam præſentibus, quam futuris per ſubſcriptionem ipſorum, & eorumdem ſigilla pendentia in eodem.* Plane hoc argumentum latæ ſententiæ a Concilio invictiſſimum eſt, quod ex actis Concilii pateſcat teſte Nicolao de Curbio, ei ſententiæ ſyngrapham, & ſigillum appoſita

ſita fuiſſe ab Epiſcopis univerſis. Ex quo perinde conficitur, in eam eatenus Concilium conſpiraſſe ſententiam, quod eamdem Innocentio inſediſſe perſpiceret, neque proinde in alteram abire ſibi fas eſſe pro ſua, qua erga Pontificem obedientia afficiebatur, perſuaſum haberet. Quod quid aliud præfert, quam quod in Concilio rerum tam gravium ſumma unum penes Pontificem integra ſteterit; ſtareque plane Concilium ipſum probe intellexerit?

At Natalis reponit, ſi qui Prælati ſubſcripſere, id conciliariter factum non fuiſſe, quæſtione ſcilicet in deliberationem antemiſsa, utrum exauctorari Imperator poſſet. At inanis evaſio eſt; nam ex citatis verbis ſententiæ, & iterum ex litteris Innocentii IV. ad Comitia generalia Ordinis Ciſtercienſis liquido conſtat diligentiſſimo, quo exactius deſiderare non eſset, examini fuiſse ſuppoſitam: *Non enim meminimus*, ait Innocentius in laud. litteris, *unquam cauſsam cum tanta deliberatione, & diligenti examinatione fuiſse excuſsam, & peritorum, atque Sanctorum mentibus libratam extitiſse*. Præterea putaſne Procuratores Imperatoris, præſertim Thaddæum virum juris peritiſſimum id neglecturos fuiſse, ſcilicet ut Pontifici, & Patribus exponerent diligenti diſcuſſione opus eſse, utrum Eccleſia Imperatorem gradu queat dejicere? Eadem, quæ Nicolaus de Curbio, ſcilicet nedum a Pontifice, ſed a Concilio exauctoratum Fridericum, teſtantur Guillelmus Nangius in geſtis Philippi III; Monachus Paduanus lib. 3. chron. pag. 561; Henricus de Knygthon canonicus Leyceſtrenſis lib. 11. de eventibus Angliæ pag. 241. &c. Poſtremo in 2. ſeſs. Concilii, quum nihil in mala cauſsa ſe promovere Thaddæus Imperatoris partes agens perſpiceret, pro eo ad Concilium proxime futurum generalius provocavit. At vero ſi ſententia a ſolo Innocentio fuiſset prolata, nonne Thaddæo fuiſſet ſatius ad præſens Concilium appellare? Si vero Concilium ſupra Pontificem ſe eſse agnoviſset, & agnoviſset Thaddæus, nonne ſententiam Pontificis examini potuiſset ſubjicere, utque ſubjiceretur impetraſset equidem ille, cujus preces Galliæ, & Angliæ Regum Oratores ſuſtentabant? Næ ergo Natalis, æque ac Thaddæus malam cauſsam defendendam ſuſcepit?

Ve-

Verum obtrudit rurſus Natalis n.16. dubitari jure potuit,an Eccleſiam univerſam ſufficienter Concilium illud repræſentaret, quum e Regno Hungariæ nulli advenerint Epiſcopi, nulli ex Germania, nullus ex Terra ſancta, præter unum Berytenſem Epiſcopum. Demum conciliariter, ait, lata hæc ſententia non fuit, quia illud dumtaxat Synodi œcumenicæ auctoritate factum dicendum eſt, quod univerſa amplectitur Eccleſia: at eam in Fridericum ejaculatam ſententiam non admiſit tota Germania, non tota Italia, non tota Gallia, non tota Anglia. Verumtamen reſpondeo 1, quod ſi ſemel hujuſce generis reſponſa adhibita patienti aure exciperentur, quid erit quæſo in Eccleſia ſacratius, quod loco ſubſiſteret, nec ſuſdeque rueret? Cui enim ſtatim non occurret ſibi Conciliorum decreta objicienti obtendere id non conciliariter actum? Id illegitime, præterque jus,& fas a Concilio attentatum? Id propterea ab Eccleſia non acceptum? Reſpondeo 2. ſolummodo à viris ſubleſtæ fidei dubitari impune poſse num Lugdunenſe I. œcumenicum, ſeu generale fuerit: nam convocatione generale fuiſse oſtendunt encyclicæ ab Innocentio IV. ad Reges omnes, & Epiſcopos directæ. Celebratione etiam generale fuiſse oſtendunt, qui interfuere: interfuere etenim Pontifex ipſe, Cardinales, Patriarchæ tres Conſtantinopolitanus, Antiochenus, & Aquilejenſis; Archiepiſcopi, & Epiſcopi ex Galliis, Hiſpania, Italia, Anglia, Scotia, & Hibernia acciti 140. Abſentium vero Procuratores plurimi, Abbates &c. Imperatoris ipſius, & Regum pariter Oratores. Ex Germania pauci admodum quidem acceſsere ob turbas a Friderico excitatas; ex Hungaria nemo interfuit ob vaſtationem a Tartaris inlatam: ſed id non officit, quominus generale Concilium fuerit, quum ſatis fuerit Epiſcopos accerſitos fuiſse, de reliquo ſupplente defectum omnem Pontificis Summi præſentia, uti in ſimili de Concilio Nicæno II, ſeu Synodo VII. in epiſt. ad Tharaſium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcripſerant Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus. Sane ultro citroque eidem Concilio ſe ſubjecit Fridericus, miſſis ad illud Oratoribus pro ſe reſponſuris; & Thaddæus, qui ſeſs. 2. ad Concilium generalius provocaverat, cuique Innocentius reſponderat: *Satis eſt Concilium generale mul-*

torum .... Patriarcharum , Archiepiſcoporum , Epiſcoporum , & aliorum de diverſis Mundi partibus nobilium , vel eorum Procuratorum: & qui abſunt, laqueis Domini tui impediuntur irretiti; Thaddæus, inquam, ſeſſ. 3. audita ſententia ait: *Intelligo nullum remedium patere diſcrimini*.

Nec verum eſt, quod attexit Natalis Fridericum uni, ac ſoli Pontifici ſententiam in ſe latam tribuiſſe: nam tametſi de Innocentio præſertim queratur, tamen in litteris ad Regem Angliæ apud Goldaſtum tom. 2. Conſtit. Imper. conqueritur de quibuſdam Epiſcopis Hiſpanis, quatenus in Concilio teſtes adverſus ipſum ſtetiſsent; & in litteris ad Regem Angliæ apud Pariſium conqueritur de Innocentio quidem, ſed ſubjungit: *Qui vocata Synodo, ut aſſerit, generali contra nos nec citatos, nec convictos auſus eſt depoſitionis ſententiam ſtatuere*. Non ignorabat ergo in Synodo id actum. Neque veri magis eſse ſimile, quod ait Natalis a Gallia, Italia, & Anglia ſententiam illam non fuiſſe admiſſam, ex eo pateſcit, quod horum Regnorum Epiſcopos Concilio Lugdunenſi interfuiſse certo certius eſt, ab eiſdem vero intortam etiam illam ſententiam nos ſatis evicimus. Fuere enim vero ex Germania, & Italia plerique, qui partes Friderici ſectarentur, ut exinde in duas factiones, pro Imperatore unam, quæ Gibellinorum, pro Pontifice alteram, quæ Guelphorum deinceps audiere, ſcinderentur: ſed eæ ex laicis potiſſimum conflatæ ſunt, quorum plane in rebus fidei acceptatio non attenditur; ſiquidem a Paſtoribus Oves, non viceverſa, fidem exigere debeant. Poſtremo Fridericus gradu dejectus cauſsam ſuam S. Ludovico Regi commiſit litteris ad ipſum datis, quas refert Duchangius: S. Ludovicus vero Innocentium Lugduni adhuc agentem adiit, rogans enixe, conditionibus ejus nomine oblatis, quatenus Friderico ſe adhuc indulgentiorem præberet; quem nihilominus Pontifex obfirmato pectore repulit ajens, non ſuam tantum, ſed totius Eccleſiæ cauſsam agi; Imperatorem vero fidem omnino fluxam gerere, ut qui promiſsa jurisjurandi religione firmata ſæpe violaſset. Gallicanam item Eccleſiam ſententiam illam acceptam habuiſse confirmatur ex Synodo Valentina in Gallia celebrata anno 1248, in qua a Legatis Apoſtolicis, Archiepiſcopis 4.,

Epiſ-

Epiſcopis 15. intorta iterum ſententia excommunicationis eſt in Fridericum, quem vocant quondam Imperatorem. Germaniæ vero potiorem Epiſcoporum partem eidem ſententiæ in Concilio Lugdunenſi latæ adhæſiſse ex eo liquet, quod acceptis litteris Innocentii, quibus Principes electores jubebantur ad alterius Imperatoris electionem devenire, atque Henricus Thuringiæ Lantgravius proponebatur, Principes maxime Eccleſiaſtici, quamvis ex laicis plerique obſiſterent, mandatis Pontificiis obtemperantes abnegato Friderico Henricum in Germaniæ Regem hujus nominis VII. elegerunt. Referuntur hæ litteræ a Raynaldo ad annum 1246: ſed hactenus de his, quæ ſi fuſius forſan, quam fuiſſet par, perſequuti ſumus, iccirco fecimus, ut palam fieret, primas, ac præcipuas in Concilio partes a Pontifice fuiſse peractas: Pontifici præeunti Concilium obſequutum: pronuncianti obaudiviſse: a Pontifice appellanti non auſcultaſse: ideſt Pontificem ſupra ſe potem agnoviſse.

Concilium Lugdunenſe II. generale XIV. ſub B. Gregorio X. anno 1274. pro unione Eccleſiæ Græcæ, quam a Latina olim a Photio abſtractam, ei vero rurſus conſociatam, denuo Michael Cerularius, & Leo Acridanus in ſchiſma adduxerant, coactum fuit. De hocce unionis negotio jam egerant cum Michaele Palæologo Urbanus IV, & Clemens IV, qui proinde ea occaſione non levia ſuæ auctoritatis documenta tradidere. Urbanus ſiquidem ſciens Græcos de Romano Pontifice male ſentire, ut viam pararet unioni, operæ pretium duxit Michaelem Imperatorem ea de re inſtruere. Datis igitur ad eumdem litteris, quas legere eſt apud Raynaldum ad annum 1263, per 4. Fratres Minores ejus Legatos miſſis, & apud Wadingum ad eumdem annum, inter alia ſic loquitur: *Ut igitur hujuſmodi unitatis Eccleſiæ gratia firma, & illibata penitus ſervaretur, unum eidem unitati Dominus, videlicet B. Petrum Apoſtolorum Principem, Caput conſtituit, & Magiſtrum, ut illam, quaſi Noe arcam, extra quam animantia derelicta in aquas diluvii ſubmerguntur, in ipſo Apoſtolorum Principe velut in uno cubito conſummaret; eique magiſterium Eccleſiæ ſuæ conferens, & Primatum, oves, & agnos ſuos paſcendos præmiſſa trina interrogatione commiſit, & ne ipſius Principis fides defi-*

ceret aliquando, efficaciter pro ipſo exoravit, quod quum poſtmodum aliarum Eccleſiarum nonnullæ fuerint hæreticorum errore fœdatæ, Romana Eccleſia, cujus ipſe B. Petrus Magiſter extitit, immaculata remanſit; nullamque prorſus labem contraxit hæreticæ pravitatis. Neque huic inſtitutioni Dominicæ SS. Patres poſtmodum reſtiterunt, ſed ipſius Principis ſucceſſorem tamquam illum, qui Chriſti vices in terris obtinet, venerantes, & ad ejus judicium in fidei recurrentes dubiis, ejus auctoritate hæreſes condemnarunt, manentes ſicuti membra in eorum capite, Apoſtolico ſcilicet throno Pontificum Romanorum, a quo quærendum eſt quid ſit tenendum, quidve credendum, quum ejus ſit reprehendere, ſtatuere, ordinare, diſponere, præcipere, ſolvere, & loco illius ligare, qui ædificavit illum, & quod nulli alii, ſed ipſi ſoli, quod plenum eſt tradidit, & conceſſit. Huic etiam throno omnes Catholici jure divino caput inclinant, & Primates mundi veram confitentes fidem, tanquam ipſi Domino Jeſu obediunt, & intendunt; ac in illum tanquam in Solem reſpiciunt, & ab eo lumen veritatis, & fidei ad ſalutem recipiunt animarum. Tale ergo eſt Romani Pontificis divinitus collatum magiſterium, ut ex ipſius auctoritate hæreſes fuerint condemnandæ; ab ipſo quid credendum quærendum eſſet; ipſi tanquam Chriſto Domino eſſet obediendum, & in ipſum tanquam in Chriſtum intendendum, quum ab eo lumen veritatis, & fidei dimanet. Hæc ſcribebat Urbanus pro inſtructione fidei ad Imperatorem ſchiſmaticum: hæc ſcribens putaſne Concilio erit ſubjectus, ac a fide devius eſſe poterit?

Urbano vita functo de eadem unione a Clemente IV. ejus ſucceſſore, retractatum eſt, qui proinde Michaelem Palæologum ardentius unionem expetere ſibi viſum inſtruere proſequens, poſtquam myſteria fidei, & ſacramenta ei credenda expoſuiſset, quæ de Romano Pontifice credenda forent explicans, litteris datis, quas apud Raynaldum ad an. 1267. legere eſt, poſtquam dixiſset B. Petro in Eccleſiam univerſam plenum, ſummumque Primatum fuiſse collatum, eique Romanum Pontificem in pari poteſtatis plenitudine ſuccedere, ſubjungit: *Quod ſicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debet judicio definire: ad quam Eccleſiam Roma-*

manam poteſt gravatus quilibet in negotiis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus appellare. Sed & in omnibus cauſſis ad examen Eccleſiaſticum ſpectantibus ad ipſius poteſt recurri judicium, & eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubjectæ, ipſarumque Prælati & obedientiam, & reverentiam ſibi debent; apud quem ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quod Eccleſias ceteras ad ſollicitudinis partem admittit, quarum multas, & Patriarchales præcipue diverſis privilegiis eadem Romana Eccleſia honoravit; ſua tamen prærogativa, tam in generalibus Conciliis, quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalva.... Nec licet, nec expedit in dubium revocari præmiſſam veræ fidei puritatem, tot ſacræ paginæ auctoritatibus, tot Sanctorum roboratam ſententiis, tot Romanorum Pontificum ſtabili definitione firmatam. His homines ſchiſmatici edocebantur ab uno Pontifice finitivo, irreformabilique judicio fidei quæſtiones definiri, unumque Pontificem penes Eccleſiaſticæ poteſtatis ſummam, ſive plenitudinem in ceteros promanandam conſiſtere. Ex quibus certe conſequi oportet eumdem gemino indefectibilitatis a fide, & poteſtatis ſupra Concilia privilegio a Deo fuiſse cumulatum.

Verum jam antea Innocentio IV. ante Palæologum a Johanne Duca, Batatze dicto, Græcorum Imperatore Romam miſſi pro eadem unione Legati ſequentia capitula Græcorum nomine obtulerant. 1. Romanæ Sedi, ejuſque ſummo Pontifici præ ceteris Patriarchalibus ſedibus ſummi recognitionem, ac profeſſionem in Eccleſia Principatus: canonicam obedientiam Innocentio, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus exhibendam. 2. Prærogativam appellandi ad Romanam Eccleſiam, quum ſacræ perſonæ Eccleſiæ Græcorum a ſuperioribus ſuis crediderint ſe gravari. 3. Liberum recurſum ad Sedem Apoſtolicam in quæſtionibus, quas inter Prælatos, & alias perſonas Eccleſiaſticas Græcas contigerit ſuboriri. 4. Obedientiam quoque in ſententiis, quas Romanus Pontifex ſacris non adverſas canonibus promulgabit. 5. In Conciliis eidem Pontifici primam ſedem, & primam ſubſcribendi vicem, quum ſubſcriptiones fuerint faciendæ. 6. In quæſtionibus fidei, ſi quæ ibidem fortaſſis emerſerint, præ aliis dare ſententiam, ſuæque voluntatis proferre judicium; quod, dummodo Evangelicis, & canonicis non obviet inſtitutis, obe-

obedienter ceteri ſuſcipient, & ſequentur. 7. In aliis vero Eccleſiaſticarum perſonarum cauſſis, & negotiis, quæ in Conciliis tractabuntur, ſententiis, quas Romani Pontificis dictabit auctoritas, dummodo ſacrorum non adverſetur Conciliorum decretis, ceteri adquieſcent. His promiſſis capitulis petebant Græci Oratores reſtitui Græcis Sedes Patriarchales amotis Latinis. Hæc Græcorum legatio ad Innocentium IV. ob turbas Eccleſiæ Latinæ, & obitum Innocentii effectu caruit, & dilatum eſt negotium uſque ad Alexandrum IV, a quo Legati Conſtantinopolim pro unionis negotio remiſſi cum inſtructione ſunt, ea conceſſione facta Græcis, ut ſymbolum abſque additamento *Filioque* recitarent, modo in ipſo fidei dogmate cum Romana Eccleſia convenirent. Quem vero exitum ejuſmodi legatio ſortita ſit, non conſtat: conſtat tantum unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina abſolutam non fuiſſe, niſi in Concilio, quo de agitur. Interea tamen id obſerves ex antea dictis, ſcilicet ex capitulis a Græcis oblatis Græcos ne dum confeſſos fuiſſe, atque ſubinde ab Urbano IV, & Clemente IV obſtrictos ad confitendum Romani Pontificis Primatum, ut optime notavit P. Petitdidier tract. Theolog. de infallib., & auctorit. Rom. Pontif. cap. 10., ſed etiam Romani ejuſdem Pontificis in Concilia ſupremam auctoritatem, ac in fidei cauſſis indefectibilitatem, quæ duo Privilegia, vix ac ne vix quidem ab ejuſdem Primatu queunt divelli.

Itaque B. Gregorius X. Pontifex Maximus pro eo, quo flagrabat conciliandæ unionis ſtudio, Conſtantinopolim miſſis Apocriſariis Religioſis 4. hominibus ex Ordine Fr. Minorum cum formula fidei, (eadem nempe, quam conſcripſerat Clemens IV. ſuperius relatam) quam ipſe, Patriarcha, & Epiſcopi, nec non Clerus Eccleſiæ Græcæ profiteri deberent, (nam eam profeſſionem fidei, præſertim circa Romani Pontificis privilegia, ſicuti Clemens IV, ſic Gregorius X. in anteceſſum a Græcis exigebant, antequam Concilium indiceretur, ſiquidem illam verbo Dei ſcripto, & tradito jam ſatis firmatam in Concilio ad incudem revocari omnino nolebant,) Michaelem Imp. hortatus eſt, ut ad Synodum veniret ipſe, vel Oratores mitteret, ſicuti & ceteros Græcos Epiſcopos. Igitur ſeſs. 3. ad Concilium advenere Oratores Græci, non Impe-

Imperator, ut putarunt aliqui, Patriarcha, & Epiſcopi Græci deferentes litteras Imperatoris Palæologi ad Gregorium X. inſcriptas *ad Primum, & Summum Pontificem*, quæ perlectæ ſunt ſeſs. 4. His porro in litteris catholicam fidem profitebatur ſecundum formulam ab Apoſtolica Sede ſibi præſcriptam, atque inter alia de Romano Pontifice hæc habebat, quæ planiſſima ejuſdem privilegia faciunt, ut proinde de iis ſubdubitandi locus omnis impoſterum fuerit ademptus: *Ipſa quoque Romana Eccleſia ſummum, & plenum Primatum, & Principatum ſuper univerſam Eccleſiam Catholicam obtinet, quam ſe ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe, ſive Vertice, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſsor, cum poteſtatis plenitudine recepiſse veraciter, & humiliter recognoſcit: & ſicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debent judicio definiri: ad quam &c.* ut in litteris Clementis IV. ſupra deſcriptis continetur. Eadem ſeſſione perlectæ quoque litteræ Epiſcoporum Græcorum, quibus ſe cum Imperatore eamdem de Romano Pontifice fidem tenere profitebantur. In ſeſs. 4. eadem Gregorius Acropolita magnus Logotheta Imperatoris Orator ejus nomine, ſicuti & ceteri Græcorum Præſulum Legati, & Epiſcopi præſentes ſchiſmate ejurato fidem Catholicam Eccleſiæ Romanæ profeſſi ſunt, atque eam quidem profeſſionem edidere, quæ lecta fuerat in Concilio, & habetur Cap. *de ſumm. Trinit., & Cathol. fide in 6.*, eſtque prima ex Conſtitutionibus in Concilio promulgatis. Proinde falſa profecto ſunt, quæ quidam Græculi improbe effutiere, ſcilicet a Concilio Lugdunenſi una cum Græcis confixam Latinorum ſententiam de Proceſſione Spiritus Sancti a Filio, vel nullam inter utramque Eccleſiam factam unionem fuiſſe. Qua de re legendus Leo Allatius lib. 11. de perp. conſen. utriuſque Eccleſiæ cap. 15. Græculos iſtos refellens.

Reducibus a Concilio Conſtantinopolim Legatis, Imperator Joſephum Patriarcham, qui unioni ſubſcribere pertinax renuerat, & fidei formulam a Legatis allatam admittere, e gradu dejecit, eique ſuffecit Johannem Veccum, ſeu Beccum Eccleſiæ Romanæ addictiſſimum, ut alibi oſtendemus. Veccus ſtatim Synodum univerſalem ex Græcis Conſtantinopoli celebravit, in qua idem

Vec-

Veccus, & ceteri Epiſcopi fidei profeſſionem ſecundum exemplar a Sede Apoſtolica tranſmiſſum edidere: Romanæ Eccleſiæ ſummum,& perfectum Primatum,& Principatum ſuper univerſam Catholicam Eccleſiam, quam in ſe ipſa ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe, ſeu Vertice, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor,cum plenitudine poteſtatis recepit, ſe agnoſcere,& revereri ſanctiſſime conteſtati ſunt: & quod quemadmodum præ aliis tenetur fidei veritatem defendere,ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debent judicio definiri &c. Reliqua exhibuimus in litteris Clementis IV. Alterius generis eſſe privilegia, quibus gaudent Patriarchæ: *Quod ea*, addunt ibidem, *quæ ceteræ Eccleſiæ, & Patriarchales ſpecialiter diverſis temporibus obtinuerunt privilegia, ſanctionibus Imperatorum, & divinorum Conciliorum* (Conſtantinopolitani, & Chalcedonenſis) *eadem Eccleſia Romana* (maxime in Later. IV. ſub Innocentio III. de primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ), *confirmavit, & roboravit, & non aliter obtinuerunt confirmationem Eccleſiarum hujuſmodi prærogativæ, niſi eadem Eccleſia Romana ſuum ſuper iis judicium, & ſententiam protuliſſet.* Litteras demum ſynodicas ad Johannem XXI. dedere Græci de geſtis in Synodo, & de prælaudata fidei profeſſione, quas referunt Leo Allatius, Odoricus Raynaldus, & Labbeus tom. 11. Concil. part. 1. Dedere quoque ad Pontificem litteras Imperator, & Andronicus ejus filius, quibus Eccleſiam Romanam omnium Chriſtianorum Dominam, & Magiſtram, ſummum vero Pontificem Patrem verum ipſius Eccleſiæ, univerſalem omnium Chriſtianorum Rectorem, & Doctorem catholicæ veritatis, Chriſti Domini in terris Vicarium, BB. Apoſtolorum Principum Petri, & Pauli Succeſſorem nuncupant, & confirmare ſe perhibent omnia, & ſingula, quæ de catholica fide Sacroſancta Romana Eccleſia tenet, docet, & prædicat. Porro Gloſſa in cit. Conſtit. Gregorii X. decr. lib. 1. tit. 1. *Nota*, ait, *quod in his, quæ ſunt de fide catholica, & ejus articulis, neceſſario tenere debemus, & ſequi, quod tenet, & ſequitur Romana Eccleſia, alias eſſemus hæretici.* Plane ſi hæc de Pontifice Romano Græci profeſſi ſunt, alienos ab hac profeſſione Latinos Patres Concilii Lugdunenſis nefas eſt arbitrari.

Unum

Unum eſt reliquum, quod abunde jam dictis ſuperaddatur. Conſtitutio in Concilio Lugdunenſi, quæ ordine ſecunda legitur, a B.Gregorio X. edita fuerat *de electione, & electi poteſtate*, in qua ſtatuta ab Alexandro III in Concilio Lateranenſi refert, confirmat, innovat, quamque Concilio approbante ab ſe promulgatam affirmat. Conſtitutionem Cardinalibus non fuiſſe probatam, nullumque non motum lapidem, ut ab Epiſcopis pariter improbaretur, acta Concilii teſtantur: at Pontificem ſeorſum vocatis Epiſcopis ab illis obtinuiſſe, ut Conſtitutioni ſubſcriberent, eamque ſigillis ſuis communirent. Eam retulit Bonifacius VIII. in lib. *6.* decret. tit. *de elect.*, *& electi poteſt.cap. Ubi*. Obſervat vero Gloſſa conſtitutioni illi robur acceſſiſſe magis ex renovatione S.Cæleſtini V, & ex hac approbatione, & confirmatione Bonifacii VIII, quam ex primæva conſtitutione Gregorii iccirco, quia revocata pridem fuerat ab Hadriano V, & a Johanne XXI, & ceu revocata habebatur, nec olim inter Gregorianas legebatur: *Et certe*, ſubdit Gloſſa, *quum conſtitutio iſta tam utilis approbatione tanti Concilii fuerit edita, non æquum fuit, quod abſque requiſitione Concilii revocata fuerit, quia, ut habet regula juris in 6.lib.5. decret. tit.12. omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*. Hæc Gloſſa. Verum Gloſſa ſecummet pugnat: eam enim conſtitutionem ait revocatam ab Hadriano V, & Johanne XXI, (ſeu potius XXII) (mutarunt etiam in quibuſdam Clemens V, & Clemens VI,) ex quo patet Romanos Pontifices Conciliorum etiam generalium conſtitutiones pronunciare irritas poſſe: interim tamen innuit eam revocandam non fuiſſe, niſi alterius Concilii judició. Verum ſubdit citatis verbis Gloſſa eadem: *De plenitudine tamen poteſtatis id facere potuerat, quum ſit Papa ſupra omnia Concilia*. Quibus verbis ita ſe ſolo Pontificem id præſtare potuiſſe ſignificat; ac proinde regulam illam juris in eo caſu locum non habere conſequitur: quandoquidem ab inferiori poteſtate ſtatuta per ſuperiorem infirmari, atque pro infectis habenda eſſe decerni, Gloſſa eadem affirmante, poſſint.

Jam quæ hîc Pontificibus ſummis parum æqui de ſuo ingenio comminiſcantur audiendi. Boſſuetius def. decl. par.2. lib. 12. cap. *36.* decretum Concilii Lugdunenſis II. de Papæ auctoritate

bit plane aliud eſse fidei veritatem defendere, aliud de fide quæſtiones definire: primum vel ad laicos ſpectat; ſecundum nonniſi ad Pontificem, vel ad Concilium una cum Pontifice; ac proinde quum per ſe ſolus Pontifex, vel in Concilio, quod tamen per ſe ſolum Concilium non poteſt ſine Pontifice, fidei cauſsas definire poſſit, & debeat, palam eſt tò *præ ceteris* non eſſe ſubintelligendum in tò *& ſi quæ de fide*. Iterum, quum in eadem profeſſione adſtruatur in Romano Pontifice poteſtatis plenitudo, conſequens eſt ſolum Pontificis judicium ſatius eſſe ad fidei cauſſas finiendas. Nugatur vero Boſſuetius, quum per tò *definire* intellligi non vult definitionem infallibilem, ſicuti [pudere ipſum debuerat hanc inſtituere comparationem] per definitiones S. Facultatis Pariſienſis infallibilia judicia non dantur intelligi. Quum enim, ut oſtendimus, judicium definitivum Pontificis ſit poſtremum, liquet profecto, quod ſi illud non ſit infallibile, nihil erit in fide ratum, & fixum. Nolim hic illud ei objicere, quod ſi per tò *definire* in Romano Pontifice intelligi inficiatur judicinm infallibile, pari jure per tò *definire* in Conciliis non inferetur infallibile judicium: nam hora eſt ut ad reliqua, quæ reſtant agenda, gradum properemus, gravioribuſque præ apinis hiſce, triciſque operam impendamus.

Concilium Viennenſe in Gallia generale XV. ſub Clemente V. anno 1311. celebratum eſt, de quo Pontifice nobis frequens ſermo recurret. Principio paucis, ſed præclaris Apoſtolicæ Sedis laudes omnes complexus eſt Clemens in encyclicis de celebratione Concilii: *Romana*, inquit, *Eccleſia Mater alma fidelium, Caput eſt, diſponente Domino, Eccleſiarum aliarum omnium, & Magiſtra, a qua veluti a primitivo fonte ad ſingulas alias ejuſdem fidei rivuli derivantur, ad cujus regimen voluit Chriſti clementia Romanum Pontificem vice ſui deputare miniſtrum, ut inſtructionem, & doctrinam ipſius eloquio veritatis Evangelicæ traditam cuncti renati fonte baptiſmatis teneant, & conſervent: utqui ſub hac doctrina curſum vitæ recte peregerint, ſalvi fiant; qui vero ab ea deviarint, condemnentur*. In eo vero Concilio Templariorum cauſsa exagitata eſt; quumque Philippus Rex Galliarum doctrinali conſultatione S. Facultatis Pariſienſis habita,

qua imminente periculo reos Templarios capi poſſe, ac detineri cum propoſito reddendi Eccleſiæ declarabatur, plurimos ex Templariis cuſtodiæ tradi, ac in eos quæſtionem ab Epiſcopis Gallicanis inſtitui juſſiſſet, Clemens V. id graviſſime ferens Regem hortatus eſt, ut accuſatos, eorumque occupata bona duobus S. R. E. Cardinalibus dimitteret: Epiſcoporum vero, & inquiſitorum Gallicanorum auctoritate ſuſpenſa, cauſſæ cognitionem ad Sedem Apoſtolicam evocavit. Templariorum enim cauſſa inter graviſſimas erat, quam proinde jure optimo ad ſuum Tribunal Pontifex traxit. Diploma hac de re editum legere eſt apud Petrum Puteanum in hiſt. Templariorum. Rex Philippus vehementer eam ob rem in Pontificem commotus acerbioribus litteris ad Pontificem exaratis de injuria Epiſcopis illata conqueſtus eſt, quibus auctoritas cognoſcendi ea in cauſſa abjudicabatur. At immerito conqueſtus eſt; inficias enim ire non debebat majores cauſſas ad Sedem Apoſtolicam eſse deferendas: proinde opus fuit, ut Rex Summi Pontificis poſtulatis faceret ſatis,& Cardinalibus dimitteret accuſatos. In 1. Concilii ſeſſione examini ſubjecta Templariorum cauſsa eſt, rogatiſque Patrum ſuffragiis circa modum procedendi variæ prodiere ſententiæ, inter quas tamen ea obtinuit, quam Præſul quidam præ ceteris religione, & ſcientia conſpicuus, (quemque Durandum Mimatenſem quidam conjiciunt) protulit, ſcilicet quod, quandoquidem totus Ordo Templariorum in jus vocatus, auditusque non fuiſset, *Eccleſiæ Dei, & toti fidei Chriſtianæ expediret, quod Dominus Papa ſive de rigore juris, ſive de plenitudine poteſtatis iſtum Ordinem diffamatiſſimum ....ex officio ſuo omnino tolleret, bonis ejus Ordinis diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervatis.* Hoc ſuffragium ex Ms. Vaticano excerptum Bzovius, & Raynaldus ad an. 1311. exhibent. Seſs. ergo 2. Conſtitutione edita, quæ incipit *Ad providam*, ſic Clemens V. edixit: *Ordinem Templariorum ſacro approbante Concilio, non per modum definitivæ ſententiæ, ſed per viam proviſionis, ſeu ordinationis Apoſtolicæ, irrefragabili, & perpetuo valitura ſuſtulimus ſanctione; ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes diſtrictius inhibendo: ne quis dictum Ordinem intrare ... aut pro Templario ſe gerere præſumeret ... univerſa etiam bona*

Ordi-

Ordinis prælibati Apoſtolicæ Sedis ordinationi, & diſpoſitioni auctoritate Apoſtolica duximus reſervanda. Quæ qui tenet, probe percipit quoto, quantoque gradu ſupra Concilium Pontificis Romani poteſtas ſit collocata.

Plerasque præterea Conſtitutiones ſacro approbante Concilio edidit Clemens V., quas tamen idem Pontifex propria auctoritate cudit, reſecavit, mutavit, evulgavit, ſuppreſſit &c. Ita namque refert continuator Guillelmi Nangii: *Porro*, inquit, *etſi de aliquibus ſtatum, vel reformationem univerſæ Eccleſiæ tangentibus aliqua proloquuta fuerint, & eorum ordinatio, ſeu deciſio a Prælatis, & aliis, quorum intererat, prius quam Concilium ſolveretur, & inſtanter, & pluries a Papa peteretur, de quibus etiam ipſe Papa, ut dixerunt aliqui, decretales quaſdam conſtitutiones edidit, & ſtatuta, nunquam tamen in dicto Concilio fuerunt publice promulgata, ſed penitus judicio Apoſtolico fuerunt libere reſervata, & ad plenum dimiſſa*. Ita etiam refert Gloſsa in Clem., quæ eſt Joannis Andreæ, *Conſtitutiones*, inquiens, *Concilii licet non omnes fuerint in Concilio publicatæ, tamen poſtea de facto fuerunt publicatæ, & ipſarum habita copia, & jam habebatur, quod ligarent: & quia patuit aliquas ex illis inepte, aliquas prolixe, aliquas defective compoſitas, aliquas etiam non expedire, noluit Clemens quod compoſitio illa procederet, ſed, ut fertur, ſub excommunicationis pœna mandavit, quod iſta habentes intra certos dies reſtituerent Cameræ, vel incenderent, vel dilacerarent etiam eaſdem. Demum per peritiores fecit illas recenſeri, qui aliquas, & paucas in totum reſervarunt, aliquas in totum reſecarunt, aliquas mutaverunt quoad verba, mente ſervata, in aliquibus menti, & verbis detraxerunt, & addiderunt, & has, licet non ſub his verbis in Concilio publicatæ fuiſsent, voluit ſub nomine Concilii reſervari, & multas conſtitutiones addens utiles, de quibus non fuerat in Concilio tractatum*. Hæc ille, quorum ſimilia referunt Martinus Polonus, & Anonymus auctor vitæ Clementis V; ex quibus ſatis patet quanta ſit Pontificis in Conciliis œcumenicis auctoritas, ſcilicet ſuperior: ſiquidem ea ſit, qua de gravioribus cauſsis ſolus in Concilio pronunciat, ſequendasque Concilio generis cujuslibet leges ſolus præſcribit, quas de-

inde

inde, quum e re eſse judicat, ſummo jure imminuit, immutat, infringit. De iſtiusmodi autem ſummo jure Pontificis nec leviter ambegiſse Concilii Patres ex eo perſpicuum fit, quod in idem ipſum, quin ratione ulla reniterentur, ipſimet ultro citroque conceſserint, juxtaque illud, quin vel particulam detractam vellent, gerendarum in Concilio rerum ſummam Pontifici uno integram religioſe permiſerint.

Inter eas vero Conſtitutiones obſervatione digna eſt Clementina unica de *Summ. Trinit.*, *& fide Cathol.* adverſus Petri Joannis Olivi errores, Beguardorum etiam, & Beguinarum edita, ubi Pontifex de Chriſti latere poſt mortem perculſo agens ſic docet: *Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium, ac SS. Patrum, & Doctorum communem ſententiam Apoſtolicæ conſiderationis, ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet, aciem convertentes, ſacro approbante Concilio* &c. Viden ad Apoſtolicam Sedem dumtaxat pertinere de germano ſacrarum litterarum, ſanctorumque Patrum ſenſu pronunciare: in pravas opiniones abeuntibus dicam impingere: de rebus ad Religionem ſpectantibus decernere: verbo dicam, Chriſtianæ fidei dogmata declarare! Quod ſi approbante Concilio eadem Pontifex ſe declarare ſubtexit, ea approbatio non robur utique declarationi confert, ſed vel ſuffragii antecedentis acceſſum prænotat, vel aſſenſus conſequentis infert obligationem. Boſſuetius, ut ex Concilio Viennenſi pro ſua præoccupata opinione adverſus Pontificis auctoritatem aliquid extunderet loc. cit. cap. 38., ſententiam adfert Durandi Mimatenſis Epiſcopi, qui jubente Clemente V. Epiſcopis ſingulis, ut per ſe, vel per alios præ oculis habentes cuncta, quæ correctionis, & reformationis limam expoſcerent, inquirerent ſubtiliter, fideliter conſcriberent, & ad Concilii notitiam ſedulo perferrent, id operis executus eſt tractatu edito *De modo generalis Concilii celebrandi*, in eoque tractatu inter alia ſcripſit diſt. penult. n. 50. In Concilio tractandum imprimis de reformanda, & corrigenda Eccleſia, tam in Capite, quam in membris: quod Epiſcopi poteſtatem acceperunt a Deo, a quo Epiſcopi loco Apoſtolorum conſtituti ſunt in ſingulis Civitatibus: quod regenda ſit Eccleſia ſecundum generalem ordinationem uni-

univerſalis Eccleſiæ a Deo procedentem, & ab ejus Apoſtolis, SS. Patribus, generalibus, & ſpecialibus Conciliis, & Romanis Pontificibus approbatam; ut Eccleſia Romana nulla jura generalia deinceps conderet, niſi vocato Concilio generali &c. Gerræ profecto gerræ: nam nec iſta omnia Durandi dicta admittet Boſſuetius ipſe, ut illa: *Quod Eccleſia univerſa ſecundum generalis Concilii non modo, ſed etiam ſpecialium ordinationes regenda ſit: & quod Eccleſia Romana jura nulla generalia ſe ſola deinceps condat*: id enim primatui Pontificis aperte adverſatur, nec expedit Eccleſiæ bono, cui ſubveniendo non ſemper præſto adeſt Concilium. Sed nec ulla ex Durandi aſſertis, vel in Concilio Viennenſi, vel in alio ſequioris ævi excepta uſque modo ſunt: imo Clemens V. ſacro approbante Concilio nulla habita ratione ſcriptorum Durandi, quinimo contra quam Durandus ſcripſiſſet, cauſſas omnes abſolvit, & conſtitutiones Apoſtolicas edidit. At Boſſuetio Durandi magis dicta, quam Clementis V. decreta arridebant.

Ex Conciliis Piſano, Conſtantienſi, & Baſileenſi.

ARTICULUS IV.

De Auctoribus, qui ſub eorum Conciliorum tempus de Romani Pontificis poteſtate in utramque partem diſputarunt.

PROLEGOMENON.

IN eam incidimus epocham, ex qua conclamari una voce, atque ad ravim uſque ab adverſariis cœptum eſt: actum de Apoſtolicæ Sedis auctoritate: eam, vellet nollet, Concilio Oecumenico ſubmiſſam iviſſe; atque, ut impoſterum iret, juſſam: id ex Conciliis Piſano, Conſtantienſi, & Baſileenſi conſtantiſſimum eſse; adeo ut de eo ambigendi reliquus non ſit locus. Verumtamen id abs vero abludat,an non diligenter eſt diſpiciendum. Equidem,non inficias id iverim, ab ea tempeſtate exordium ſuum nacta eſt ſententia Apoſtolicam Sedem Concilio generali ſubjicere conten-

ten-

tendens: at ab illis Conciliis ſententiæ de Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſupra Concilium generale parum, aut nihil præjudicatum, confidentiſſime, vero ſcilicet confiſi, propugnamus. Ut vero id evincamus, exordium capimus ab Auctoribus, qui tempore Conciliorum Piſani, Conſtantienſis, & Baſileenſis de Pontificis Romani poteſtate tractatus elucubrarunt. In 1. illorum claſse, qui Pontificis partes egregie tuiti ſunt; in 2. claſse illos recenſebimus, qui, ut Pontificis poteſtatem infra Concilium deprimerent, nihil integrum, intactumque reliquerunt. Concilii Conſtantienſis acta diligentiſſime collegit Hermannus Vonder Hart è proteſtantium quidem grege, ſed diligentis laude non fraudandus, quæ ſex voluminibus in folio comprehenſa Francofurti, & Lypſiæ publici juris facta ſunt. Ea in collectione tractatus tempore Conciliorum Conſtantienſis, & Baſileenſis elaboratos exhibet: eique accepta referimus, quæ nunc exponimus. Ea ergo in collectione 1. extant duo tractatus tempore Concilii Conſtantienſis exarati ab auctore Anonymo adverſus errores Jacobi Miſnienſis, qui Bohemis pleroſque Johannis Hus errores propinarat, inter quos præcipuum illum de communionis ſub utraque ſpecie neceſſitate. Anonymus iſte in tract. de commun. ſub utraque ſpecie cap. 7. Hetherodoxos decreta, & decretales veluti hominum commenta traducentes ut refellat, haſce jacit concluſiones: *Quod decretum licet ſit humana traditio, & decretales licet ſint pro opinione aliorum, & aliquorum correctoria, omnia firmiter ſunt tenenda ſicut ſacra Scriptura*. Reynerii viri doctiſſimi dein auctoritati innixus hæreſis ſuſpectos pronunciat, quotquot decretis Romanorum Pontificum detrahunt. Hæreſis quoque poſtquam inſimulaſset quoſcumque, qui dicerent, quod *Eccleſia Romana non ſit Rector, & Rectrix totius Univerſi fidelium*, & qui dicunt, quod *Papatus non habet ſummum dominium Univerſi propter Chriſtum*, *originem*, inquit, *accepit a Romano Pontifice tamquam a primo latere omnis Eccleſiaſtica poteſtas, & auctoritas tamquam a ſummo Principe*: & poſtea quam ex verbis Chriſti Petrum alloquentis, *Paſce oves meas*, docuiſset auctoritatem Romanæ Eccleſiæ eſse majorem omnium poſt Chriſtum in Mundo, atque Eccleſiam catholicam iccirco denominari Romanam, quod rega-
tur

tur a Romana Eccleſia, ſicut ab anima regitur corpus, *Auctoritas*, inquit in epiſt. ad Jacobellum tom. 3. collect. Vonder Hart, *catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ eſt major auctoritas, & caput omnium auctoritatum poſt Chriſtum in Mundo . . . & ideo quidquid obſervat catholica, & Romana Eccleſia, ab omnibus fidelibus obſervandum eſt; quoniam membra non debent recedere a capite, quum Romana Eccleſia ſit Mater omnium Eccleſiarum*. Iterum de S. Petri poteſtate ſermonem faciens, *Gregi*, inquit, *Dominus Jeſus providens omnia ſuo Paſtori tanquam capiti ipſum poſt ſe relinquens dixit ei*: Paſce oves meas: *Non aliis dixit, niſi quantum fluxum habuerint ab illo*: pleriſque vero aliis interjectis ad Eccleſiam convertens ſermonem: *Tota catholica*, ſubjungit, *Eccleſia dicitur Romana propter regimen, nam Romana Eccleſia eſt Caput, & Mater totius Chriſtianitatis, & omnium aliarum Eccleſiarum . . . . quia recte ſicut Regnum regitur per Regem, ſic catholica Eccleſia regitur per Romanam Eccleſiam, & ſicut Nauta regit navem, & navis ſine nauta periclitatur: ſic Romana Eccleſia regit catholicam, & catholica ſine regimine Romanæ Eccleſiæ periclitatur, & ſicut anima regit corpus, ſic Romana regit totam Chriſtianitatem*. Eidem Eccleſiæ Romanæ infallibilitatis quoque notam adjudicat idem auctor, illam nuncupans Matrem fidei: *Sed diceres*, inquit, *utrum omne illud, quod obſervat Romana Eccleſia circa fidem, ſit obſervandum? Reſpondetur quod ſic . . . quum Romana Eccleſia ſit Mater fidei, a cujus regula nullatenus convenit obviare*. Compertum igitur erat illi Concilium Conſtantienſe decr. ſeſs. 4, & 5. Pontificem indubium adſtringere noluiſſe, ac nequiviſse.

Huic auctori præclare ſentienti de Romanæ Eccleſiæ poteſtate adnumerandus eſt Mauritius Pragenſis, qui ex Concilii Conſtant. juſſione tractatum de comm. ſub utraque ſpecie elucubravit, quem exhibet Vonder Hart tom. 3. collect. ejuſdem Concilii. Igitur hic auctor tract. cit. cap. 6. adverſus Jacobum Miſnienſem Concilii œcumenici, & Romanæ Eccleſiæ auctoritate uſus, poſtquam Concilii auctoritatem auctoritati patris comparaſſet, aſſerens Concilium generale eſſe *indeviabile*; Eccleſiæ Romanæ auctoritatem cum matris auctoritate conferens, *Romana Eccleſia*,

inquit, *gerit vicariam univerſalis Eccleſiæ in maternitate . . . ſed ut in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, ſic ſemper immaculata permanſit, & Domino providente, & B. Petro opem ferente, in futuro ſine ulla hæreticorum inſultatione firma, & immobilis manebit.* Ex his cap. poſtremo hæreſis Bohemos coarguit, quatenus pro communione ſub utraque ſpecie decertantes deſpicatui haberent *Matrem ſuam univerſalem Eccleſiam*, quam equidem generale Concilium repræſentat, *ac etiam Apoſtolicam Sedem*, & imminuerent *utriuſque auctoritatem, quum propria voluntate definiunt, & mutant conſuetudinem approbatam univerſalis Eccleſiæ inconſulta Eccleſia, aut Apoſtolica Sede*, ad quam tamen omnia ardua referenda ſunt juxta illud, quod dicitur diſt. 12. Cap. *Præceptis*: ubi ſic ſcribitur: *Et nulli dubium ſit, quod non ſolum Pontificalis cauſatio, ſed omnis ſanctæ Religionis relatio ad Sedem Apoſtolicam quaſi ad Caput Eccleſiarum debeat referri, & maxime ea, quæ fidem concernunt.* Porro hiſce poſtremis verbis ab auctore laudatis præfocatur quædam objectio, quæ ex eodem auctore extundere adverſarii noſtri poſſent, ſcilicet Concilium ab auctore patriæ poteſtati comparatum ſuperius agnitum fuiſſe Sede Apoſtolica, quam matri comparat. Quamvis & illud adjunxerim minus congruam, & idoneam iſtiuſmodi comparationem inſtitutam: neque enim a Concilio ſejungendum eſſe, ſicuti neque a corpore Eccleſiæ univerſalis, cujus eſt Caput, Romanum Pontificem nemo non perſpicit. Igitur de Romana potius Eccleſia proloquutus videtur Mauritius Pragenſis. Hæc tamen loquebantur viri doctiſſimi tempore Conſtantienſis Concilii, cujus plane ſenſum apprime compertum habebant; quum ſcripſerint poſt acta ſeſs. 4, & 5, quorum nos infra ſenſum exponemus.

Auſpicio ſuo perinde huc facit, plurimamque ad hæc confirmanda operam confert Johannes Patriarcha Antiochenus natione Gallus, & Gallicæ nationis præſes, qui in actis editis a Labbeo cognomine audit Vitalis. Vir hic doctiſſimus teſtibus Bzovio ad annum 1415, & Vonder Hart tom. 2. pag. 296, tractatu edito, ac propoſita in Concilio Conſtantienſi Theſi 1. *Utrum Papa catholicus ſubjiciatur Concilio generali*: pro negante parte collato veluti

luti pede decertans, eam plurimis demonſtrare adgreſſus eſt, ac 1. quia poteſtas Eccleſiæ a Chriſto D. S. Petro Apoſtolorum Principi principaliter data eſt, ut ex ipſo, quaſi ex capite in corpus omne deflueret, teſte S. Leone citato in Cap. *Ita Dominus* 19. diſtinct. 7, cui concordant Alexander Alenſis, & alii communiter. 2. quia non ab Eccleſia, ſed a Chriſto Romana Eccleſia primatum accepit; unde Romanus Pontifex Caput Eccleſiæ, & Chriſti Vicarius audit. Propoſita Theſi 2. *Utrum definitiones, & ſtatuta edenda forent ſub nomine Papæ, an Concilii, an utriuſque*: pugnat ſub nomine Papæ id fieri oportere 1. quia a Papa procedit virtus, & auctoritas Concilii; 2. quia ita antiquitus factum eſt; ut patet ex Cap. *Hadrianus* 63. diſt.; & ex Cap. *In nomine Domini* 23. diſt.

Ad hæc Theologi illi §. 2. num. 2. laudandi, qui mota quæſtione num Concilii nomine, an potius Pontificis Wicleffi errores eſſent damnandi, in eam conceſſere ultro citroque ſententiam eos Pontificis nomine fore proſcribendos, procul dubio Pontifici ſupra Concilium primas detulere partes. Cardinales, Epiſcopi, Magiſtri in Theologia, ac in jure Doctores a Concilio Conſtantienſi delecti, quibus cura demandata eſt in 45 Wicleffi propoſitiones cenſuram adornandi, ad cujus dein amuſſim nigro theta illæ propoſitiones inuſtæ ſunt, ut conſtabit ex eadem cenſura cit. §. 2. referenda, Romano Pontifici prærogativam qua auctoritatis ſupra Concilium, & qua infallibilitatis in definitionibus fidei utique adjudicarunt, ut liquebit attendenti. Cardinales, qui in Concilio Conſtantienſi, eo quod nonnulli erga ipſos peſſime affecti a reformationis negotio eos procul arcendos aſſererent, tractatu edito S. Romanæ Eccleſiæ privilegia vindicanda ſuſcepere, locoque, quo abigere illi adnitebantur, ſtabilire ſuo ſummopere ſategerunt, ſane ea dixere, ſcripſere, egere, quibus ſatis oſtenderent eam ſibi animo inſedere ſententiam, quod Pontifex Concilio ſuperior oppido ſit, & in fide falli, & fallere omnino neſcius. Quid quod Conſtantienſe Concilium Cardinalium propoſitionibus eo in tractatu exhibitis eas adhibuit reſponſiones, quibus ad oculum oſtendit ab ſe decreta ſeſs. 4, & 5. locum non habere, niſi in cauſſa Pontificis dubii, aut

illegitimi? Id autem legenti a nobis dicta laudato §. 2. liquet.

Horum perinde in cenſum veniunt S. Johannes a Capiſtrano, qui tract. de Papæ, & Eccleſiæ auctor. ne dubitandum quidem putavit Conciliis Pontificem anteferendum fore; S. Laurentius Juſtinianus, qui lib. de obedientia cap. 12, Pontifici Romano totius Eccleſiæ attributam facultatem, Eccleſiæ univerſalis incumbere regimen, decreta ferendi, & infringendi pro tota Eccleſia poteſtatem factam ſcribit; S. Antoninus, qui in ſumma par. 3. tit. 23. cap. 3. §. 3. Pontificem generali Concilio ſupereminere dilucide docet; atque nihil a Concilio actum robur habere, niſi ei Romani Pontificis auctoritas acceſſerit, ratumque haberi is juſſerit: exinde concludens hæreticum eſſe, qui exiſtimet a Papa ad Concilium valere appellationem; Johannes de Turrecremata lib. 12. de Eccleſia cap. 93; Johannes Ferrarienſis lib. contra Gentes cap. 79; Thomas Waldenſis doctrinalis fidei lib. 2. art. 3. cap. 32; Franciſcus Philelphus in epiſt. ad Poggium, & Laurentium Vallam; Hieronymus Savonarola de veritate fidei lib. 4. cap. 6; Andreas Coloſſenſis, & Johannes Tarentinus ambo Archiepiſcopi orat. in Synodo Baſileen. habita, de qua infra; aliique articulo de Scriptoribus Latinis cum laude commemorandi, qui pro Apoſtolicæ Sedis privilegiis conſtantiſſime pugnarunt, nihil morati Conſtantienſis, & Baſileenſis Concilii decreta. Academiæ demum, & Doctores, quorum ſermo fiet §. 1. de Concilio Piſano, & in ℞. 6. ad objecta ex decretis ſeſs. 4, & 5. Concilii Conſtantienſis, a quibus in eam itum pedibus, manibuſque ſententiam eſt inſiſtendum eſſe viæ ceſſionis Pontificatus, nec alteram viam ineundam extinguendo diutiſſimo Schiſmati, quo a 40. ferme annis diriſſime dilacerabatur Eccleſia, plane non perſuaſum habebant Pontificem, qui eſſet indubius, ac legitimus, Concilio eſſe ſubjectum, alioquin non adeo viam ceſſionis urſiſſent; quandoquidem via facilis pateret, atque Concilio ſuprema poteſtate agere in Pontifices pronum eſſet. Accedunt his ex Græcis Epiſcopi, & ſcriptores illi, qui ſub tempus Florentini Concilii in Romani Pontificis partes tranſiere, atque pro ipſius ſuprema in Eccleſia poteſtate indubitanter ſteterunt, Andreas Rhodius Archiep. in Concil. Florent. ſeſs. 7; Joſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus in

co-

eodem Concil. Florent. ſeſs. ultima; Iſaias Patriarcha Hieroſolymit. in epiſt. ad Eugenium IV; Nicodemus Abbas Æthiops in epiſt. ad eumdem Pontificem; Legati Eccleſiarum Orientalium, Armenorum, Jacobitarum, Syrorum ad laudatum Eugenium; Gennadius Scholarius de primatu Papæ capp. *9*, & *16*; Joſephus Epiſc. Metonenſis in reſp. ad libellum Marci Epheſini in append. Concilii Florent.; Georgius Trapezuntius in epiſt. ad Cretenſes, & in altera ad Nicolaum V; Leonardus Chienſis in epiſt. ad eumdem Pontificem; Philotheus Patriarcha Alexand. in epiſt. ad Eugenium IV, apud Harduinum tom. *9*; Johannes Patriarcha Jacobitarum in epiſt. ad eumdem Pontificem; Conſtantinus Armenorum Catholicus; Timotheus Archiepiſ. Tarſenſis, & Chaldæorum in Cypro degentium Metropolita; Elias Maronitarum Epiſcopus, quorum Eugenius meminit in Conſtit., quæ incipit: *Benedictus ſit Deus* anno 1445. edita, aliique, quorum cum laude mentio fiet art. ſequenti de ſcriptoribus Græcis, qui Baſileenſis Concilii auctoritatem nauci floccique facientes, mox Eugenio IV, & mox Nicolao V. ſibi ex officio adhærendum rati eoſdem ſuprema in Eccleſia poteſtate potiri probe agnoverunt, & adfirmarunt.

Ex adverſo ſtetere erecta fronte pro ſuprema Conciliorum poteſtate non pauci, quorum agmen duxit Gerſonius, quem quidem in eo, quod pius, & doctus fuit, laudibus celebramus; in eo, quod Romanis Pontificibus fuit ſubinfenſus, atque de Eccleſiaſtica poteſtate, & Hierarchia peſſime ſcripſit, æterna potius vituperatione dignum putamus. Is ſermone habito in Synodo Conſtantienſi eademmet die ſeſs. 5. Concilii ſupra Pontificem poteſtatem primus omnium audacter extulit. Ejuſmodi Gerſonii orationem ceu campani æris ſonitum extitiſſe, aut tubæ, quo primitus excitarentur Theologi ad diſputandum de Pontificis, aut Concilii ſuprema poteſtate, teſtes locupletes accedunt Jacobus Lenfantius vir de ſecta Calviniſtarum lib. 2. hiſt. Concil. Conſtant. n. 2, Ludovicus Maimburgus vir hac in re neutiquam ſuſpectæ fidei lib. 5. magni ſexti Schiſmatis Occidentalis; & Continuator Fleurii hiſt. Eccl. lib. 102. n. 173. Sed age diſpiciamus quanti facienda ſit Gerſonii hoc in genere doctrina; unde illum tanti feciſſe, illique totos fidiſſe adverſarios noſtros ſummopere

pere pudendum ſit. Exſtat tom.1. collect. Vonder Hart, & tom.2. operum ipſius edit. Amſtelodam., quod opus typis Gallis demandari optimo conſilio prohibuit Ludovicus XIV. Galliarum Rex, Gerſonii, qui eo loci a Vonder Hart laudibus alioquin cumulatus, graviſſimi tamen erroris coarguitur, quatenus docuerit præcepta Eccleſiæ non obbligare ſub mortali, neque aliud cenſenda fore, quam exhortationes, conſilia, & admonitiones, Gerſonii, inquam tractatus initio Concilii Conſtant. elucubratus, quo á Petro de Alliaco objectatis momentis faceret ſatis, cui titulum fecit, *De mediis reuniendi, & reformandi Eccleſiam in Concilio generali*; in eoque talia ſcripturivit, quæ Wicleffi, hæreticorumque XVI. ſæculi errores ſuboleant, eorumque ſententiis ſupparia ſint non modo, ſed ſuperent, & ſupergediantur. Mirum id, ſed omnino verum omnium oculis ſubjicimus. Quærens primo cap. 1, & 2. de qua Eccleſia dixerit S. Athanaſius, dum in ſymbolo ſuo dixit: *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*, reſpondet (viden ſub initio ſymbolum a Gerſonio attribui Sancto Athanaſio, quod Conſtantinopolitano Concilio erat tribuendum) reſpondet, inquam, Eccleſiam aliam eſſe Catholicam, aliam vero Apoſtolicam; Catholicam univerſalem coaleſcere ex Latinis, & Græcis, Barbaris, & Schytis, viris, ac mulieribus, nobilibus, & ruſticis &c., uno verbo ex cujuſque promiſcui generis Laicis, cujus Caput Chriſtus ſolus agit, non autem Pontifex: in ea ſola fidem in Chriſtum inveniri: ei ſoli poteſtatem a Chriſto collatam ligandi, atque ſolvendi: eamque ſolam falli, & fallere eſſe neſciam, nec peccato uſquam ſubjacuiſſe. Apoſtolicam vero eſſe particularem, & privatam in Catholica Eccleſia incluſam ex Papa, Cardinalibus, Epiſcopis, & viris Eccleſiaſticis compaginatam; *Et hæc errare poteſt*, inquit, *& potuit falli, & fallere, ſchiſma, & hæreſim habere, etiam poteſt & deficere... differunt ergo hæ duæ Eccleſiæ ſicut genus, & ſpecies, quum omnis Apoſtolica ſit Catholica, & non viciſſim*. Cap. 21. Eccleſiam univerſalem in unica perſona integram poſſe ſubſiſtere, quinimo vel in una fœmina *ſicut*, inquit, *factum eſt tempore paſſionis Chriſti, quia ſalva facta eſt in Virgine Beata*: unde & docet ab fœmina poſse Concilium convocari. Huncce hominem au-

audiens Eccleſiam ita ſcindentem; ab Eccleſia potiſſimam partem, Pontificem ajo, & Epiſcopos, reſecantem; ei ita ex Laicis reliquæ poteſtatem clavium, indeficientiam, ac perennitatem tribuentem; eamque vel ex una anu delira conflantem; non ne audire te putares multa febre phreneticum deliramenta loquentem, ne dicam hominem in venerandos Hierarchas impotentiſſime inſanientem, & inſoleſcentem? at audias non meliora, ac, ſi vales, ſtomachum teneas. Is igitur ipſe, cui dumtaxat non divinos adverſarii noſtri decernunt honores, Eccleſiæ Catholicæ nomine cap. 7. nihil aliud intelligi vult, atque ab Apoſtolis intellectum iviſse, niſi ſanctorum communionem, unde peccato lethali inquinatos nec in Eccleſia, nec de Eccleſia eſse concludit: *Dixerunt*, inquit, (Apoſtoli) *credo unam ſanctam Eccleſiam Catholicam; & ut definirent quid ſit Eccleſia propter multos, qui dicunt, & dixerunt, quod mali quantumcumque etiam ſint in Eccleſia Apoſtolica, non tamen in Eccleſia Catholica, quæ eſt ſanctorum communio, quia certum eſt, quod exiſtens in mortali peccato nec ſit in Eccleſia, nec de Eccleſia, quæ eſt fundata charitate*. Plane nec abſimiles Eccleſias compaginarunt Novatiani, Donatiſtæ, Wicleffus; Lutherus &c. Catholicam ex ſolis juſtis Laicis; Apoſtolicam ex ſolis Eccleſiaſticis viris, & iniquis.

At macte animo jam aperias quid homo hic tanto in pretio habitus de Paſtoribus Eccleſiæ, eorumque poteſtate cenſuerit. Cenſuit plane cap. 29. juxta Evangelium Pontifici neceſſariam magis fore Clavem ſcientiæ, quam Clavium poteſtatem; atque quidem hujus poteſtatis minime potes eſſe, niſi probos viros: *Verum eſt*, inquit, *quod poſt reſurrectionem ei* (Petro) *dixit ter* (Chriſtus) *bis tantum* Paſce agnos meos, *& tertio* Paſce oves meas: *ſub conditione tamen dixit:* Simon diligis me? *cui reſpondit Petrus*, Tu ſcis Domine, quod amem te: *& Chriſtus dixit*, Si ergo diligis me paſce oves meas. *Quum ergo probatio dilectionis exhibitio ſit operis, videtur, quod qui non diligit Chriſtum, oves Chriſti paſcere non valeat. Sed quum dilectio Chriſti per opera manifeſtetur, neſcio quomodo paſcat oves Chriſti, aut quomodo habeat claves Chriſti, qui opera facit notoria Diaboli*. Ad hæc circa auctoritatem Pontificum, eorumque dignitatem, quæ non effu-

Digitized by Google

effutiit vir effrenis? ea plane, quæ hominem præ æſtu prorſus ſui impotem prodant: *Nam in Eccleſiæ exordio æqualis poteſtatis*, cap. 10. dixit, *cum Papa erant Epiſcopi*: capp. 5, & 10, *perpende*, inquit, *quanta fraude*, *quanta aſtutia temporibus antiquis fuerint facta*, *& ſcripta* (de decretis loquitur, ac decretalibus) *quamplurima ad tenendam hanc dignitatem Papalem*, *quam Chriſtus nunquam conceſſit æternaliter*, *niſi ad tempus illis*, *qui diligunt Deum* ... *Ridiculum eſt enim dicere*, *quod unus homo mortalis* (paulo ante ruſtici pauperis filius, aut piſcatoris Veneti) *dicat ſe poteſtatem habere in Cælo*, *& in terra ligandi*, *& ſolvendi peccata*, *& quod ille ſit filius perditionis*, *&c.* (*ille nempe qui dicit ſe poteſtatem habere &c.*) Cap. 17. docet Pontifices diſpenſare circa canones non modo nequire, ſed nequidem eam diſpenſationem Concilia Pontificibus poſſe largiri; quinimo, *Nullam aliam*, inquit, *poteſtatem Petro tribuit* (Chriſtus) *quam ligandi*, *& ſolvendi*, *ligandi per pænitentias*, *& ſolvendi culpas*. Næ homo nihil in S. Scripturæ, & recta traditionis interpretatione verſatus, Eodem cap. 17, & 23, ſcribit olim Romanam Curiam ſpiritualem fuiſſe, poſtmodum vero mundanam effectam, diabolicam, & tyrannicam, Curiiſque ſæcularibus pejorem; atque Pontificis juris non eſſe beneficiorum collationes, aut reſervationes: *Tales reſervationes*, *quas nunquam legimus in Evangelio*, *ſunt rapinæ*, inquit, *manifeſtæ*, *violentiæ publicæ*, *jura Papalia iniqua*, *& abuſiva*, *conſuetudines diabolicæ ad omne malum inductivæ &c.* Eſt ne auditum horribilius, & a veritate abſimilius? Capp. 20, 22, 24, 25, &c. docet Imperatorum, & Regum id juris eſſe, ut Pontifices coerceant, & diris carceribus mancipent, imo morte perimant, qui Eccleſiam ſcindunt, aut Eccleſiæ ſcandalo ſunt. Pontificibus, ac univerſis poteſtatibus non eſse a chriſtianis parendum, niſi in licitis, & honeſtis, quibus aperte adverſandum, & obſiſtendum, quum ea perpetrant, quæ in Eccleſiæ ſcandalum vergunt, aut manifeſte noxia ſunt. Quis quæſo in Eccleſiæ, & ſæculi poteſtates adeo eſt debacchatus? Docet quod ſacerdotes Belis populis fucum faciebant, ita ſui ævi Pontifices Deo mentiebantur, & hominibus Indulgentiarum, benedictionum, & diſpenſationum elargitionibus: *Quales Pontifices*,

(pa-

(patienter aures) *ſi e radicibus non extirpentur*, *Eccleſia*, inquit, *non erit Apoſtolica, ſed apoſtatica; non divina, ſed maligna, in qua non eſt ſedendum, ſed ab ea fugiendum* ... *& iſti* (Papæ ſubdit) *recte impii vocantur*, *cum quibus pereunt*, *qui eis obediunt*.

Scio (nolo enim Gerſonio invidiam conflare ultra modum) ſcio ea ſcripturiſse ſub id ævi, quo diriſſimum graſsabatur ſchiſma, quo tres de Pontificatu pertinaciter decertabant, quo moribus Eccleſiam deturpabant: attamen ſermones, quos uſurpat ille, & rationes, quibus innititur, nec animum bene affectum, nec mentem recte cenſentem præferunt; quin potius hominem produnt, quem effrenati ingenii æſtu abreptum, omnes extra officii, ſanæque opinionis fines furor abſtraxit. Nam quod Pontifici non concedit Evangelium, id totum illi detrahendum jubet; quod collatum tradunt canones, id denegandum illi, atque nauci floccique canones faciendos aſserit. Duobus inter reliqua principiis doctrinam ſuam ſuperſtruit, quibus ſemel jactis fundamentis, Rempublicam, & Religionem concuti, & corruere neceſse ſit, utque lata ſeditionibus, ac ſchiſmatibus aperiatur, ſternaturque via. 1. Legem omnem latam eſse ob bonum Reipublicæ, ergo Rempublicam legi omni ſuperſtare ſubinfert, atque ad bonum Reipublicæ curandum nulli privato parcendum, atque adeo, ut non modo Pontificibus, Regibuſque non parcendum ſit, eoſque nihil juvari legibus canonicis, aut civilibus, ſed ipſimet Chriſto Domino, quem nihil juvavit lex, qua naturalis, qua divina. *Ubi de pari*, inquit cap. 5, *concurrunt curatio reipublicæ*, *& conſervatio alicujus perſonæ privatæ*, *ceſſet lex*, *ceſſet jus*, *quo tollitur ſalvatio boni communis*, *nec habeat virtutem pro tunc alicujus juris legis*, *aut conſuetudinis*; *in tantum*, *ut Dominum noſtrum mori expediret*, *ne tota gens periret*. *Omnes ergo conſtitutiones Apoſtolicæ*, *ſive leges factæ in favorem Papæ*, *Cardinalium*, *ſive Prælatorum intelliguntur*, *& intelligi debent*, *ubi reſpublica Eccleſiaſtica directe*, *vel indirecte*, *publice*, *vel occulte*, *in parte*, *vel in toto*, *detrimento*, *vel diviſioni non videtur ſubeſse*. 2. Voti, & Juramenti religionem erga Reges, & Pontifices non obſtringere, niſi id exigat Reipublicæ,

aut Eccleſiæ bonum; pro cujus bono gradu dejiciendos Reges, aut Pontifices docet. *Intelliguntur*, inquit cap. 22, *omnia juramenta ipſi Papæ, vel cuicumque alteri perſonæ privatæ mortali præſtita per quamcumque perſonam, ſalva ſemper utilitate, curatione, & ſanatione totius corporis reipublicæ, & præſertim univerſalis Eccleſiæ. Sicut ſi Rex iniquus in populum ſibi ſubditum vellet deſævire, non tenentur ejus ſubditi juramentum homagii, & fidelitatis olim præſtitum ei in aliquo obſervare. Nam, ut prædixi, in curatione univerſalis Eccleſiæ, & cujuſcumque Reipublicæ ſubditi fiunt Domini, & Judices Dominorum, & ſuperiorum proprias utilitates cum detrimento Reipublicæ amantium*. Cap. 5. horum ſimillima ſcripturierat, quæ referre ſupervacaneum eſt, neque aliud eſset, quam operæ diſpendium facere. Interea qui ita in Reges, Pontificeſque efferbuit effrenis, quid non áuſus eſt in Cardinales? Cum Andrea Magorenſi Cardinales in id dumtaxat inſtitutos contendit, ut baptiſmo fideles initiatent, atque defunctorum cadavera terræ demandarent; neque per ipſum ſterit, quominus a Concilio Conſtantienſi decreto caveretur, ne unquam e Cardinalium cœtu quiſpiam in Pontificem adſciſceretur, neve Cardinalium quiſquam Concilii cœtui adſiſteret. Sed de Concilio generali neque meliora protulit, cogita ſi potuit, qui animo ita in tranſverſum actus erat, quum talia ſcripturiebat. Ergo cap. 15, & 21. effutit, quod quando agitur de reformatione Eccleſiæ Romanæ, vel de ſchiſmate invecto a duobus, vel pluribus ſe pro Pontifice gerentibus; vel de depoſitione Pontificis ob notorium crimen, & in ſcandalum vergens; vel de coercenda, coarctandaque Pontificis poteſtate, non Pontificis, non Cardinalium juris eſse, ſed Imperatoris partes Concilium convocare, eique præſidere: *Quæ ſi non præſtet Imperator, devolvitur*, inquit, *hæc convocatio ad Reges, & Principes primo, poſt ad Communitates, & alios Dominos ſæculi. Quod ſi non eſſent, in caſu poſſibili, devolvetur ad cives, & ruſticos &c.* Deus quæ audio! Pudet talia recordari: utinam illum puduiſset hujuſmodi litterarum monumentis demandare! Audiendus interea Thomaſſinus diſsert. 15. in Concil. num 23. ubi habet: *Adverte exaſperatum fuiſse Gerſonii animum, calamumque abſurditate ſuorum temporum, &*
dubio-

dubiorum Pontificum, ſchiſmatiſque pertinacis importunitate; atque adeo plurimum degeneraſſe illum a clementia, & reverentia &c; doctrina ſcilicet veteris Eccleſiæ Gallicanæ &c. Quæ quum ita ſe habeant, quæſo, iterumque quæſo, de Gerſonio tandem non ex rumore, & fama, ſed ex veritate, & fide lector αγαθος dijudicet, & decernat.

Conſtantienſibus, & Baſileenſibus non modo, ſed pro Baſileenſis, & Conſtantienſis decretis, tanquam pro aris, & focis decertantibus quæſitum patrocinium a Petro de Alliaco Cardinali Cameracenſi Gerſonii olim præceptore quum fuerit, ipſius quoque in judicium doctrina poſtulanda ſecundo loco eſt. Ergo ille non ita deſipuit, non ita deſæviit; imo ipſe eſt, quem in pleriſque Andreæ Magorenſi, de quo paulo poſt, & Gerſonio objectare, quove illos objurgare jure poſſimus. In tractatu de Eccleſ. poteſt. in Concil. Conſtant., & quidem poſt ſeſſ. 5. exarato, & ibidem ſolemniter lecto apud VonderHart tom. *6.* part. 1. cap. 1. concluſ. 2. docet poteſtatem juriſdictionis S. Petro a Domino fuiſſe collatam verbis illis: *Paſce oves meas, unde in Petro,* ſubjungit, *fuit plenitudo poteſtatis, quam poſtea diviſim aliis* (Apoſtolis) *dedit, vocans eos in partem ſollicitudinis.* Poſtquam vero concluſ. 4. præmiſiſſet S. Petro utrumque Epiſcopatum univerſalem Orbis, & Romanum Urbis fuiſſe concreditum: *Ita*, ſubdit, *ex tunc in Petro, & ſuis ſucceſſoribus duo Epiſcopatus concurrerunt, videlicet univerſalis Eccleſiæ, & particularis Eccleſiæ Romanæ ... & ab eo tempore ... Romana Eccleſia fuit, & erit Caput omnium Eccleſiarum particularium, ac totius univerſalis Eccleſiæ, hac videlicet ratione, quod ejus particularis Epiſcopus eſt Caput univerſalis Eccleſiæ ... Et in hanc ſententiam concordant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, & SS. Patrum decreta; unde negare Romanam Eccleſiam eſſe Caput omnium Eccleſiarum hæreticum eſt, ſicut negare ſummum Pontificem eſſe Caput Eccleſiæ, ut habetur* 22. diſt. *Omnes*. Concl. *6.* docet nomina quidem Papatus, & Cardinalatus olim uſurpata non fuiſse, attamen Eccleſiaſticas poteſtates illis nominibus deſignatas in Apoſtolis præextitiſs e, videlicet *in Petro,* inquit, *Papalis dignitas, & in ceteris Apoſtolis Cardinalatus auctoritas: nam Apoſtoli Petro tamquam* (Papale) *officium gerenti*

aſſiſtebant, tanquam Cardinalatus miniſterium exercentes, ſicut nunc Papæ aſſiſtunt Cardinales... ſicut Petrus prius fuit Papa Orbis, ideſt univerſalis Eccleſiæ, quam Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ, ita Apoſtoli prius fuerunt cardines Orbis, quam aliqui fierent cardines urbis Romanæ: in ſignum vero hujus diſtinctionis in inveſtitura Papatus dicitur Papæ: inveſtio te de Papatu Romano, ut præſis Urbi, & Orbi: in utraque vero tam Urbis, quam Orbis præſidentia coaſſiſtunt Papæ Cardinales... vice, & nomine tam Romanæ, quam univerſalis Eccleſiæ. Eamdem in rem plurima concluſ. 7. congerit, quæ perſequi non vacat, quibus Gerſonii, & Magorenſis opinionem ſacræ Cardinalium dignitati parum æquam perſtringit, exagitat, percellit. Quamquam eorum omnium, quæ ad Cardinalium gradum amplificandum profert, nolim me vadem interponere, neque eadem omnino fide mea eſſe juſſerim. Verbo id unum perſtringam, quod plurimis agens de Cardinalium origine, prærogativis, & officiis proſequitur Cl. Thomaſſinus vet., & novæ diſcipl. tom. 1. lib. 2. cap. 113. uſque ad cap. 116, Cardinalium inſtitutionem potius quam divino, acceptam referendam juri Eccleſiaſtico videri: eoſdem olim denominatos Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos Eccleſiis particularibus præfectos, ut oſtendunt Waneſpenius par. 1. juris Eccleſ. tit. 22, & PP. Maurini in notis ad epiſtolas S. Gregorii M. pag. 501: de eorumdem inſtitutione juri Eccleſiaſtico tribuenda agit Eugenius IV. in epiſt. ad Archiep. Cantuarienſem: circa annum 1059 dumtaxat cœpiſſe anteponi Epiſcopis ſcribunt Panvinius, & Sigonius: galero rubro ab Innocentio IV. anno 1246. donati ſunt: ex Monachis aſſumpti jam ab anno 1591 a Gregorio XIV: veſtes purpureas anno 1464. a Paulo II. acceperunt. Sed ad Alliacenſem regrediatur oratio.

Eadem par. 1. cap. 3. de Hierarchia Eccleſiaſtica agere adgreſſus principio de Pontifice ſtatuendum ſibi propoſuit: *Supponitur*, inquit, *quod inter auctoritates Eccleſiæ regitivas ſit hierarchica ſubordinatio, & quod una ſcilicet Papalis auctoritas ſit ſuprema ex Chriſti inſtitutione, juxta illud* Jo: 20. Paſce oves meas. Ad Cardinales dein gradum faciens, *Ex præmiſſis*, ſubdit, *infertur, quod ſicut ſtatus Papæ, ſic & poſt eum ſtatus Cardina-*

dinalium ad ordinem hierarchicum ex Chriſti inſtitutione pertinet. Nam ipſi quantum ad hunc ſtatum ſtatui Apoſtolico immediate ſuccedunt ... unde ulterius ſequitur, quod ad ſtatum Cardinalium tamquam ad ſtatum Apoſtolicum primo pertinet una cum Papa regimen totius Eccleſiæ ... ex eodem fundamento patet, quod ad Sedem Apoſtolicam, ideſt Papam, & Cardinales præ ceteris ſedibus particularibus pertinet declaratio veritatum neceſſariarum, aut utilium ad ſalutem, ſive quantum ad fidem, ſive quantum ad regimen Eccleſiæ. Quæ hic habet de Pontificis auctoritate planiſſima ſunt, quam ullo gloſſemate indigeant: quæ tamen attexit de ſacro Cardinalium cœtu in Reipublicæ chriſtianæ adminiſtratione divino jure a Summo Pontifice adhibendo, quæque nuper doctiſſ. Serrio ſummopere arriſiſſe perſpectum eſt, probari mihi omni ex parte nequeunt, propterea quod abs vero non abhorreat Cardinalium alioquin ampliſſimum Ordinem intra Eccleſiaſtici juris limites eſſe concluſum: certo vero ſit certius juxta regiminis Monarchici rationem a Chriſto D. in Eccleſia inſtitutam unum penes Pontificem in Republica chriſtiana adminiſtranda rei totius ſacræ ſummam conſiſtere. Quo de aſſumpto, quia ſuo ſatis, ſuperque actum eſt loco, ab eo nunc retractando abſtinemus. Cap. 4. exhibet 10. concluſiones, quas plurimis, qua Præſulibus, & qua doctoribus præhabito diligenti examine probatas fuiſſe perhibet: quarum hæc ſumma: Romanam Eccleſiam Eccleſiarum omnium Matrem eſse, & Magiſtram: Concilii œcumenici, univerſalis imo Eccleſiæ Caput eamdem eſse: hanc vero Capitis ſingularem præeminentiam obtinere traditione divina. A Pontifice Maximo, Cardinaliumque Collegio ejuſdem Romanæ Eccleſiæ ſpeciem exprimi pulcherrimam, ſummamque geri, Concilii generalis imo partem potiorem, ideoque univerſalis Eccleſiæ peragi, faciemque repræſentari: adeoque Romanam Eccleſiam in tantam aſsurrexiſse auctoritatem, ut abſque ejus conſcientia, nihil in rebus ad Religionem attinentibus queat definiri, ac decerni: ei proinde a Concilio, ut par eſt, auſcultandum, nec quidquam eadem inconſulta, aut invita audendum, aut adgrediendum. Miſſis, quæ par. 2. de Annatis præſertim Romanæ Curiæ perſolvendis exagitat, ſiquidem parum huc faciant, con-

feſtim

feſtim ad ea, quibus par. 3. Concilii poteſtatem ſupra Pontificem evehere enititur, deſcendo, ut iis rite perpenſis judicet demum æqui, rectique æſtimator quanti pluris ea facienda ſint, quibus primas Pontifici ſupra Concilium tribuimus.

Parte 3. igitur totus in id incumbens, ut Concilio Pontificem ſubjiciat, id agit, ut principio doceat plenitudinem poteſtatis reſidere 1. in Eccleſia univerſali; 2. in Romana Eccleſia particulari, 3. in Concilio generali: *Ergo*, infert, *non reſidet in ſolo Romano Pontifice*. Quod ut probet, poſtquam ſuppoſuiſſet Romanum Pontificem eſse Caput triplicis Eccleſiæ, 1. & principaliter Eccleſiæ univerſalis; 2. Romanæ Eccleſiæ particularis; 3. Concilii generalis, ſic arguit: *Sed conſtat, quod non eſt minor poteſtas in toto corpore, quam in ejus parte, ſcilicet in Capite, quia omne totum eſt majus ſua parte, & per conſequens major plenitudo poteſtatis erit in quolibet corpore, cujus ipſe eſt Caput*. Confirmat id, *Quia*, inquiens, *aliqua poteſtas eſt in Eccleſia, quæ non eſt in Papa, igitur in eo non eſt poteſtatis plenitudo*: probat antecedens, *quia confirmatio in fide juxta illud*, Rogavi pro te Petre &c. *non eſt in Papa, quia hoc non eſt dictum de fide perſonali Petri, quum ipſe erraverit, ſed de fide Eccleſiæ, de qua dicitur*: Et portæ Inferi &c. *Quod privilegium*, ſubdit, *aliqui extendunt ad Romanam Eccleſiam, aliqui ad Concilium generale, aliqui vero reſtringunt ſolum ad auctoritatem univerſalis Eccleſiæ, ſed non poteſt extendi ad Papam*. Objectioni vero, quod juxta canones Pontifex habeat plenitudinem poteſtatis; reſpondet, quod hæc plenitudo eſt plenitudo juriſdictionis, & quod proprie loquendo ſolum reſidet in Romano Pontifice, qui illam poteſt generaliter exercere: *Hæc autem eſt*, inquit, *in ſolo Papa, & non proprie in aliqua Communitate*. Cap.2. poſtquam aſseruiſset Pontificem Concilio generali eſse ſubjectum, aſsertionem veluti corrigens, ac certum intra limitem coercens, *Dico*, inquit, *quod ſicut Concilium Piſanum, ita & aliud Concilium in aliquo caſu eſſe poteſt ſupra Papam, & poteſt eum deponere*. Caſus autem juxta ipſum hæreſis eſt, aliuſque hujuſmodi ob voluntatis obfirmationem in crimine huc facile redigendi. Cap. 4. rurſus propugnandam aggreſsus Concilii ſupremam poteſtatem, non alio plane,

me-

meliorique rationum pondere conficit Concilii judicium præferendum fore judicio Pontificis, quam quod ipſe in fide errare poſſit, ſicut Petrus: *Tamen ſecundum aliquos*, ait, *hoc eſt ſpeciale privilegium univerſalis Eccleſiæ, quod non poſſit errare in fide: licet hoc idem pie credatur de Concilio generali, ſcilicet quando innititur divinæ Scripturæ, vel auctoritati, quæ a Spiritu ſancto inſpirata eſt; alias ſæpe erraſſe legitur*. Poſtremo tractatum hiſce verbis concludit: *Hæc igitur ad decem capitula in prologo hujus operis propoſita* (erant hæc capitula illa, quæ Johannes Patriarcha Antiochenus in ſchedula de auctoritate Papæ ſupra Concilium propoſuerat) *mihi pro reſponſione videntur ſufficere, quæ tamen non definitive determinando, ſed doctrinaliter ſuadendo poſita ſunt: nam hujus rei definitionem ſacri Concilii determinationi ſubmitto*.

Hiſce Petri Alliacenſis dictis haſce adjiciendas obſervationes duxerim. 1. Agnovit is probe, ingenueque faſſus eſt decretis ſeſſionis 4, & 5. nihil Pontificiæ auctoritati fuiſſe detractum, neque vulnus ullum inflictum opinioni Pontificem ſupra Concilium efferenti: nam tractatum huncce edidit Conſtantiæ in Concilio anno 1416. die 1. Octobris, ac proinde poſt ſeſſ. 5, quæ habita fuerat anno 1415. die 6. Aprilis. 2. Abfuit oppido multum a doctrina Andreæ Magorenſis, & Johannis Gerſonii, ſive doceret de poteſtate Pontificis, ſive de Cardinalium dignitate, ſive de Eccleſiæ Romanæ privilegiis, ſive de Concilii auctoritate, multoque magis circa dicendi rationem, orationiſque modum, & ſtilum. 3. Non ſibi tamen cohæſit, æqualiſque conſtitit. Parte 1. Pontifici ſupremam in univerſam Eccleſiam poteſtatem vindicat; ex eo poteſtatem in Eccleſiam univerſalem defluere; ad Pontificem præ ceteris pertinere rerum ad fidem ſpectantium definitiones, idque totum ex inſtitutione divina manare, ſcilicet ex promiſſionibus Petro factis perhibet. Rurſus Pontificem Caput Concilii non modo, ſed etiam univerſalis eſſe Eccleſiæ, in univerſam Eccleſiam Capitis, & præeminentiæ obtinere traditione divina auctoritatem, dignitatemque; a Pontifice repræſentari Eccleſiam univerſam, ac Pontificis conſenſum omnino a Concilio requirendum eſſe, & ſuſcipiendum aperte fatetur: parte autem

autem 3. Concilio Pontificem ſubjicit, inferioremque agit? 4. Ficulnea plane, & infirma eſſe quam maxime ejus argumenta, ac falſam prorſus, & fallacem argumentationem. Principio argumenta, quæ adhibet, id probandum eunt, tum quod Pontifex Eccleſia univerſali non modo, ſed etiam Romana, nedum generali Concilio, ſed etiam particulari eſset inferior: tum quod ita Rex Regno inferior foret, quinimo Chriſtus Dominus neque Eccleſia eſset ſuperior, quia nempe totum majus eſt ſua parte. Promiſſiones S. Petro factas ad Eccleſiam detorquens de Pontifice accipi pernegat, quod falſum omnino art. 1. oſtendimus, quas & ipſemet quondam rectum in ſenſum expoſuit, ut inferius pateſcet; non ſecus ac falſum, quod Petri fides labefactata fuerit, ac ille in fide quidquam humani ſit paſsus. A Concilio generali repræſentari univerſam Eccleſiam dicit, dubitat tamen num privilegio inerrantiæ illud gaudeat, quamquam id pie credendum proponit: ſed a Summo Pontifice Eccleſiam perinde univerſam repræſentari docet; quid ergo idem privilegium ei detrahit? Romanæ Eccleſiæ rurſus illud privilegium adſeri refert, nec ei ob id invidiam creat: Quid ergo injuriam ex eo Romano Pontifici conflat? Certis tantum in caſibus Pontifici præeſse Concilium ait: ergo in ceteris Concilio Pontifex præerit: quare ergo tunc non erit Pontifex Concilio ſuperior, non eritque tum falli, & fallere omnino neſcius? Si infallibilis Eccleſia univerſa, nonne infallibilis pariter ille, qui univerſæ præeſt Eccleſiæ, quum illi auſcultare univerſam Eccleſiam idemmet jubeat?

Præſtat poſtremo audire eumdem Alliacenſem in allocutione, quam ſuo, & Academiæ Pariſienſis nomine quondam, ideſt paulo ante Piſanam Synodum, ad Clementem VII, quem tanquam legitimum Galli colebant, copioſo, illuſtrique cœtu coram habuit, quæ in appendice tom. 1. oper. Gerſonii rejecta legitur: *Igitur*, inquit, *pro veſtris humilibus filiis Univerſitatis Pariſienſis, & pro nobis eorum nunciis, qui ſuis in hac parte obſequimur mandatis, & documentis innitimur, corde, & ore unanimiter proteſtamur, quod quidquid hactenus in hac cauſſa per eos actum eſt, & quidquid in ea nunc, vel alias pro eis acturi, aut dicturi ſumus, totum correctioni, & judicio Sedis*

dis Apoſtolicæ, & ſedentis in ea Summi Pontificis humiliter ſubmittimus, dicentes cum Beato Hieronymo 24. q. 1. hæc eſt fides, Pater Beatiſſime, quam in Catholica Eccleſia didicimus, in qua ſi minus perite, aut parum caute forte aliquid poſitum eſt, emendari petimus a te, qui fidem Petri, & ſedem tenes. Non ignoramus enim, ſed firmiſſime tenemus, & nullatenus dubitamus, quod ſancta Sedes Apoſtolica eſt illa Cathedra Petri, ſuper quam, eodem Hieronymo teſte, fundata eſt Eccleſia, ut habetur eadem quæſt. in cap. quondam vetus; & ſicut dixit Cyprianus 93. diſt. qui Cathedram: de qua ſede in Cathedra Petri Apoſtoli in ea ſedentis dictum eſt: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua &c. *Hæc eſt igitur, ad quam determinatio fidei, & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis deteſtatio maxime pertinet.* Hactenus Alliacenſis, atque de eo hactenus.

Age modo ad Andream Magorenſem in Hiſpania Epiſcopum hominem alterum, cui defenſorum decretorum Conciliorum Conſtant., & Baſileenſ. cauſſa maximopere fidit, a cujuſque cum ſermonibus in Conſtantienſi, tum ſcriptis in Baſileenſi grandis excitatus pro Conciliis rumor, grandes contra Pontifices commotæ turbæ feruntur, oratio convertatur. Iſte itaque ſeveri, elatique ſupercilii auctor, qui in Concilio olim Conſtantienſi ipſa die ſeſſ. 5. orationem ad Synodum habuit, Juliano Cæſarino Cardinali anno 1435. opus inſcriptum *Gubernaculum Conciliorum*, quod exhibet tom. *6.* VonderHart, obtulit, cujus hic brevi calamo anachroniſmos, antilegomena, apinas, errata indicaſse, exſufflaſse eſt. Ille igitur, quod hominem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ prorſus ignarum prodit, qui alioqui Baſileenſibus doctiſſimus habebatur, V. Bedam ſub ævum S. Damaſi Pontificis, ideoque ſæculo IV. ſupparem, floruiſſe putidiſſimo anachroniſmo aſſerit, atque ut Conciliorum frequentem celebrationem urgeret, quanta præfidentia, tanta falſitate affirmavit octo Concilia generalia, quæ primo obtinuere, annorum *16.* intercapedine habita fuiſſe, atque ſpatio annorum *60.* Concilia 32, eaque quidem generalia, ab Eccleſia celebrata. Mendacio tam manifeſto par. 5. ad calcem cap. 7, & cap. 8. aſſerto alia etiam, atque etiam aſſuens ad vindicandam

Concilio Baſileenſi auctoritatem, quamvis exiguo admodum Epiſcoporum numero conſtanti, effutit *Quod ſicut illa 32. Concilia fuerunt ſancta, juſta, & ab Eccleſia univerſa recepta, & tamen in ipſis fuerunt pauci viri Eccleſiaſtici, & pauci Patres, & Prælati, ſic amodo poteſt, & debet fieri, quia dato quod multi vocentur, & pauci veniant, tamen quæcumque decreta, quum ſint a Spiritu Sancto inſpirata, & ab univerſali Eccleſia, quam repræſentat illa parva generalis Synodus, determinata, ſunt tenenda a toto Clero, & populo Chriſtiano tanquam ſi divinitus eſsent tranſmiſsa; & probatur per Concilia ſuperius dicta, & primo per 4. Apoſtolorum Concilia, in quibus pauci numero fuerunt*: Vah ſupinum argumentatorem! *Item probatur*, inquit, *per illa 32. Concilia*, (aures patienter ad aretalogum) *de quibus ſcripſit Beda, & Gratianus in Cap. ſexta Synodus 16. diſt. quoniam*, paucis interjectis pergit, *in Synodo Nicæna fuerunt* 218. *Epiſcopi* (at fuere 318.) *in Synodo IV. Chalcedonenſi fuere* 201. (ſupra dixerat 225.; at in utroque numero fallitur, nam fuere *630.*) numerus ibi eſt expreſsus, ut locus non ſit eumdem ab errore excuſandi. *Utrum autem*, ſubdit, *illi Patres fuerint Epiſcopi, aut ſi in dictis Conciliis interfuerint Pontifices, aut per quos fuerint convocata, textus decreti non dicit, nec memini me legiſse*. Næ vir apprime eruditus, cui utroque aure Baſileenſes auſcultarent! Poſtquam iterum generalibus Conciliis pleraque, imo majori ex parte Concilia particularia adnumeraſset, ut conficeret ad Concilium generale, quemadmodum Baſileenſe, conflandum, exiguum ſatis eſſe numerum Epiſcoporum, profert exemplum ex 16. Conciliis, ut loquitur, generalibus Occidentis, & primo ex Arelatenſi, *in quo*, inquit, *non fuerunt Patres niſi ſex, & fuit Papa Romanus*: (ſuperius dixerat adfuiſſe Patres *600*; canonum vero Arelatenſium auctorem fuiſſe Silveſtrum I, utrumque vero falſum:) deinde ex Conciliis Lugdun. I, in quo fuiſse Patres 18; Lugdun. II, in quo fuiſſe Patres 20. &c. falſiſſime affirmat. Piget iſta refellere, ſed pudet imo referre. Hæc tamen figmenta hiſtoriæ; agedum indicentur errores doctrinæ.

Itaque ex dictis inepte concludit: *His temporibus ad inſtar illorum Conciliorum poſsunt celebrari generalia Concilia cum paucis*

Patri-

Patribus: imo ex verbis Chriſti, *ſi duo ex vobis* &c. infert *ergo ſi duo fuerint in Concilio generali unanimi conſenſu, & voluntate pro bono reformationis Eccleſiæ, poterunt generale Concilium celebrare, & continuare, quia ſi verum eſt, quod in unico ſuppoſito exiſtente in gratia poteſt ſalvari illa ſancta Mater Eccleſia univerſalis*; (en ſaporem hæreſis Calvini Eccleſiam ex ſolis juſtis componentis) *etiam ſicuti fuit de Beata Virgine, in cujus corde paſſione Chriſti durante, quum diſcipuli ab eo fugiſſent, tota fides Catholica remanſit, ſicut credit, & eſt fides Catholica*; (en notam calumniæ, & blaſphemiæ in Apoſtolos) *ſic etiam ſi non ſint, niſi duo in generali Concilio in charitate Dei, & gratia exiſtentes*; (en odorem hæreſis Wicleffi ajentis ab Epiſcopis malis poteſtatem deperdi) *in Spiritu Sancto congregati, poterunt celebrare Concilium, definire, judicare... quia juſto non eſt lex poſita, ſed propter tranſgreſſores eſt poſita lex: ergo illi duo boni, & juſti poterunt alios judicare, & reformare, qui ſunt mali*. Quamvis non tacendum (id enim ingenui viri officium,) quod p. 6. c. 1. dictum retractans aſſerit Epiſcopos, quamvis malos, & ignaros, non tamen excidere a miniſterii auctoritate. Concilium par. 2. deſcribens, *Concilium*, inquit, *eſt ſocietas multorum fidelium* (ita nempe ad Concilium accerſit Sutores, Agaſones, Sarritores, & cujuscumque generis tabernarios) *in unum propoſitum, & propter unam communem intentionem congregata*. Parte 6. c. 1. poſtquam Cardinalium ſacro cœtui ſe parum æquum præbuiſset, hiſtoriæque Eccleſiaſticæ ignarum quam maxime ſe prodidiſſet, quatenus eorumdem ampliſſimam inſtitutionem uni officio ſive Catechumenos ſacro baptiſmo initiandi, ſive Chriſtifidelium cadavera humo demandandi acceptam refert; eodem capite inquirens in eos, quos Concilio intereſſe oporteat, tres opiniones proponit. 1. Quod ſolis Epiſcopis fas ſit in Conciliis judicis perſonam, parteſque agere, cujus rei hanc rationem adfert: *quia Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis: etiam, quia pares ſunt, quantum ad Clavium poteſtatem, cum ipſo Papa* [ſed quam falsum id eſt?] *ut expreſſe duo textus Evangelici Matth. 16, & 18. videntur dicere*. (ſed quam falſo illos eſt interpretatus?) 2. Quod unum penes Pontificem, Collegiumque Cardinalium de rebus fidei decernendi in

Concilio plena, integraque poteſtas reſideat: (ſed id toto etiam oſtio abs veritate abhorret.) 3. Quod præter Pontificem, Cardinales, atque Epiſcopos, præterea Abbatibus, Curatis, Presbyteris, Clericis, Laicis quin imo cujuslibet genus locus, graduſque in Conciliis patere omnino debeat, itaut ſuffragii ferendi in fidei cauſſis jure nullo ii defraudandi ſint modo: *Et hæc opinio*, ſubdit, *eſt communior, & videtur eſse ſecurior, & ſanctior: ratio potiſſima eſt, quia omnes eadem voce, eodemque ore debemus fidem defendere, & univerſalem Eccleſiam in membris, & in Capite reformare... imo poteſtas univerſalis Eccleſiæ*, addit, *videtur reſidere in ipſa tota Eccleſia, quæ eſt fidelium congregatio.. quia non poteſt dici Eccleſia, in qua eſt ſchiſma.... ergo ſi aliqui Chriſtiani in Concilio haberent voces, alii non, tunc in Eccleſia eſset ſchiſma, ſeu diviſio, & jam tunc non eſset fidelium congregatio*. Deus bone quæ audio! Quot verba ferme tot numero, fœdæque notæ errata.

Hiccine eſt homo, cui arrectæ intenderentur aures? Vereor ne turpe ſit vel referre, relataque quomodo a viris probis, riteque inſtitutis ſint accipienda, quæ p.7. de poteſtate convocandi Concilia ipſum perhibere non puduit. Iſtiuſmodi enim juris particulam jam pridem ad Imperatores pertinuiſſe, & quamvis poſtea inter Pontificis jura fuerit tranſcripta, certis tamen in caſibus (cujusmodi ei erant caſus Conſtantienſis, & Baſileenſis Conciliorum) ad Imperatorem licite, ac legitime demum regredi pugnat. Quam vero, putas, ob rationem? Ecce potiſſimam, quam adfert; *Quia Imperator*, inquit, *repræſentat totum populum Chriſtianum: ergo loco ipſius habet congregare Concilium*. Hominem ratione adeo deſipientem habeas, per me licet, quo malis loco: attamen cedo, Anglus Presbyterianus ampliorem, ſi poſſit, laicæ poteſtati in Eccleſiaſticas perſonas, & cauſsas facere facultatem. Inſuper docet a tertia parte Epiſcoporum cogi poſse Concilium etiam ceteris refragantibus: *Quia*, inquit, *ſpiritualis homo omnia judicat ſecundum Apoſtolum, & a nemine judicatur*. Ita ſuſdeque S.Scripturæ loca vertit, ut quoquomodo efficeret, ne ab eo, quo ſtabilire eamdem ſatagebat loco, Baſileenſis Synodus dimoveretur. Par.9. cap.4. ſoli Concilio competere jus diſsolvendi

ſe ipſum

ſe ipſum aſſerit; *Poteſtas Concilii*, inquiens, *major eſt*, *quam poteſtas Papæ*. Nempe eam rationem refricat, qua Concilium ſupra Papam extulerat. Sed quæſo de auctoritate Pontificis, & Concilii non pigeat Gerronem hunccе diſſerentem excipere.

Parte 1. cap. 2. propoſitis tribus opinionibus, quarum 1. Pontificem Concilio præfert; 2. Concilium inter, & Pontificem ex æquo poteſtatem partitur; 3. Concilio primas concedit: poſtremam hancce probat, Concilii ſcilicet majorem eſſe, quam Papæ in auctoritate, in juriſdictione, & in executione poteſtatem, *in auctoritate*, inquit, *quia poteſtas Concilii eſt a Deo immediate, & poteſtas Papæ eſt a Chriſto, & Conciliis*: (at num Deus non eſt Chriſtus?) *in juriſdictione*, *quia Orbis major eſt Urbe*: (exinde concludere eſſet Chriſtum etiam Concilio inferiorem ire) *in executione*, *quia Concilium poteſt*, *per quos voluerit*, *omnia Papæ officia exequi*, *& exercere*. Næ magno ille in errore verſatur! Pontifex eſt ne Concilii, amabo, an Petri ſucceſſor, & Chriſti Vicarius? Pontificis poteſtas eſt ne in Urbem tantum, an etiam in Orbem? Capitis officia exequi ne valet corpus? Ergone poterit alterum ſibi Caput ſuperinducere illo abjecto, & defuncto Pontifici non alium ſufficere, ſed per delegatos id muneris exercere? At ecce momenta, quibus argumentator nugaciſſimus doctrinam hancce ſuperſtruit! Probat id primo ratione: *Quia totum majus eſt ſua parte*: 2. Auctoritate multiplici: tum *Quia qui facit peccatum ſervus eſt peccati*; *ſed Papa poteſt peccare, ergo eſt ſervus*; *Eccleſia non poteſt peccare*, *ergo eſt Domina*: iterum *Papa poteſt peccare*, *ergo ſubjicitur correctioni*: tum *Quia bonum commune debet præferri bono particulari*; *at Eccleſia eſt bonum commune*, *Papa bonum particulare*: (gerræ profecto gerræ, quas pudet refellere) tum quia S. Auguſtinus ait poteſtatem ligandi, & ſolvendi datam fuiſſe Eccleſiæ in perſona Petri; S. Hieronymus aſſerit Eccleſiam a Chriſto accepiſse Claves poteſtatis ligandi &c., & S. Gregorius ait ſe veluti quatuor Evangelia ſuſcipere quatuor Concilia. 3. Exemplis Leonis Papæ, qui ſe Concilio ſubmiſit, ut habetur 2. q. 7. *Nos ſi*; & Conciliorum, quæ hoc de fide decreverunt, ac præſertim Concilii Conſtant., quod ſeſs. 5. declaravit ſe Pontifice ſuperius. Ita ratione, auctoritate, & exemplis abu-

abutitur, ut ſuos quam impune, tam impudenter craſſos errores adſtruat.

Objiciens autem ſibi, quod ad Pontificem pertinet convocare Concilia; quod Petro ſuperſtructa Eccleſia fuit &c. Gerſonium ſequutus, imo Wicleffi inhærens veſtigiis principium adſtruit, quo lata, ut quondam Baſileenſibus exprobrabat Eugenius IV, perduellioni aperiatur via; quo Eccleſiæ quoque poteſtas elevetur, & contemptui habeatur; quove ſuperbe in ſuperiores inſurgant ſubditi. Reſpondet enim, quod quemadmodum Rex etſi Regni comitia convocet, poteſtate tamen ſupra Regnum non potitur: pariformiter Pontifex quamvis Concilia cogat, potiori tamen, quam Concilium poteſtate non pollet: quemadmodum, ſubjungit, Petrus, quamvis convocaverit Concilium Apoſtolorum, tamen ipſe non definivit, ſed Apoſtoli ſimul cum eo, quia pares, & æquales fuerunt Apoſtoli, quantum ad poteſtatem Clavium. En recoctum errorem de æqualitate S. Petri cum ceteris Apoſtolis! Imo addit Concilium ea ratione præterea eſse majus Papa, quatenus ex fidelibus etiam coaleſcit: *Ideo*, inquit, *poteſtas omnium Apoſtolorum, quorum loco ſuccedunt Epiſcopi, & omnium fidelium conjunctim, & in communi major eſt poteſtas, quam Papæ, qui eſt unus homo, quia virtus unita fortior*. Apage craſſum, ſupinumque argumentatorem? Præterea illud: *Tu es Petrus* &c. exponens, *Tibi Petro*, inquit, *ædificato ſuper me petram, ſcilicet Chriſtum, per apicem ſanctitatis, & innocentiæ, per dignitatem, & comparationem virtutum, & ſanctimoniæ, tibi dabo claves Regni Cælorum, contra quas non prævalebunt portæ inferi, ſcilicet nequitiæ. Quia non eas tibi dabo Petro ædificato ſuper peccatum, vel diabolum, non tibi dabo eas exiſtenti pertinaciter in peccato mortali, quia tunc portæ inferi, ſive nequitiæ prævalerent adverſus Eccleſiam.... Quod luce clarius oſtendit Joannis 20, ubi Chriſtus in tradendo claves Eccleſiæ Petro, & Apoſtolis dixit: Vos Apoſtoli primo accipite Spiritum Sanctum, & poſtquam eum habueritis, tunc quorum remiſeritis peccata remittentur eis* &c. Imponere nolim illi perſonam Wicleffi affirmantis malis Epiſcopis non conferri juriſdictionem, nam alio, ut ſupra innui, in loco aliter ſcribit: ſed cur ſibi verſatilis ingenii

vir

vir non conſtat? Poſtremo de auctoritate Concilii ab ſe ex fidelibus conflati agens: *Ideo*, ait, *Concilium . . . imo quilibet Chriſtianus pro tuenda libertate Eccleſiæ, ne ſit ſerva peccati, acriter, & publice, palam, & occulte debent Papæ, & quibuſcumque Eccleſiaſticis ſervare nolentibus decreta in Conciliis generalibus in faciem reſiſtere, & obedientiam ſubtrahere, & tanquam a pagano, hæretico, & fidei inimico ab eo fugere, & ab ejus obedientia, & ſequela recedere . . . . Certe ad ſalvandam*, ſubdit, *hanc libertatem Eccleſiæ debent omnes Reges terræ adſtare, & Principes, ac omnes Chriſti fideles in unum convenire adverſus Chriſtum Domini, adverſus Vicarium ipſius Chriſti Jeſu, & alios ejus ſequaces quoſcumque, & ab ejus obedientia recedere.* Proh prava dogmata! Proh putida deliramenta! Hiſce tamen innixi Baſileenſes in Eugenium infremuerunt, & peſſima quæque intentarunt. Verum poſtquam in Pontificem, tam immania, tam iniqua, tam inſana, tam erronea ille evomuiset, veritate preſsus demum agnovit nihil a Conſtantienſi, vel Baſileenſi definitum cœtu, quo Pontificiæ Concilii ſit præferenda poteſtas: *Quia*, inquit, *opiniones diverſæ ſunt, & nulla eſt determinatio facta tam propter Papam, quam propter generale Concilium Baſileenſe, Papa abſente ab ipſo, & non ſcio si approbante: ideo neceſſarium eſt, quod celebretur generale Concilium, & propter hoc, quod non credatur, nec aſſeratur, quod sint duæ poteſtates diſtinctæ in univerſali Ecclesia, ſcilicet Papæ, & Concilii generalis, determinetur ad perpetuam rei memoriam propter Papam, qui eſt, vel erit pro tempore, & propter ſacrum generale Concilium conjunctim, quæ iſtarum potentiarum sit major in auctoritate, & juriſdictione, & in executione, quam alia.* Iſta fuſiori, quam par fuiſset, ſtilo proſsequuti ſumus, ut plane pateret fons, ex quo putida opinio de poteſtate Concilii ſupra Pontificem profluxit. Confer doctiſs. Petitdidier diſsert. de auctor. decret. Concilii Conſtant. multo plura in præcitatos ſcriptores animadvertentem.

Alios pleroſque neque ſpernendos doctos homines, ſed & dignitatibus inſignitos nobis objectant, qui Concilii partes ſupra Pontificem evehere conati ſunt; nihilque non egere, ut tam Conſtantienſi, quam Baſileenſi Concilio poteſtatem talem, tantam-

tamque adſciſcerent, ut vel Pontificis indubii poteſtati anteponendam propugnarent. Audiunt ex iis autem 1. Stephanus Pragenſis, qui in ſerm. ad Synodum Conſtant. an. 1417. habito apud VonderHart tom. 2. Concilii auctoritatem majorem Pontificis, & Cardinalium auctoritate adſeruit, illudque in his, quæ fidei ſunt, errare nequaquam poſſe; imo Pontificis electioni Eccleſiæ reformationem anteponendam exiſtimavit. 2. Æneas Silvius, qui Concilii Baſileenſis acerrimus aſſertor fuit, dum Cardinalis Dominici de Capranica in Concilio Baſileenſi comes, & familiaris eſſet. Julianus Cardinalis Cæſarinus, qui ad Eugenium datis acerbioribus litteris totus incubuit, ut ei Concilii diſſolutionem diſſuaderet: inter alia ſcribens, quod juxta decretum Concilii Conſtantienſis in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris, Papa Concilio tenetur obedire, & niſi obediat, poſſet puniri: unde ab Eugenio Concilii diſſolutionem fieri non potuiſſe concludit. 3. Nicolaus Panormitanus, qui eadem tempeſtate in commentario in cap. *Significaſti* de elect., & electi poteſtate ſcripſit: *In his, quæ non pendent a plena poteſtate Papæ, Concilium eſſe ſupra Papam: unde non poteſt Papa diſponere contra diſpoſitum per Concilium*, ubi allegat Gloſſam in cap. *Anaſtaſius*; cap. *Si Papa* 40. diſt., & Gloſſam in cap. *In fidei favorem*. 4. Johannes Patriarcha Antiochenus, qui tractatu elucubrato, atque Concilio Baſileenſi exhibito acriter defendit Concilium a Papa diſſolvi non potuiſſe; Concilium Romano Pontifice eſſe ſuperius probans ex cap. *Quodcumque* 24. q. 2. ex S. Auguſtino decerpto; atque ex decretis ſeſs. 4., & 5. Concilii Conſtant. 5. Nicolaus de Cuſa poſtea Cardinalis, qui lib. 2. de concordantia Catholica cap. 17. *Univerſale Concilium*, inquit, *quod univerſalem Catholicam Eccleſiam repræſentat, eſſe ſupra Patriarchas, & Romanum Pontificem credo dubium eſſe non debere*. Quam propoſitionem probat ex eo, quod in Conciliis generalibus geſta, & judicata per Romanum Pontificem examini, & ſententiæ iterum ſubjecta legantur; atque ex Concilii Conſtantienſis, & Baſileenſis decretis. 6. Gregorius Corrarius Venetus Romanæ Eccleſiæ Protonotarius, qui ad Sigiſmundum Imper. orationem habuit an. 1433. pro Concilio

lio Baſileenſi, qua ſatis indicat Concilii juris eſſe reformare Eccleſiam etiam in Capite. 7. Thomas de Courſellis Doctor Pariſienſis, & Concilii Baſileenſis Orator, qui in oratione habita Biturigibus in Conventu Eccleſiæ Gallicanæ ad Carolum VII. ex Conciliis Conſtant., & Baſileenſi, Eugenii confirmatione, ac jure Canonico Concilii ſupra Pontificem præſtantiam multis propugnavit. 8. Alphonſus Toſtatus, qui in ſuo defenſorio part. 2. cap. 69. docet Eccleſiæ auctoritatem eſse potiorem auctoritate Pontificis, qui membrum eſt illius, & illam in fide errare non poſse, illum vero poſse errare, & ſæpe erraſse Pontifices reperiri: unde concludit ſupremum a Chriſto Eccleſiæ tribunal in ſacro Concilio etiam ſupra Papam fuiſse conſtitutum. 9. Dionyſius Carthuſianus, qui Baſileenſis Concilii tempore florens lib. 1. de auctorit. Papæ, & Concilii generalis art. 10, 31, & 34. Concilium generale ſupra Pontificem ſtare, & amplioris eſse poteſtatis conficit ex decretis Concilii Conſtantienſis, cui proinde Pontifex in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris ſubjaceat. 10. Henricus Kalteiſen Ord. Præd. Doctor Colonienſis, qui in orat. habita in Concilio Baſile. adverſ. 3. articulum Bohemor. de libera prædicatione verbi Dei apud Harduinum tom. 8, pro ſuperioritate Concilii ſupra Pontificem pariter ſtetit.

Verumtamen impræſentiarum (nam de ſcriptoribus in hocce argumenti genus ſuus erit agendi locus) reponimus 1. auctorem Anonymum in tract. de comm. adverſus Jacobum Miſnienſem; Mauritium Pragenſem in ſimili tract. in Concilio Conſtanr. pariter conſcripto; Johannem Antiochenum in theſibus ipſo in Concilio propugnatis; S. Johannem a Capiſtrano tract. de Papæ, & Eccl. auctoritate; S. Laurentium Juſtinianum lib. de obed. cap. 12; S. Antoninum in ſumma part. 3. lib. 23. cap. 3. §. 3; Johannem de Turrecremata loc. cit.; Johannem Ferrarienſem lib. contra Gentes cap. 79; Cardinales Johannem Carvajalem, & Nicolaum Cuſanum apud Auguſt. Patricium hiſt. Concil. Baſile. cap. 118; Thomam Valdenſem doctrin. fidei lib. 2. art. 3. cap. 32; Franciſcum Philelphum in epiſt. ad Poggium; Hieronymum Savonarolam de verit. fidei lib. 4. cap. 6. Ex Græcis præ-

terea Joſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum in confeſs. fidei; Iſaiam Patriarcham Hieroſolymit. in epiſt. ad Eugenium IV; Nicodemum Abbatem Æthiopem in epiſt. ad eumdem Pontificem; Joſephum Methonenſem in reſp. ad libellum Marci Epheſini; Andream Rhodium Epiſcop. in Concil. Florent. ſeſs. 7; Gennadium Scholarium de primatu Papæ capp. 9, & 16; Georgium Trapezuntium in epiſt. ad Nicolaum V; Leonardum Chienſem in epiſt. ad eumdem Pontificem, de quibus jam ſupra fati ſumus, alioſque ſuo loco laudandos, qui in aliam plane abiere ſententiam, Pontificibus ſummis integra ſua manere jura ſuperioritatis, & infallibilitatis docentes, quos nos illis objectamus.

Reponimus 2. Stephanum Pragenſem hanc quæſtionem uti mere ſcholaſticam, non uti dogmaticam exagitaſse, quam neque ex ſcriptura, neque ex traditione comprobat; ſed neque decretis ſeſs. 4, & 5. Concilii Conſtant. comprobatam indigitat: quin imo neceſsarium in Eccleſia Caput adſtruit, illudque Pontificem Romanum ex Chriſti inſtitutione eſse, quo veluti unitatis vinculo colligari Eccleſia indigeat, ut una ſit, & conſiſtat, in quo demum ait reſidere *fontalem, & capitalem* plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis; *& illa*, ſubdit, *ſpecifica, & magna poteſtas eſt per ſe principium, & per ſe finis omnium poteſtatum particularium*. Æneam Silvium poſtea Pium II. opinionem præconceptam abdixiſse diplomate edito, de quo infra, ubi de Concil. Conſtant. decretis dicemus in reſp. 5, & mox quum de Academiis, & quando de ſcriptoribus Latinis. Interea audiendus in orat. habita in conventu Mantuano, quam ex Nicolao Petit deſcriptam exhibet Harduinus tom. 9. Concil. *Nemo*, inquit, *ſe fallat ... Eccleſia una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fæcunditatis extenditur; quomodo multi radii ſolis ſunt, ſed unum lumen; & rami arboris multi ſunt, ſed unum robur tenaci radice fundatum; & de fonte uno rivi plurimi defluunt ... unitas tamen ſervatur in origine, ... ſic Eccleſia Dei luce perfuſa per totum Orbem radios ſuos porrigit, unum tamen eſt, quod ubique diffunditur; unum tantum caput, & una origo, & una mater Eccleſia* (Romana) *alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt, & habere non poteſt Deum Patrem, qui Romanæ Sedis, quæ univerſalem Eccleſiam virtute complecti-*

tur,

tur, *non tenuerit unitatem*. Julianum quoque primam ejuraſſe ſententiam, ac Pontificem ſupra Concilium extuliſſe refert idem Pius II. in Bulla retract., qua imo aſſerit Julianum veteri relicta ſententia Pontificem Concilio prætuliſſe, dum ipſe adhuc in priori ſententia, quam cum eodem Juliano Baſileenſibus adhærens defenderat de Concilii ſuprema poteſtate, tenacius permaneret. Addiderim quod Cardinalis Julianus ea de re Concilio Baſileenſi adjecerit animum, quod inſcio Eugenio, eodemque deinde id reprobante, cum Bohemis, & Sigiſmundo Imperatore ſe commiſiſſet, ut ex actis Concilii planum fiet: ſed & opinionem illam de Concilii præſtantia Eugenio proponens, ut alienam potius, quam ut ſuam propoſuit, nam ait: *In tribus prædictis caſibus*, *ut dicunt*, *Papa eſt inferior Concilio*. Concilium denique tanta in Eugenium moliri, atque attentare perſpiciens, ei valedicto, Eugenio reconciliatus eſt. De Nicolao Panormitano refert Ciacconius in breviar. geſtorum ejus inter vitas Pontificum, quod Alphonſi Regis Aragoniæ juſſu ad Concilium Baſileenſe ſe ſe conferens Eugenii partes primo ſuſtinuit; poſtea quum Alphonſus Eugenio ſubiratus eſſet, Romani Pontificis partes impugnaturus Baſileam rurſus adiit, pluribuſque ſuaſit Eugenii depoſitionem, quam tamen quum proxime attentandam perſpiceret, a Synodo diſceſſit: non multo poſt denique a Felice V. Cardinalis renuntiatus Baſileam rediit, ſe ſeque acerrimum Concilii propugnatorem propinavit. Itaque alternatim in partes deſcendebat, quæ ſuis impendiis alterna vice deſervirent,& quas mox proſcidiſſet, impenſe colendas ſuſcipiebat. Sed illud quoque obſervatione dignum eſt, quod ut refert Auguſtinus Patricius cap. 120, Panormitanus dum ſermonem haberet in die Pentecoſtes, qua Felix Sacris operabatur, dum ſcilicet de auctoritate Concilii, & Papæ loqueretur, aſseruit Papam eſse majorem generali Concilio, neque recte agi a Patribus, quod nomen Concilii Pontificis nomini præferrent; quoniam ipſe eſset Caput Concilii, & Epiſcopus univerſalis Eccleſiæ; ſed hanc prærogativam habere Pontificem in rebus alienis;in factis autem propriis ita Papam ſubeſse Concilio, ut etiam pro quocumque peccato notorio Eccleſiam perturbante a Concilio poſset judicari. In aliis vero judi-

cium ad eum omnino pertinere, ad quem etiam fidei definitiones ſpectarent, etiam præſente Concilio generali. Hæc Panormitani verba Baſileenſium animos perturbarunt, putantes hiſce a Panormitano Concilii Conſtantienſis, & Baſileenſis decretis iri detractum: monitus propterea ſuper his coram Felice, & Cardinalibus ſuis ſe purgavit, ajens ea verba ſe ardore quodam ſermonis protulifse, proinde in bonam partem eadem interpretarentur, ut qui auctoritati Conciliorum favifset ſemper, faveretque quoad viveret. Hæc de Panormitano Auguſtinus Patricius.

Johanni Patriarchæ Antiocheno genere Gallo opponimus Johannem Antiochenum Patriarcham, vel ab illo, vel ab ſe diverſum, quem in Concilio Conſtantienſi pro auctoritate ſuprema Pontificis acriter pugnaſse narravimus. Cæterum, quæ iſthic in tract. incip. *Ad oſtendendum* apud Harduinum tom. 8. pag. 1559. congerit, adeo futilia, vel aperte falſa, ſive quæ in adverſam partem profert, ſive quæ ut ab adverſario ſe protegat, profundit, ut ea ſive refellere, ſive etiam referre & pudeat, & pigeat. Nicolaum Cuſanum, dum Eugenio eſset ſubinfenſus, & Concilii Baſileenſis conſiliis addictus, nil mirum id ſcripturiiſse, quod & falſo fundamento ſuppoſuit, & ſuperſtruxit: videlicet quod a Pontificibus judicata iterato generalium Conciliorum examini fuerint ſubjecta: nam oppoſitum ex Conciliis œcumenicis demonſtravimus. Cæterum quum Baſileenſi Pſeudo-Synodo valedicens Eugenio ſe adſtrinxit, priſtinæ opinioni quoque valedixiſse ſe ſatis oſtendit, dum ipſius juſsu Conſtantinopolim profectus id enixe curavit, ut Græci ad Synodum, non Baſileæ coactam, ſed ad illam, cui præeſset Eugenius, accederent. In epiſtola etiam 2. de uſu calicis ad Bohemos docuit omnes fideles Romanæ Eccleſiæ ſubjici debere, eamque eſse, ac futuram jugiter columnam veritatis, nec unquam a fide defeciſse, aut Sedis alterius correctione indiguiſse. In epiſtola denique ad Rodericum de Arevalo anno 1442. exarata Baſileenſium actiones in Eugenium execratus, *Viſi ſunt*, ſcripſit, *illi obcæcatiſſimi viri in ſpiritu furoris fuiſse extra omnem ſenſum, quando ſupra ſacrum Principem Eccleſiæ neſcio qualem judiciariam ſibi vindicabant poteſtatem.* Quamvis vero eadem in epiſtola doceat Pontificem canonibus ab Eccleſia

cleſia conſtitutis ſubeſse, id tamen docet eo ſenſu, quod Pontifici non ſit poteſtas bene ordinatis pro libito abutendi; qua in re nihil dixit, quod non omnes dicamus. Gregorium Corrarium, quod inter colloquendum aliquid Pontificiæ dignitati minus congruum protulerit, non immoramur; ſicuti neque Thomam de Courſellis, qui æſtu abreptus, quo ferebatur pro pragmatica ſanctione, quam ut ſarctam tectam ſervaret, ei ſacra, & integra erant jubenda Concilii Baſileenſis decreta, ex quibus pragmatica ſanctio conflata fuerat. Alphonſum Toſtatum, ut narrat Spondanus ad annum 1447, ſcias ideo inſenſum fuiſse Pontificis prærogativis, quia Senis quædam ipſius theſes Eugenio probatæ non fuiſsent; quumque ipſius juſsu a Cardinali de Turrecremata eas excuſsas, exagitataſque intellexiſset, defenſorio edito acerbe in Pontificis auctoritatem invectus eſt; atque pro ſtudio tuendi ſua Pontifici injurius eſse cœpit. Nihilominus idem Toſtatus in cap. 16. Matth. explicans illud, quare Chriſto interroganti ſolus reſponderit Petrus: *Quum Petrus*, inquit, *futurus eſset Paſtor, & populus deberet tenere talem fidem, qualem Paſtor confitetur, & Petrus futurus erat univerſalis Paſtor, voluit Chriſtus, quod confeſſio fidei eſset per Petrum ſolum, ut innuatur, quod talis fides tenenda eſt, qualem prædicat Romana Sedes, quæ eſt Mater, & Caput Eccleſiarum, cui præfuit Petrus.*

Dionyſius Carthuſianus, quod ea tempeſtate, qua ſchiſmate graſsante, tribus de Pontificatu decertantibus, quibuſdam in Pontifices illos dubios, ac Eccleſiam ſcindentes calamum exacuentibus, Concilio Conſtantienſi in eoſdem Pontifices animadvertente, ſcripſerit, facile fieri potuit, ut pari diſputationis æſtu abreptus, pari pro Eccleſiæ unitate concilianda animo affectus, pari calamo, exaſperatiore nempe in Pontifices aſsurgeret. Cæterum illum non bene ratiocinatnm iviſse conſtat. Nam part. 1. art. 48. Pontificem, ut ſummus eſt Eccleſiæ Paſtor, apud generale Concilium in judicio experiri non debere, multoque minus gradu dimoveri poſse apertiſſime docet: *Quia ut talis*, inquit, *eſt Superior, & Prælatus, & Judex Eccleſiæ*: poſtea vero illum Concilio ſubjicit, atque a Concilio judicari poſſe ait, in quantum eſſet *intollerabiliter vitioſus, ſeu crimino ſus*: non ita, in-

inquam, bene ratiocinatus eſt: ſi enim crimen hæreſis, aut ſchiſmatis, aut dubiæ electionis caſus excipiatur, ob cetera alia crimina Pontifex non deſinit eſſe Superior, & Prælatus, & Judex; ac proinde juxta ipſum a Concilio dijudicari, aut loco deturbari nullo poteſt modo. Non eſt ergo cur hoc loci Dionyſii Carthuſiani auctoritas magni fiat. Denique Henricus Kalteiſen in prælaudato ſermone ea de Pontifice maximo protulit, quæ vel hominem non admodum ſibi cohærentem oſtendant, vel hominis animo non adeo inſitam eam de Pontifice infra Concilium ſententiam ſuadeant, vel quæ cum potiori præ Pontificia Concilii poteſtate concordent. Audiatur quæſo in reſponſ. ad Uldaricum tertii Bohemorum articuli defenſorem, ubi poſtquam ex prolatis Chriſti verbis Matth. 16. *Tibi dabo claves &c.* hanc interpretationem intuliſset, *ac ſi diceret* (Chriſtus) *mandata, & ſtatuta, quæ manent ex auctoritate tua, ex eo debent haberi canonica, quia verius emanant ex poteſtate mea*; in Coroll. 2. ſubdit: *nullus poteſt ſe legitime ab obedientia Papæ ſubtrahere: quod patet, nam Salvator Dominus noſter Jeſus Chriſtus per ſuam paſſionem meruit judiciariam poteſtatem ſuper omnem creaturam juxta* illud Matth. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas &c. - . . *Vicarius autem Chriſti eſt Papa, unde nullus poteſt ſe ſubtrahere ab obedientia ejus de jure, ſicut nullus poteſt de jure ſe ſubtrahere ab obedientia Dei. Sed ſicut Chriſtus recepit a Patre ducatum, & ſceptrum Eccleſiæ gentium ex Iſrael egrediens ſuper omnem poteſtatem, & principatum . . . ſic ipſe Petro, & ejus ſucceſſoribus pleniſſimam poteſtatem commiſit, ut dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro Theſaurorum*. Inficias it poſtea quidem, quod Pontifex contra decreta Concilii generalis quidpiam præcipere queat, aut quiverit Baſilea Concilium Bononiam transferre: at id concinit ne his, quæ dixit prius, ac dicit poſtea? *Dico*, inquit, *quod triplici majoritate poteſtas Papæ eſt major omni alia auctoritate eccleſiaſtica, Eccleſia ſegregata: 1. majoritate auctoritatis . . . 2. majoritate cauſalitatis, quia ejus poteſtas cauſat omnem aliam poteſtatem examinando, confirmando, & judicando diſt. 22. C. Omnes: 3. eſt major omni alia auctoritate, quia nullius Imperatoris, Regis, vel alterius leges, ſeu ſtatuta alicujus roboris, ſeu dignitatis eſſe cenſentur, niſi quantum ſunt per*

aucto-

auctoritatem Papæ confirmatæ, *& approbatæ* diſt. 9. C. *Imperatores*. Gemina ſunt, quæ de Pontifice attexit, ad quem *pertinet*, ait, *declaratio omnium veritatum neceſſariarum*, *aut utilium ad ſalutem*, *ſive quantum ad fidem*, *ſive quantum ad regimen Eccleſiæ*. Sed de his ſatis, ſuperque.

Academiarum ultimo agendi rationem, (hic enim unus ſupereſt amovendus lapis) quæ quibuſdam Romanorum Pontificum privilegiis minus æquo favere viſæ ſunt, præſtat ut in jus vocemus. Sunt autem Pariſienſis, Viennenſis, Erfordienſis, Colonienſis, & Cracovienſis, quæ Baſileenſibus decretis de ſuprema Concilii poteſtate aliquando ſunt adſtipulatæ, quarum ad nauſeam uſque actoritatem urgent Pontificiæ ſuperioritatis, & indefectibilitatis oſores. Verum obſerves 1. velim Academias alias, imo eaſdem aliquando, ut §. 1. de Concilio Piſano, & §. 2. in reſp. 6. ad objecta ex decretis ſeſs. 4, & 5. dicemus, dum viæ ceſſionis Papatus inſiſtendum docuere, Pontificem indubium Concilii judicio non ſubeſſe profecto exiſtimarunt. Obſerves 2. malæ cauſſæ male patrocinatas Academias illas proculdubio, ut quæ Baſileenſi pſeudo Synodo adverſus legitimum Pontificem inſurgendi ſuppetias tulere, atque ab illa excitatum ſchiſma ſuo favore confovendum ſuſceperunt, ac proinde peſſimum argumenti genus ex peſſima agendi ratione adverſarios noſtros arripere. 3. Obſerves Academias illas errore juris non modo, ſed errore facti etiam deceptas Baſileenſi Synodo ita adhæſiſſe, ac ſtuduiſse, ut Eugenii exauctorationi, & Felicis V. intruſioni conſenſerint: ſcilicet decretis Conſtantienſis Synodi ſeſs. 4, & 5. eam poteſtatem Concilio Baſileenſi factam in Pontificem animadvertendi exiſtimarunt. At decreta illa vel nullum robur obtinuiſse, vel locum in Pontifice dubio habuiſse dumtaxat luculenter oſtendemus, auctoritate quoque Academiarum: locum vero nullum penitus decreta illa ſeſs. 4, & 5. Conſtant. Synodi habere poterant in Concilio Baſileenſi; tum quod hoc a translatione facta ab Eugenio generale eſſe deſierit; tum quod Eugenius indubius plane Pontifex eſset; nec ei proinde obedientia deneganda. Obſerves 4. non abſimili agendi rationi inſtitiſse illas Academias, quam quam ferme vel in cauſsa celebrationis Paſchatis Aſiatici, vel in cauſ-

cauſsa rebaptizationis hæreticorum Africani olim tenuere : ſcilicet partium ſtudium, tenaciuſque animo prava inſedens opinio eó Aſiaticos, & Africanos olim adduxit, ut coactis frequenter Conciliis provincialibus hinc Quartadecimanorum, illinc Rebaptizantium error conſtabiliretur, aliique in errorem traherentur. Ita plane animorum contentionis æſtus, Baſileenſium etiam ſuaſiones, & officia Academias illas in errorem adduxerunt, ab iiſdem vero & alii pariter in eumdem pertracti vel nolentes ſunt. At vero non ſecus ac Victoris, & Stephani auctoritas tandem obtinuit adverſus errores Quartadecimanorum, & Anabaptiſtarum, ita plane Eugenii auctoritas adverſus Baſileenſium conatus, & adverſus Academiarum illarum contentiones valuit, & prævaluit omnium potior veritas, quæ integra, ſacrataque Pontificum jura loco manere juſſit. 5. Obſerves Academias Pariſienſem, Bononienſem, Aurelianenſem, Andegavenſem, Toloſanam; Theologos item, & Juriſconſultos 120. Academiæ Florentinæ, quos in conſilium vocaverat Cardinalis S. Euſtachii; Theologos denique, & Doctores 103, quos in ſingulari congregatione conſuluerat Cardinalis Mediolanenſis, uti legitur apud Dacherium tom. *6.* ſpicilegii, Labbæum tom. 11, & VonderHart, dum in Concilio Conſtantienſi de Johanne, Gregorio, & Benedicto de Papatu contendentibus ageretur, poſtquam viam ceſſionis, quam uti expeditiorem, & meliorem propoſuerant, quamque præfati pſeudo-Pontifices ſub juramenti religione ſe amplexaturos ſpoponderant, in caſſum ceſſiſse comperiſsent, ſchiſmati compeſcendo nullam aliam ſuppetere viam, niſi Concilii docuiſse, eoque in caſu, Pontificis nempe dubii, illegitimi, aut ſchiſmatici, jus integrum eſse Concilii œcumenici in Pontifices hujus generis animadvertere. Ergo Academias illas, dum doctrinam illam ad caſum Concilii non œcumenici, quale tum erat Baſileenſe, & Pontificis indubii, qualis erat Eugenius, extenderunt, in errorem turpiter prolapſas dubio procul aſſerere cogimur. Obſerves *6.* eas Academias a Baſileenſibus facile in tranſverſum actas fuiſse, ac in errorem pertractas: ſiquidem uno conſilio faciendi ſchiſmaticis illis ſatis Pontificem Concilio ſubdidere, uti refert Auguſtinus Patricius in hiſtoria Con-

Concilii Baſileenſis. Quid imo, quod ut refert Spondanus ad annum 1431, Concilium ipſum Baſileenſe non tam Epiſcopi, quam Presbyteri turmatim componebant; ſeu verius turbabant; unde non magis ab Epiſcopis ſuffragium proferebatur, quam ab juris utriuſque Doctoribus profunderentur in Eugenium perſtrepentibus inſana dicteria, quæ ultro citroque Synagoga illa inſipientium, inſanientiumque Presbyterorum exciperet? 7. Obſerves Academiarum illarum doctrinam in pretio non habitam, imo potius exploſam fuiſſe vel ab ejuſdem aſsertoribus, vel a viris aliis Eccleſiaſticis, vel a laicis ipſis Poteſtatibus, ut proinde ex ea nobis quidpiam negotii faceſſiri nequeat.

De Colonienſi Academia apprime conſtat, & initio quidem ex diplomate inſcripto a Pio II. ad Rectorem, & Univerſitatem Colonienſem. Quum enim Pius II. antea Æneas Silvius Piccolomineus nuncupatus Baſileenſi Concilio ad conflatum uſque ſchiſma acerrime inhæſiſſet, & qua epiſtolis, & qua libello per modum dialogi compoſito Rectorem, & Univerſitatem Colonienſem compuliſſet, ut pro Concilio adverſus Eugenium, quod opus eſſet, impenderent, Pontifex inauguratus facti pœnitens dato diplomate ad eumdem Rectorem, & Univerſitatem, publice damnavit, devovitque, quæ edixerat, egeratque: *Seducti*, inquiens, *peccavimus ut Paulus, & ignoranter perſequuti fuimus Eccleſiam Dei, & Romanam, primamque Sedem: pudet erroris, pœnitet male feciſſe: Dilectiones veſtras hortamur, ne prioribus illis ſcriptis inhæreatis, aut fidem ullam præſtetis, quæ ſupremam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem quovis pacto elidant, aut aliquid adſtruant, quod ſacroſancta Romana Eccleſia non amplectitur*. De Colonienſi iterum, atque Viennenſi, Erfodienſi, & Vindobonienſi adparet ex geſtis Germanorum, & Pontificum erga ipſos; nam, ut refert Egaſſius Boulæus vir hac in re minime ſuſpectæ fidei in hiſt. Univerſ. Pariſ. ad annum 1437, dum Baſileenſes inter, & Eugenium contentio exardeſceret, Pontifice ſibi parendum edicente, Concilio vero ſe ſupra Pontificem efferente, Germani Moguntiæ habitis Comitiis, quamvis Univerſitates illæ Germanicæ Concilio potius, quam Papæ adhærendum docerent, neutri tamen parti ſibi adhærendum declararunt, unde *Neutrales* dicti ſunt. Enim

vero neutri parti ſibi inhærendum ſtatuiſſent ne Germani, ſi omni ex parte ipſis probata fuiſſent qua decreta Conſtantienſis, & Baſileenſis Synodi,qua Academiarum Germaniæ præſertim doctrina? Præterea Natio Germanica neutralitate poſtmodum abjecta Nicolaum V. Eugenii ſucceſſorem uti legitimum ſuſcipiens, Eugenium perinde uti legitimum agnovit: agnovit igitur poſtea Concilium nihil in Eugenium potuiſſe, quod antea animorum ingenti æſtu diſputantibus Doctoribus vix, ac ne vix quidem perſpexerat: perſpexitque propterea Pontificem Concilio, non e converſo præſtare. Quod ſi eadem Natio id in anteceſſum efflagitavit, antequam illi obedientia ſe obſtringeret, ut Nicolaus V. poteſtatem Concilii generalis agnoſceret, ſeque agnoſcere Nicolaus edixit, id totum negotii agens cum Germanis Pius II. tum temporis Æneas Silvius, qua ratione dictum intelligi debeat, declaravit: poteſtatem ſcilicet, & præeminentiam Conciliorum talem approbavit Nicolaus, qualem Eugenius, ipſius Oratores in Germania aſſeruerant, Germanique aſſerendam ab Eugenio, & Nicolao expoſtulaverant. At Germani longe abfuit, ut ab Eugenio, & Nicolao peterent, ut Conciliorum poteſtati, ceu ſupremæ, ac potiori annuerent, faſceſque ſubmitterent; optime enim noverant ea de re Baſileenſes inter, & Eugenium contentionem exarſiſſe. Æneas Silvius longe abſuit, ut Germanis hac in re morem gereret, quum ex adverſo, ut mox diximus, Rectori, & Univerſitati Colonienſi pro ſuprema Pontificis poteſtate litteras dederit, atque in orat. habita Viennæ pro auctoritate Romani Pontificis adverſus Auſtriacos inter alia protulerit: *Conſtat uno ſolum caſu certum, & indubitatum Pontificem ſubeſſe Concilio, nempe hæreſis, aut ſchiſmatis.* Eugenius etiam longe abſuit, ut Baſileenſi Concilio obſequutus ſit, locoque poſt ſteterit, ut potius ſteterit adverſa fronte, & conſtantiſſime primas ſibi vindicarit; unde ad ſuos Legatos in Germaniam reſcribens, Concilium Baſileenſe quidem uſque ad translationem approbare ſe ait, abſque tamen *præjudicio juris, dignitatis, ac præeminentiæ Sedis Apoſtolicæ*. De quo plura rurſus infra.

De Pariſienſi Academia, de qua ſuo loco agendum nobis erit, quum de Eccleſiæ Gallicanæ doctrina ſermo inſtituetur, con-

conſtat ex oratione, quam Florentiæ anno 1441. coram Eugenio IV, ac Cardinalium Collegio, dum Florentiæ Concilium ſederet adhuc, habuit Petrus Epiſcopus Meldenſis Caroli VII. Galliæ Regis Orator. *Beatiſſime Pater*, inquit, *Princeps noſter eſto... nam tuum Principatum Monarchicum eſſe a Deo inſtitutum, teque vera, legitimaque ſucceſſione illum poſſidere palam recognoſcimus, & confitemur... Hic Pater Beatiſſime fodiendum eſt, quoniam hic latet tota calamitas præſentis Eccleſiæ: ſæpe enim dictum eſt, quod duæ extremitates ſunt cauſſa deſtructionis Eccleſiæ; una ſiquidem fuit, & eſt illorum, qui voluerunt uti hac poteſtate ſine regulis Patrum, & illam exercere, ſicut Principes gentium ſuam exercent poteſtatem, puta ſola voluntatis libidine. Alia autem extremitas eſt illorum, qui ut reſiſterent hujuſmodi abuſibus, & voluntario exercitio hujus poteſtatis, ipſam poteſtatem ſupprimere conati ſunt, & nimio fervore reſiſtendi ad hanc veſaniam devenerunt, quod ſupremam poteſtatem in uno ſuppoſito conſiſtere denegant, ſed eam in multitudine, quæ cito in diverſa ſcinditur, collocant, & ſic pulcherrimam Monarchiam Eccleſiæ, quæ Chriſtianos hucuſque tenuit in unitate fidei, in una profeſſione Religionis chriſtianæ, in uno ritu Sacramentorum, in una obſervantia mandatorum, in eiſdem ceremoniis divini cultus... nunc abolere, & ſupprimere contendunt; nobiliſſimam politiam, quæ beatitudinem cæleſtem habet pro fine, ad Democratiam, ſive Ariſtocratiam redigentes, & ulterius in malis procedendo, unum ſibi in Capite aſſumſerunt,* (Felicem V.) *qui non eis præfertur... Porro Concilium olim Baſileenſe unam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de ſuprema poteſtate in uno extinguere pertentavit. Concilium autem Florentinum hanc veritatem bene quidem lucidavit, ut patet in decreto Græcorum, ſed pro regulando uſum hujus poteſtatis nihil edidit, nihilque locutum eſt, unde reputatur a multis aliam extremitatem exacuiſſe &c.* Hæc ille. Ex quibus liquido patet Gallos nihil Pariſienſis ſcholæ doctrinæ deferentes, minus, nihilque Baſileenſium decretis detuliſſe. Quæ tamen ſiniſtre interpretatus Boſſuetius def. par. 2. lib. 10. cap. 16. alienum in ſenſum adeo intorſit, ut Meldenſem illum Epiſcopum, & Oratorem Eugenii aſsentatorem facere non ſit veritus: at aperta

adeo illius verba, ut Boſsuetium ea inique inflectentem, ut opinionis ſuæ offendiculum declinaret, ne gravius quid dicamus, refellere melius, quam ipſiſmet verbis non poſſimus. Natalis aliam viam aggreſſus ex actis conventus Bituricenſis Eccleſiæ Gallicanæ una cum decretis Conſtantienſibus Baſileenſium decreta probata fuiſse contendit: num veraciter id contendat ſat erit audire Spondanum ad annum 1438. n. 22, ubi, *Tanta*, ait, *libertate in recipiendis, rejiciendis, truncandis, ampliandis Baſileenſium placitis uſi ſunt, ut potentiſſime ſe etiam judices Conciliorum generalium, quale Baſileenſe agnoſcere præſeferebant, conſtituerint. An vero hic dicetur Eccleſiam Gallicanam approbaſse, ac recepiſſe Concilium Baſileenſe? Nugæ hæ ſunt, & impoſturæ. Abſit a puritate, & dignitate Eccleſiæ chriſtianiſſimæ tanta calumnia. Si quid ejus illa recepit, non ut ab ejus auctoritate obligatoria* (qualis omnino debuiſset eſse, ſi vere ejus decreta tanquam legitimæ Synodi œcumenicæ agnoviſset) *recepit, ſed velut a proponente, quæ utilia, & conducibilia exiſtimabat, ita ut libitum eſset, quæ vellet recipere, quæ nollet rejicere, uti & fecit tam in hac re, quam nonnullis in aliis, auctoritate regia, ac propria*. Ita Spondanus Gallicanæ Eccleſiæ mentem circa decreta Baſileenſia probe callens, quæque juxta Spondanum longe ab ea, quam ipſi tribuit Natalis, abfuit ſententia. Quibus omnibus in anteceſsum animadverſis, jam geſta, & decreta in Conciliis Piſano, Conſtantienſi, & Baſileenſi expendere operæ præſentis eſt pretium, quibus rite expenſis adblandimur fore, ut concludere legitime poſſimus ex Conciliis Piſano, Conſtantienſi, & Baſileenſi, nihil adquiſitum Concilii poteſtati, nihil poteſtati ſupremæ Pontificis detractum, nihilque exinde ponderis adverſariorum opinioni acceſſiſse. Præ aliis agit præclare de hoc argumento Clariſs. Orſius de infallib., & auctor. Rom. Pontif. lib. 5, & 6, non ſecus atque egerat Schelſtratius, & poſtea Petitdidier, quos ut adeas, tibi auctor ſum.

Ex Concilio Piſano.

§. I.

Concilium Piſanum diro, diutinoque extinguendo ſchiſmati anno 1378. exorto, ſcilicet ab eo anno, quo adverſus Urbanum VI. inauguratus eſt Clemens VII, quod tamen non niſi anno 1416, quo electus eſt in Concilio Conſtantienſi Martinus V; extinctum eſt, congregatum ab utriuſque partis, ſcilicet Gregorii XII, qui ſucceſſerat Innocentio VII, is vero Bonifacio IX, iſte autem Urbano VI; & Benedicti XIII, qui Clementis VII. loco ſuffectus fuerat, Cardinalibus, annoque 1409. celebratum eſt. Litteras, quas Cardinales Obedientiæ Gregorii XII, cum ad ipſum, tum ad Epiſcopos pro convocatione Piſani Concilii dederunt, exhibent Dacherius tom. 6. ſpicilegii, & Raynaldus ad annum 1408. Litteras quoque, quas pro eadem cauſſa Cardinales Obedientiæ Benedicti XIII. ad ipſum, atque ad Epiſcopos ejuſdem Obedientiæ nuncuparunt, exhibent Dacherius eodem tom. 6, & Card. de Aguirre tom. 3. Concil. Hiſpan., quo loci etiam refert litteras Benedicti ad Cardinales, quibus reſpondit ſe Concilium generale Perpinianum convocaſſe, diem illis dicens, quo accedere deberent de unione Eccleſiæ, tollendoque ſchiſmate acturi. Concilio adfuere Cardinales 22, Patriarchæ 4, Alexandrinus nimirum, Antiochenus, Hieroſolymitanus, & Gradenſis: Archiepiſcopi 12, & totidem per procuratores: Epiſcopi 80, & abſentium procuratores 102: Abbates 87; Generales 4. Ordinis Mendicantium; Doctores in utroque jure, & Theologi amplius trecenti: Academiarum Pariſienſis, Toloſanæ, Aurelianenſis, Andegavenſis, Monſpelienſis, Bononienſis, Florentinæ, Cracovienſis, Viennenſis, Pragenſis, Colonienſis, Oxonienſis, & Cantabrigenſis deputati: magni Magiſtri Ordinum Equeſtrium Rhodi, S. Sepulchri, & Teutonicorum: Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, Lotharingiæ, Bavariæ, Pomeraniæ; Marchionis Brandeburgi; Lantgravii Thuringiæ, aliorumque Germaniæ Principum; Regumque Galliæ, Angliæ, Luſitaniæ, Bohemiæ, Siciliæ, Poloniæ, & Cypri Oratores. Con-

Concilium ſeſſionibus 21. juxta collectionem Dacherii; aut 23. juxta collectionem Binii conſtitit: In ſeſſ. 1, 2, & 3. in jus vocati ſunt de Pontificatu contendentes Gregorius, & Benedictus, contumaces, quod non comparerent, declarati ſunt verbis iſtis: *Sancta Synodus Dominum Petrum de Luna Benedictum XIII. nominatum, Dominum Angelum Corrario Gregorium XII. nuncupatum de Papatu contendentes, & quantum in eis eſt, Eccleſiam Dei notorie in ſchiſmate tenentes, legitime requiſitos, vocatos, & provocatos in cauſſa ſchiſmatis, & fidei, ad hoc præſens ſanctum, & generale Concilium, & omnia in eo agenda non venientes, ſeu legitime comparentes per ſe, vel per alios, nec termino ſtatuto ſatisfacientes, licet expectatos poſt terminum per duas ſeſſiones, reputat, & declarat in cauſſa ſchiſmatis, & fidei contumaces, & ordinat in eorum contumaciam ad ulteriora debere procedi, & procedendum fore*. In ſeſſ. 4. Rigenſis Archiepiſcopus, Wormatienſis Epiſcopus, Verdenſis electus, & Spirenſis Canonicus a Roberto Bavariæ Duce, & in Romanorum Regem electo miſſi ad Gregorii XII. partes propugnandas, capita 24. adverſus ea, quæ in Gregorium geſta a Cardinalibus fuerant, ediderunt, quæ habentur in collect. Dacherii, & Labbei. Eorum ſumma erat: eccur Cardinales obedientiam Gregorio XII, cui uti legitimo juramenti religione ſe obſtrinxerant, ſubtraxiſſent? ſi ſubtraxere ob dubium de legitima electione Gregorii, eccur non dubitarent de ſua legitima creatione in Cardinales; talique obtinente dubio ſe ingererent electioni novi Pontificis? Iterum eccur maxime in dubio de eorum legitima creatione Concilium generale convocaſſent: eoque conſtante ex Obedientia ejuſdem adverſarii Benedicti, eccur ad Concilium Gregorium accerſiviſſent? Eccur tandem duo Cardinalium Collegia, unum certe legitimum, & certe illegitimum alterum; in unum convenire potuerint, atque viritim alterum alteri jus tribuere eligendi Pontificem? Iſtis capitibus juſſu Concilii reſpondit Petrus de Ancharano Doctor Bononienſis, cujus reſponſiones lectæ ſeſſ. 7. extant in laudata Labbeana Collectione, quod quamvis Gregorius prius, ut Papa legitimus agnoſceretur, quia tamen poſtea geſtis notoriis ſe ſchiſmaticum, & hæreticum patefecit, ideoque deſiit eſſe Papa,

pro-

proinde Cardinalibus fas fuiſſe ab ejus obedientia recedere 16. q.7. C. *Sane*; Gloſſa in cap. *Sacerdotes* 11. q.7, & Gloſſa in cap. *Quum non liceat* de præſcript. Potuiſſe ea de cauſſa Concilium generale congregare, eique ad comparendum teneri Gregorium 20. q. 1, & cap. *Si de rebus* 23. q. 7. Potuiſſe in unum duo Collegia coaleſcere, imo debuiſſe, ad id juramenti religione in conclavi ante creationem obſtrictos. At Oratores affixa ad valvas Eccleſiæ proteſtatione contra Concilium diſceſſerunt, in viamque ſuam continuo abierunt.

In ſeſſ. *6*, 7, & 8. inſtructa inſtrumenta in cauſsa contendentium, examinati teſtes, delecti commiſsarii, & declaratum Cardinales ex duobus collegiis licite, & legitime, cauſsa extinguendi ſchiſmatis, unioniſque Eccleſiæ conciliandæ, in unum coaluiſse, ac legitime, & licite ab iis ea de cauſsa Concilium congregatum. Seſs. *9*. declaratum eſt, decretumque eadem juſta ex cauſsa, ſcilicet ſchiſmatis, licitum, & neceſsarium fuiſſe ab obedientia amborum de Papatu improbe pugnantium ſecedere. Seſs. 10, 11, & 12. contra illos ita contendentes publice lecti, & per teſtes probati 37. articuli accuſationum; illiſque notorii ſchiſmatis inflicta nota. Præterea ſeſs. 13. Petrus Plavult doctor Pariſienſis, & poſtea Silvanectenſis Epiſcopus ex ejuſdem Academiæ Pariſienſis ſententia publice denuntiavit ambos de Pontificatu decertantes habendos eſse ceu ſchiſmaticos, & hæreticos, adeoque ab Eccleſia præciſos, & abjectos, & quatenus opus eſset, præcidendos, & abjiciendos: in eaque ſententia cum Pariſienſi eſse Andegavenſem, Aurelianenſem, & Toloſanam Academias: ſed & Pariſienſi aſsentiri Bononienſem quidam Epiſcopus Italus adfirmavit. Seſs. 15. lecta eſt citatio duorum contendentium ad comparendum Concilio coram in cauſsa fidei, & ſchiſmatis; lataque contra illos tanquam in notorios ſchiſmaticos, nec non notorios hæreticos depoſitionis ſententia, declaratique omnes abſoluti ab illorum obedientia. Seſs. *16*. e ſuggeſtu perlecta a Piſano Archiepiſcopo ſchedula Cardinalium, qua *in verbo veritatis* ſpondebant, quod, quiſquis ipſorum in Pontificem eligi contingeret, præſens Concilium nequaquam eſset diſsoluturus, aut finem præproperum ei facturus, donec refor-

ma-

matio Eccleſiæ tam in Capite, quam in membris fuiſset peracta; numeriſque omnibus abſoluta. Seſs. 17. Cardinalibus utriuſque obedientiæ in dubio de legitima utrorumque creatione Concilium jus ſuffragii contulit, & confirmavit. Seſs. 18. Cardinales numero 24. Conclave ingreſſi die 26. Julii ejuſdem anni 1409. unanimi conſenſu in Summum Pontificem ſalutarunt Petrum Philargi, alias Philareti, vulgo de Candia Ord. Minor., qui in Pontificatu Alexandri V. nomine aſsumpto confeſtim ſedandis, curandiſque, quæ tum maxime turbatæ erant, ſuſdeque actæ, Eccleſiæ rebus ſummam operæ, laboriſque conferens plurima quidem, ac præclara in Concilio pro redintegranda Eccleſiæ pace, pro conſcientiarum pacandis motibus, pro collapſa morum diſciplina reſarcienda procuravit, decrevit, præſtitit, ſuique erga Eccleſiam ſtudii & magnum præbuit ſpecimen, & majorem fecit ſpem. Poſt hæc autem Concilium generale alterum poſt triennium celebrandum indixit; actaque omnia in ipſo Concilio Piſano bis confirmavit, tum nempe in fine ipſius Concilii, ut legitur in actis apud Labbeum, & Dacherium locis cit., tum poſt ipſum Concilium ſingulari edito diplomate 11. Kalend. Februarii anno 1409, ut legere eſt apud Raynaldum ad cit. annum num 7.

Porro duo ex Piſano Concilio adverſæ partis ſectatores adſtruunt, nobiſque obtrudunt. 1. Illud dubio omni procul generale fuiſse. 2. Ab illo in duos de Pontificatu contendentes animadverſum, ipſoſque a Papali dignitate amotos; ideoque fore concludendum generale Concilium Pontifici auctoritate longe præſtare. Primum ex eo præcipue evincere ſe putant, quod Concilium Conſtantienſe Joannem XXIII. uti legitimum Pontificem habuerit, quum illius auctoritate fuerit convocatum: jam vero Joannes XXIII. legitimus Pontifex non fuiſset, niſi eum legitime præceſſiſset Alexander V; neque hic legitimi loco ſtetiſset, niſi Gregorius XII, & Benedictus XIII. tum temporis adhuc ſuperſtites legitime de loco fuiſsent deturbati; neque ii legitime depoſiti fuiſsent, niſi Piſanum Concilium legitimum, & generale fuiſset. Secundum ex eo ſuadent, quod Concilium Piſanum a ſeſs. 1. ad 5. ſe legitime convocatum adverſus duos illos de Papatu decertantes declaravit, atque de eorum cauſsa jus habere di-

judi-

judicandi, quodque a ſeſs. 10. uſque ad 15. incluſive cauſsa inſtructa, tandem lata ſententia ambos a Pontificali dignitate dejecit. Non nego 1. revera fuiſse, eoſque præclari nominis viros, a quibus in eam itum eſt ſententiam, Concilium Piſanum fuiſse œcumenicum, atque hoc loco prorſus habendum, inter quos laudantur præcipue Gerſonius in tract. de infallibilitate Papæ conſid. 20, Ægidius Cardinalis Viterbienſis in hiſt. Ms. 20. ſæculorum; Dominicus Cardinalis Jacobatius lib. 3. de Conciliis; Azorius par. 2. lib. 5. cap. 17. Ad hæc in Eccleſia audire, ac Pontificum in cenſu haberi Alexandrum V, & Joannem XXIII. Nihilominus in contrariam abiere ſententiam, ac Piſanum Concilium ab œcumenicis, & legitimis penitus abigendum autumarunt S. Antoninus par. 3. Chron. tit. 22. cap. 5. §. 11, & 12; Cardinalis Cajetanus tract. 2. de auctorit. Papæ, & Concil. cap. 11; Sanderus lib. 7. de viſibili Monarchia; Raynaldus ad annum 1409. n. 79, & 80; Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 8. Concilium Piſanum nec approbatum, nec reprobatum affirmans, & alii. Quam ex his opinionem amplexemur ſequens ℞. 1. declarabit. Cæterum elumbe omnino eſſe adverſariorum argumentum, ac in ipſos intorqueri breviter demonſtro. Si a Concilio Conſtantienſi tanquam legitimus dubio procul Pontifex habitus fuiſſet Joannes XXIII, ille legitime a Concilio non fuiſſet loco dimotus, nec proinde pro legitimo habendus illi ſuffectus Martinus V: quomodo ergo Piſanum legitime eo in caſu ſchiſmatis, ut congregaretur, non opus fuit, ut id Gregorii XII, vel Benedicti XIII. fieret auctoritate; ita neque Conſtantienſe eadem in cauſſa indiguit, ut convocaretur a Joanne XXIII, aut Gregorio XII, aut Benedicto XIII. Igitur ſi indubie legitimi habiti fuiſſent a Piſano Alexander V, & a Conſtantienſi Joannes XXIII, neceſſe eſt vel erraſſe Piſanum, dum Gregorium e gradu dejecit; vel erraſſe Conſtantienſe, dum Joannem deturbavit. Potius ergo dicendum Piſanum fuiſſe illegitimum, ne id dicatur de Conſtantienſi, videlicet, ne cogamur dicere a Concilio legitimum Pontificem fuiſſe depoſitum. Igitur præſtat dicere, tum Gregorium a Piſano, tum Joannem a Conſtantienſi exardeſcente ſchiſmate ceu indubios Pontifices habitos haud quaquam fuiſſe. Ad

hæc Eccleſia non minus legitimis Pontificibus adcenſet Alexandrum V, & Joannem XXIII, quam Gregorium XII, Innocentium VII, & Bonifacium IX: ſibi ne ergo contradicit Eccleſia? Minime gentium; ſed ea agendi ratione oſtendit ſe, præ Clemente VII, & Benedicto XIII, gratam illorum memoriam celebrare, quibus præ aliis probabiliora jura ſaltem aliquando favebant. Non nego 2. revera fuiſse a Concilio Piſano e gradu deturbatos Gregorium XII, & Benedictum XIII, id tamen exempli non fore extendendum ad caſum Pontificis certi, & indubii, adeoque nutare argumentum, quod ex Piſano Concilio ad evertendam Romani Pontificis ſupremam poteſtatem ſupra Concilium extunditur, ſequens ℞. 2. palam faciet. Itaque.

℞. 1. Concilium Piſanum œcumenici nomine non eſſe adornandum; ideoque nihil ex ipſius agendi ratione in duos de Papatu contendentes exculpi poſſe, quod Pontificis ſupremæ poteſtati noceat, facile oſtendunt adverſus nonnullos Gallos Doctores Theologi noſtrates. Nam 1. Concilium Piſanum generale non fuiſſe ex eo ſuadent, quod Gregorii XII, ac Benedicti XIII, contra quos eo in Concilio lata eſt depoſitionis ſententia, eorum in loco ſuffecto Alexandro V, Obedientiæ, quæ ſane exiguæ numero non erant, defuerint; quin etiam poſt Concilium Piſanum obedire iiſdem non deſtiterint: Gregorio ſiquidem, ante & poſt Concilium Piſanum Regnum Neapolitanum, & Siciliæ adhærebant; Romandiola; Duces Bavariæ, & Palatinatus, ac plurimi Germaniæ Epiſcopi, & Italiæ, quos inter Epiſcopi Spirenſis, Wormatienſis, Verdenſis, Trevirenſis, Strigonienſis, aliique tres Hungarici: Patriarchæ quoque Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Gradenſis, & Alexandrinus, uti refert ætate coævus Theodorus Uries hiſtoricus Saxo apud VonderHart tom. 1. pag. 156. Benedicto vero parebant Aragonia, Navarra, Caſtella, Scotia, Baleares Inſulæ, Corſica, Sardinia, aliæque regiones, ut propterea in apologia Eugenii IV. adverſus Baſileenſes dictum fuerit Gregorii, & Benedicti Obedientias fuiſſe *non modicam Chriſtianitatis partem*; & Cardinalis S. Marci in ſchedula ſuper 3. concluſ. inter acta Concil Conſtant. non exiguas Eccleſiæ partes Gregorii, & Benedicti Obedientias exiſtimarit, dum

dum ſcripſit : *Quum per tales diviſiones Eccleſia jam ſchiſma Græcorum tot annis ſuſtinuerit , nec minus in præſenti periculum imminet Hiſpaniarum , quæ non eſt minor Chriſtianorum portio , quam Græcia chriſtiana; inſuper & multarum gentium Germaniæ, & Italiæ* . Quocirca ipſemet Jacobus Lenfantius præfat. in Concilium Piſanum ingenue faſſus eſt , quod ſi e nationum numero de Concilii œcumenicitate dijudicandum eſt , Piſanum Concilium admodum imperfectum fuiſſe neceſſe ſit fateri .

Propterea mirari profecto ſubit, qua demum ratione Boſſuetius def.decl. par.1. lib.9. cap.12, qui ſcripſerat Hiſpanos Epiſcopos *tantam*, ut ait, *Eccleſiæ portionem*, quandoquidem ad VI. Synodum advocati non fuerant, illud Concilium pro œcumenico haud habere abſque piaculo potuiſſe, antequam illius decreta in examen adduxiſsent, & liberrimo conſenſu admiſiſſent, ſcripſerit poſtea Hiſpanorum Epiſcoporum abſentiam a Synodo Piſana nihil obfuiſse, quominus illa œcumenicæ loco habeatur, quinimo præfatas Obedientias Gregorii XII, & Benedicti XIII. *Eccleſiæ fruſtula* appellarit , quibus diſſentientibus ſtet nihilominus Piſanæ Synodi inconcuſſa auctoritas . Nec id intereſt , quod reponit Boſſuetius , ſcilicet ad VI. Synodum minime accerſitos Hiſpanos , ad Piſanam e contra fuiſse advocatos : nihil , inquam , intereſt num vocati Hiſpani, an non fuerint , ſatis enim eſt , quod Piſanæ Synodo Obedientiæ illæ non adfuerint , utpote quæ a legitima poteſtate ſe minime fuiſse invitatas reputaverint . Atque ita profecto reputaverunt duæ Obedientiæ illæ Gregorii , & Benedicti , ſcilicet non ſatis, ut oportebat , excuſsas fuiſse , examinique diligenter ſuppoſitas , multoque minus diſsolutas graviſſimas illas difficultates , quæ utrinque ingenti animorum æſtu agitabantur , quæque a prima ſchiſmatis epocha Synodo œcumenicæ coactæ abſque Pontificis auctoritate objiciebantur : ejuſmodi enim difficultatibus a Synodo Piſana ſatisfactum non fuiſse teſtantur Labbeus tom. 15. edit. Venet. , & Lenfantius lib. 3. n. 77. Quocirca non abſque injuria tot Nationes , Regna , & Doctores ſchiſmatis nota inurerentur, qui Synodum Piſanam, & Alexandrum V in eadem electum pro legitimis habere renuerunt ; ea de cauſsa enim admittere detrectarunt , ne Pontificum , vel Gregorii , vel

Benedicti, quibus adhærebant, jura violarent. Sane, ut ſuperius ex actis Concilii retulimus, Roberti Regis Romanorum, adeoque & Nationis Germanicæ, Gregorii etiam XII, ad cujus partes propugnandas directi fuerant, adeoque & ejus Obedientiæ nomine, Rigenſis, Wormatienſis, & Verdenſis Antiſtites ſeſs. 4. Concilio obviam iverunt, & obluctati ſunt, qua ſermone publico, qua ſcripto ad Eccleſiæ valvas affixo, quo ſuorum Principalium nomine proteſtabantur contra acta quæcumque a Concilio attentanda. Quorum eſto objectiones Concilii nomine exploſerint tum Petrus de Ancharano, tum Dinienſis Epiſcopus ex Ord. Minor. aſsumptus ſermone ad Synodum in eadem ſeſs. 4. habito, eorum tamen reſponſionibus tres illi Oratores non adquieverunt, ut liquet ex proteſtatione poſt edita; multoque minus adquieviſſe Robertum Regem, Gregorium, ejuſque Obedientiam ex eo liquido adparet, quod huic Pontifici uſque ad Concilii Conſtantienſis ſeſs. 14, in qua tandem eidem Concilio adſtipulata eſt, ut ſuo dicetur loco, indivulſe adhæſerit.

Præſto jam, ac preſſe tibi ſum quiſquis ſis, qui a Piſano ſenſententia dimoveri nullo pateris modo: aut pars Eccleſiæ, quæ per te Piſano Concilio adſtipulata eſt, tanta fuit, ut ex ea Chriſti Eccleſia coaleſceret, aut non: ſi non, ergo œcumenicum illud non fuit, cui Eccleſia non adquievit: ſi ſic: eccur poſtea Conſtantienſe eo proceſſit audaciæ, ut ob paucorum pertinaciam in Pontificem dubio procul legitimum, Johannem XXIII. ſcilicet, violentas manus injiceret? ſed de hoc argumento rurſus infra. Qua de re Petrus ipſe Alliacenſis Epiſcopus, & Cardinalis Cameracenſis in tract. de Eccleſ. poteſt. Conſtantiæ edito apud Labbeum in append. Concil. Conſtant. extante, ingenue faſſus eſt non minores juris, & facti difficultates poſt Concilium Piſanum circa electiones Alexandri V, & Johannis XXIII. fuiſſe excitatas; quam antea fuerint motæ circa electiones Gregorii XII, & Benedicti XIII.: *Qua de cauſſa*, ſubdit, *quamvis Obedientia Alexandri V, & ejus ſucceſsoris Johannis XXIII. teneat Concilium Piſanum rite fuiſſe celebratum, & canonicas fuiſſe electiones Alexandri, & Johannis; nihilominus duæ Obedientiæ Gregorii, & Benedicti probabiliter tenent contrarium in qua opinionum di-*

ver-

verſa, *& adverſa varietate non ſunt minores difficultates juris*, *& facti*, *quam ante Concilium Piſanum erant de juſtitia duorum contendentium*, *ſcilicet Urbani VI*, *& Clementis VII*, *eorumque ſucceſſorum*. Ergo ſi Gallis, aliiſque abſque ſchiſmatis nota licuit Alexandro, & Johanni adhærere, ratumque habere Concilium Piſanum; licuit Hiſpanis, Germaniſque &c. Synodum Piſanam reſpuere, adhærereque Gregorio, & Benedicto. Et ſane de Gregorio id indubium eſt ſtetiſſe pro eo gravia momenta: de Benedicto vero id ſuadetur: nam rationes ſibi faventes Benedictus in Conventu Perpiniani habito tanta eloquentia 7. horarum ſpatio proſequutus eſt, ut auditores in ſtuporem rapuerit. Sed & ab ejuſdem partibus ſtabant Reges, atque Regna non modo, ſed viri doctrina, & ſanctitate præclari, inter quos duos fratres Vincentius, & Bonifacius Ferrerii, qui a Benedicto etiam poſt Piſanum Concilium recedere nefas putabant: unde Maimburgus lib. cit. ſcripſit eorum ſententiam, qui Benedictum pro vero Pontifice agnoſcebant, *probabilem* fuiſse, quamvis contraria *magis probabilis* eſſet; & ideo viros ſanctitate, doctrina, & dignitate perſpicuos potuiſse illam *ſecura conſcientia* amplecti. Nec vero refert a Concilio Conſtantienſi Benedictum iiſdem honoribus, quibus Gregorius, exceptum non fuiſſe; quia honoribus æque meritus non erat, tum quod ei non æquum jus favebat, neque æque animum paci adjecerat. Neque etiam vere Boſſuetius Obedientiam Benedicti Concilio Piſano adnumerandam putavit, eo quod in Conventu Perpiniani habito ſancitum fuerit legandos Piſas Procuratores, qui Benedicti nomine, ſi Gregorius cederet, Pontificatum etiam abdicerent; quippe quum poſt electionem Alexandri V, adhuc Benedicto adhæſerit, nec Alexandrum ſit amplexata; nec loco Piſanum Concilium habuerit; fruſtra, ac falſo ex Benedicti Obedientia Concilium Piſanum adaugetur.

His ita animadverſis, ſicuti mirari ſubeſt 1. Boſſuetium ſcripſiſſe Hiſpanos, quia non interfuerant Synodo VI, eam in diſcrimen adducere impune potuiſse; Hiſpanos vero, & Germanos, qui Piſano Concilio non adfuerant, illud tamen in dubium æque revocare non poſſe; ita mirari valde eſt Natalem, quod affirmare non veritus dubium eſſe potuiſſe, an Concilium Lugdunenſe I. eſſet œcu-

œcumenicum, quia aberant Epiſcopi Hungariæ a Tartaris vaſtatæ, Germaniæ bellorum turbine perturbatæ, & Paleſtinæ, præter Epiſcopum Berytenſem; contendat poſtea Piſanum, in quo multo plures Epiſcopi deſiderati ſunt, œcumenici loco nihilo ſecius habendum eſse. 2. Si revera, & abſque dubitatione ulla, ut jam indicavimus, Concilium Piſanum œcumenicum fuiſset, legitimus procul dubio fuiſset Alexander V, & legitimus ejuſdem ſucceſsor Johannes XXIII; qui ſane a Conſtantienſi Concilio uti legitimus fuerat habitus, utpote quod a Johanne convocatum ſe noverat: at nihilominus Concilium Conſtantienſe agnovit plane de ejus legitima electione adhuc fuiſse ambigendi locum: nam initio Concilii a Johanne juramentum exegit de ſua abdicanda dignitate, quoties duo alii contendentes dignitate ſe pariter abdicare haud renuerent; eumque abdicare nolentem quum comperiſset, e Pontificatu dejecit. At quæſo fuit ne unquam Eccleſiæ in more poſitum, aut in ejus poteſtatem tranſcriptum, ut gliſcente ſchiſmate certus, & ratus Pontifex ad dimittendam dignitatem adigeretur; vel imo, ſi renueret, a dignitate vi adhibita detruderetur? Ita ne actum ſchiſmate vigente inter S. Cornelium, & Novatianum; S. Damaſum inter, & Urſicinum; inter S. Bonifacium, & Eulalium; S. Symmachum inter, & Laurentium; Johannem II. inter, & Petrum Leonem; inter Alexandrum III, & Octavianum &c.? Boſſuetius ipſe lib. 2. cap. 11. par. 2. Bellarmino inſultat, quaſi autumarit in omni caſu *Papam dubium eſse Papam nullum*, eumque ſolum admittendum dicit, ubi contendentium electio inextricabilibus dubiis obvolvatur; atque ita Eccleſiam ſemper Antipapas deteſtatam, legitimos ſemper, ut par erat, coluiſse; quamquam adverſus eoſdem Reges, & Regna, & pſeudo-Pontifices obniterentur. At nonne potiori jure coarguendus quicumque contenderet Johannem XXIII. legitimum fuiſse Pontificem, ac legitime a Concilio Conſtantienſi fuiſſe depoſitum? Id vero contendit, qui Piſanam ſimul, & Conſtantienſem vere œcumenicas Synodos vult haberi, quum potius, qui pro Conſtantienſi Synodo pugnat, Piſanam oppugnare debeat, ut ſibi æqualis ſit. Præterea ſi a Conſtantienſi Synodo uti legitima Synodus Piſana habita fuiſset, habitus etiam ut certus Pontifex fuiſ-

fuiſset Johannes Alexandri ſucceſsor: igitur pro illegitimo habendus fuiſset Gregorius: at non ita inique in Gregorium ſe geſſit; nam ejus Legatum demum admiſit, & ſeſs. 14. ſe a Gregorio iterum convocari paſsa eſt. Iterum quamvis Alexander V. in Piſana Synodo decrevilset inquirendum, judiciumque inſtituendum contra Gregorii, & Benedicti partiarios, tanquam hæreticos, ſeu hæreticorum fautores; & Johannes Alexandri ſucceſsor in Synodo Conſtantienſi ita agendum inſtaſset; Concilio tamen conſilium ejuſmodi non arriſit: nec e re eſse in adhærentes ſive Gregorio, ſive Benedicto animadvertere exiſtimavit, unde ipſe Gerſonius 1. par. oper.: *In ſchiſmate præſenti*, ſcripſit, *tam dubio temerarium, injurioſum, & ſcandaloſum eſt aſſerere omnes tenentes iſtam partem, vel alteram eſse extra ſtatum ſalutis, vel excommunicatos, vel de ſchiſmate ſuſpectos*. Idem atque Gerſonius dixere Petrus de Alliaco ſupra cit.; S. Antoninus Chron 3. par. tit. 22. cap. 2. §. *6*, aliique.

Hinc adparet veritatem non attigiſse vel Natalem, dum ſcripſit Conſtantienſem Synodum ex œconomiæ cujuſdam ſpecie cum Gregorio egiſse; vel Maimburgum, dum dixit ſibi ſatis, ut ſolet, non conſtans, ita cum pſeudo-Pontifice illo ſibi agendum Synodum Conſt. propoſuiſse, ut quadam pompa Gregorii Synagoga tumularetur. Nam ſi Piſanum uti œcumenicum a Conſtantienſi habitum fuit, Conſtantienſe, id quod a Piſano factum eſt, ſubvertere non potuit: non potuit ergo deponi Johannes. At nihil effectum a Piſano, nam refectum omne fuit a Conſtantienſi, ergo œcumenicum Piſanum non fuit; neque perinde uti œcumenicum habuere, ut ſuperius dicebamus, S. Antoninus, Cajetanus, Sanderus, Raynaldus, Bellarminus, Orſius de auctor. Rom. Pontif. lib. 5, & alii. Quamvis non diffitear in eam ſententiam propenſiorem Eccleſiam fuiſse deinceps Urbanum VI, ejuſque ſucceſſores Bonifacium IX, Innocentium VII, & Gregorium XII. ante Concilii Piſani epocham; Alexandrum V. poſt Piſani judicatum; & Joannem XXIII. ante Concilii Conſtantienſis ſententia n legitimos audiviſse Pontifices; cui proinde ſententiæ utroque ſubſcribimus pollice: nihilominus, ne in certos Pontifices animadvertiſse, quod nequeunt, dicamus Concilia; tum omnino indubios illos Ponti-

tifices dicendos veremur, tum veremur dicere abſque dubio œcumenicas Synodos cum Piſanam maxime, tum quoque Conſtantienſem præſertim ante ſeſs. 4; & 5, imo 14, cui adſtipulata tandem eſt Gregorii Obedientia. Attamen abſit, ut verbo repetam, ea abs me ſententia Natalis Alexandri hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. XV, & XVI. diſſert. 2. de Concil. Piſano num. 22., *Etſi*, inquientis, *de vero, certo, & indubitato Pontifice concederetur, quod deponi nunquam poſſit, quod Doctores omnes Pariſienſes præſertim non concedunt, non tamen de Pontifice dubio idem aſseri poſset*: abſit, inquam, ut dicam Pontificem certum a Concilio generali poſſe gradu detrudi: ut enim de jure nihil dicam, quibus nam ſchiſmatibus hac ſententia lata aperiretur via? Ex quibus denique illud conficere eſt falſo prorſus dixiſſe Boſſuetium lib. 9. par. 2. cap. 11. omnia in Synodo Piſana adverſus illos de Papatu contendentes peracta, ea ratione peracta, quod Concilium generale in omni caſu, ac etiam Pontifici indubio ſuperſtare putaret: nam ſeſs. 15. Gregorium, & Benedictum non ob aliam cauſsam depoſuit, niſi *tamquam notorios ſchiſmaticos, & antiqui ſchiſmatis nutritores, notorios hæreticos a fide devios &c, atque adeo ipſo jure dejectos*: verba ſunt Concilii Piſani. In eoque tantummodo caſu hæreſis ſcilicet, aut ſchiſmatis, dubiæque electionis Pontifices a Synodo œcumenica deponi poſſe docuerant Academiæ apud Dacherium in ſpicilegio tom. 6, & Raynaldum tom. 17. ad an. 1408. n. 9, & obſervavit idem Boſſuetius, cui ut plenius ſatisfiat.

℟. 2. Concilii Piſani, etſi concederemus illud legitimum, & œcumenicum fuiſſe, decreta ſeſs. 9, & 15. Pontifices ſchiſmaticos, & hæreticos, aut ſaltem de hæreſi ſuſpectos reſpexiſse, ſeu in caſu hæreſis, & ſchiſmatis locum dumtaxat habuiſſe, adeoque nullum robur obtinere in caſu Pontificis certi, & legitimi. Ut id planum fiat operæ eſt pretium, ut paulo uberius Concilii Piſani agendi rationem oculis ſubjiciamus. Diriſſimo igitur illi compeſcendo ſchiſmati pleraque excogitata fuerant a contendentibus de Papatu, Cardinalibus, Epiſcopis, Academiis, & Doctoribus media, ac remedia. Quatuor vias propoſuerat Gregorius XII. in proteſtatione ipſius nomine facta Romanorum Regi: 1. viam ſubtractionis obedientiæ; 2. viam cognitionis; 3. viam ceſ-

ceſſionis; 4. viam Concilii generalis. Inter eas viam ceſſionis ſe amplexurum, ſi id pax Eccleſiæ expoſtulaſſet, juraverat in ſua aſſumtione, ac tandem exequutus eſt in Concilio Conſtant. ut infra patebit. Viam ceſſionis quoque ut optimam delegit, & defendit Benedictus XIII, dum Legatum Clementis VII. in Gallia ageret teſte Baluzio, & pſeudo-Pontifex renuntiatus eam viam unioni Eccleſiæ conciliandæ, veluti meliorem, breviorem, & faciliorem ſe amplexurum ſpopondit, quamvis eam tenere poſtea noluerit vir ambitioſus, ut infra ex dicendis conſtabit. Eidem viæ inſtitit, adhæſit, adquievitque poſtremo ipſe quoque Johannes XXIII. in Concil. Conſtant., de quo §. ſequenti. Viam Concilii propoſuit quidem Henricus de Haſſia Academiæ Pariſ. pro-cancellarius in conſultatione de unione, & reform. Eccleſiæ apud Vonder Hart tom. 2, Concilio præſtantiam, ac poteſtatem ſupra Pontificem capp. 13, & 14. aſſerens, in eo tamen caſu tantummodo, ſcilicet ſchiſmatis, quo in caſu Concilium abſque Pontificis auctoritate cogi poſſe affirmat: nam alioquin id ſibi objiciens: *Papa eſt major Concilio*, reſpondit nequaquam id pernegans, ſed dumtaxat nihil a Concilio definiendum fore, niſi in anteceſſum de legitimo conſtaret Pontifice, & per ipſum robur haberent a Concilio decernenda. Eamdem Concilii viam propoſuit Petrus Plavult Doctor Pariſ. ſermone habito ad Patres Synodi Piſanæ, ajens Concilium eſse ſupra Pontificem, atque ita opinari Academias Pariſienſem, Andegavenſem, Aurelianenſem, & Toloſanam Benedicto XIII. ſchiſmatis, hæreſiſque ſtigmata infligentes: ſcilicet Pontifici hujuſmodi Concilium anteferebant.

Verum Academia Pariſienſis in epiſtola cum ad Benedictum XIII, tum ad Richardum Angliæ Regem viam ceſſionis acriter urſerat, ſuos autem conatus votis non cedere comperiens, viam ſubtractionis obedientiæ propoſuit, & promovit, cui tamen propoſitioni pro viribus refragata eſt Academia Toloſana litteris ad Galliæ Regem adornatis. Quocirca in Synodo III. Pariſiis habita examini ſubjecta eſt via illa ſubtractionis obedientiæ Benedicto. Pro Benedicto contra eam viam ſtetere vindices acerrimi Petrus Ravati Epiſcopus S. Pontii Pontificem canonibus ſuperſtantem aſſerens; Petrus Emilarius Ord. Præd. Pontificem a ſolo

Deo ſede moveri poſse, nemini eſſe obnoxium, a nulloque ad cedendum cogi poſſe affirmans; & Johannes a Coſta Juris Doctor eadem cum Emilario Pontifici vindicans. Adverſus Benedictum, & pro ea ſubtractionis obedientiæ via dimicarunt adverſa fronte Simon Cramandus Patriarcha Alexandrinus; Petrus Regis Abbas S. Michaelis in periculo maris; & Ægidius de Campis via facti agendum docentes, videlicet recedendum ab obedientia Benedicti jam notorie ſchiſmatici, & hæretici, ac propterea a Pontificatu delapſi; neque præſtolandam ullius ſententiam Synodi, quum Pontifex nullius judicio, nequidem Synodi generalis ſubjaceat, utpote qui auctoritatis univerſæ fons ſit, & origo. Cui nihilominus cœtus ſententiæ obſtitit eadem Academia Toloſana, datiſque ad Regem Galliæ litteris eam ſententiam exagitavit. Viam ſubtractionis obedientiæ injuſtam, viam Concilii difficillimam exiſtimantes, viam ceſſionis, ut ſolam ſufficientem in præl. Synodo Pariſienſi propoſuere Petrus Regis Abbas S. Michaelis, Ægidius de Campis, Petrus Plavult, Arnaldus Corbejenſis Cancellarius Regni; & apud Benedictum datis litteris urſit Johannes de Varrennis. Veruntamen Gregorio, & Benedicto Pontificatu ſe abdicare renuentibus, eadem in III. Synodo Pariſ. actum de via facti, ſcilicet de ſubtrahenda utrique utpote in ſchiſmate, & hæreſi obfirmato, obedientia, atque in eam demum ivere ſententiam ſupra laudati Doctores, ac Univerſitas Pariſienſis.

Viam Concilii pro viribus proſequuti tractatibus elucubratis tam Petrus Alliacenſis, quam Gerſonius ea ratione propugnarunt, quod Concilium ſuperſtare Pontificibus tum primum docendum ſuſcepiſſent: at reapſe Piſanam Synodum in Gregorium, & Benedictum ſententiam dixiſse ea ratione ductam, quod Pontificibus ſe prælatam crederet, ut Boſſuetius ſuadere conatus eſt, falſum eſt quam maxime. Nam non ea ratione Theologi illi viam Concilii urſere, neque eam ob cauſsam Piſanum Concilium in Pontifices illos animadvertit. Benedicto, & Gregorio certum, ratumque jus ad Pontificatum non ſuffragari, certo non conſtare eorumdem electiones legitimas, & canonicas fuiſſe, illis Pontificatum collatum ea conditione, ut ſi id ſchiſmati extin-

guen-

guendo neceſſarium foret, aut opportunum, Pontificatui cederent, ceſſuroſque ſe voviſſe, ac jurisjurandi religione ſe obſtrinxiſse: itaque ſchiſmate in annos adoleſcente, nec illos diro ſchiſmati extinguendo operam adhibentes, alterutrius, aut utriuſque libera Pontificatus dimiſſione: ut in ſchiſmate, & hæreſi obfirmatos (nam ab hæreſi inveteratum ſchiſma non diſtinguendum Canones, & Scholæ docent, articulo ſiquidem illi *unam ſanctam* ſchiſma adverſatur) eſſe cenſendos: ſchiſmaticos iterum, & hæreticos ſtatim a Pontificia dignitate, ut qui vel Eccleſiæ membra eſſe deſinant, ulla abſque declaratione excidiſſe: eaque de re Eccleſiam Capite carere eſse cenſendam, ſeque proinde in Concilium cogi poſſe ad Caput, cui, ſublato ſchiſmate, conglutinetur, deligendum, ita plane autumarunt, docuerunt, reſponderuntque Epiſcopi, Theologi, & Doctores 103, quos juſsu Concilii Piſani congregatione ſingulari habita conſuluit Cardinalis Mediolanenſis; ita plane Theologiæ, & juris canonici Doctores 120. Academiæ Florentinæ; ita Univerſitas Bononienſis, quam ad conſilium applicuerat Cardinalis S. Euſtachii: ita uno verbo Academiæ Aurelianenſis, Andegavenſis, Toloſana, & Pariſienſis, quæ per ſuos Oratores Piſano Concilio id omne ſignificandum curaverant. Ergo Doctrinæ huic innixa Piſana Synodus ſeſs. 1, & 2. Gregorium, & Benedictum in judicium vocavit in cauſsa ſchiſmatis, & fidei: ſeſs. 3. contumaces illos in eadem cauſsa ſchiſmatis, & fidei pronunciavit: ſeſs. 7. declaratum eſt Concilium eo in caſu a Cardinalium collegio legitime cogi potuiſse, eoque in caſu Concilium ſuperius ſe non agnoſcere; atque ab obedientia Gregorii, & Benedicti recedere licuiſse: ſeſs. 15. denique Angelum de Corrario, & Petrum de Luna in ſchiſma, & hæreſim incuriſse declaravit, eo perinde nomine a Deo, & ſacris canonibus jam e Pontificatu dejectos pronunciavit, eoſdemque præterea S. Synodus a Sede Pontificia detruſit. Ea de re Cardinalis Zabarella Florentinus tunc temporis Juriſconſultus duos breves de ſchiſmate edidit tractatus, quos inſeruit ſuo commentario in cap. *Licet de elect.*, ubi Pontificem dubium plane Concilio ſubmiſit. Quamvis poſtea ſibi cautius agendum exiſtimavit, dum in Concilio Conſtantienſi, ut diximus, decretis ſeſs. 4.
 & 5.

& 5. vel Papam dubium ſpectantibus ſibi reſiſtendum ſtatuit, ac reapſe illum reſtitiſse oſtendemus. Intendito ad ea, quæ hactenus ex actis Piſani Concilii retulimus; ex quibus tam id exploratum eſt, ſcilicet ea decreta locum dumtaxat habuiſse in cauſsa, & caſu ſchismatis, & hæreſis, ut non ſit, cur iis repetendis inutilem demus operam, diutiuſque immoremur.

Ex Concilio Conſtantienſi

§. II.

CONcilium Conſtantienſe generale Latin. VIII, in ſerie Conciliorum generalium XVI. anno 1414. celebratum ſchiſmati jam 38. annis invaleſcenti, nec a Piſana Synodo extincto ut occurreretur, tandemque Deo auſpice extirparetur, illud eſt, cui ferme tota Pontificiæ ſupremæ poteſtati illudentium potius, quam adverſantium, turba, & cauſſa fidit, quove fulcitur: ex illo actum tandem de Apoſtolicæ Sedis ſupra Concilium auctoritate conclamant: ad illud Pontificum partibus adjectos quoſcumque continuo, ac de victoria confidentiſſimi provocant: verbo: illo nihil illorum calamo, & linguæ ſacratius eſt, frequentius, atque ſolemnius. Verumtamen, ſi ſuperis placet, Concilium Conſtantienſe nobis ad vindicanda Romani Pontificis, quibus de agimus, privilegia, graviſſima momenta ſuppeditat, tantum abeſt, ut ab illo privilegiis hujuſmodi detractum aliquo fuerit modo. Ut rite utrumque conficiamus, videlicet demonſtremus 1. a Concilio Conſtantienſi agnitam, & aſſertam Romani Pontificis cum ſupra Concilium poteſtatem, tum in fide indefectibilitatem: 2. a Conſtantienſi Concilio nihil actum, nihil decretum, nihilque attentatum adverſus indubii, ac legitimi Pontificis mox allegata privilegia: ut iſta duo, inquam, ordine, & rite præſtemus, in anteceſſum operæ pretium eſt animadvertere pleraque acta quidem Concilii Conſtantienſis antiquitus publicam lucem adſpexiſſe, ſed in pleriſque vel interrupta, vel interpolata, ut proinde occaſionem tum errandi non paucis, tum ſubleſtæ fidei Baſileenſes

Pa-

Patres inſimulandi præbuerint. Ergo prima actorum Concilii Conſtantienſis collectio ab ipſo Concilio annis 20. elapſis Baſileenſis Concilii juſſu, atque auctoritate, in id operis elucubrandi delectis, & deputatis duobus Cardinalibus, duobus Epiſcopis, duobus Theologis, ac uno canonum Doctore, concinnata, an. 1442. publici juris facta eſt. Secundam collectionem, non ad autographi fidem, ſed ad fidem apographi, ſeu exemplaris Baſileenſis exactam, & cum eo collatam edidit Michael Galterius an. 1443. Ab hoc Galteriano codice deſcriptam ſuam tertiam collectionem adornavit an. 1490. Joannes Huober de Inderdorf: ex hoc vero codice Huoberino Hieronymus de Croaria an. 1500. ſuam quartam collectionem Hagenoæ typis deſcribi curavit. Ex iſta Croariana denique prodiere Pariſienſis an. 1506. edita a Petit; Mediolanenſis an. 1511; Colonienſis, Veneta, Labbeana &c. Exactior ea exiſtimatur, quam poſtmodum anno 1699. Francofurti, & Lipſiæ edi curavit, confecitque ex optimæ notæ codicibus bibl. Brunſvicenſis, Gothanæ, Lipſienſis, Vindobonienſis, Wolffenbutelenſis &c. Hermannus Vonder Hart (quamvis hæreticorum more pleraque turbet, miſceatque, quæ hujuſce generis hominis vel impune mentientis, vel otioſe nugantis, vel illiberaliter maledicentis, ut adnotavit Harduinus, ingenium redoleant) qui collatis inter ſe diligentiſſime codicibus Mſs. mox laudatis cum codicibus Galteriano, Huoberino, Croariano &c. ex Baſileenſi exemplari deſcriptis, in iſtis poſtremis menda pleraque notavit, a quibus longe expurgatos conſpexit codices Brunſvicenſem, Gothanum &c. ab ſe verſatos: ſed & interpolatum codicem Huoberinum in ſeſſ. 4. animadvertit, cujus decreto 1. aſſutam particulam illam, *& reformationem generalem Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris*, obſervat, ex quo facile in Croarianam, aliaſque ex ipſa decerptas collectiones particula illa irrepſit; quam in codice Wolffenbutelenſi omnium optimo, quique ad fidem exemplaris Baſileenſis editus fuit, deſiderari teſtatur. Ex his ergo actis a Vonder Hart adornatis rem omnem noſtram conficere confidimus. Id jampridem perfecit vir doctiſs. P. Matthæus Petitdidier adornata Gallico ſermone diſſertatione hiſtorica, & theologica de ſententia Concilii Conſtantienſis circa Pontificis auctoritatem, & in-

& infallibilitatem, cujus veſtigia relegentes ex ipſo met derivabimus, quæ in rem noſtram æque, ac ſuam magis facere videbuntur, quæ ab ipſo prætermiſsa ſunt operi ſufficientes. Puto plane, quod ſi acta iſta publicam lucem paulo ante adſpexiſſent, vel ſaltem poſtquam ab anno *1699.* adſpexere, ab oſoribus Pontificiæ poteſtatis omnibus perlecta fuiſſent, vel nequiores eſſe deſiiſſent in Scheleſtratium, qui jam pleraque ex Mſs. Vaticanis protulerat, quæ in hiſce actis nunc habentur; vel, quod opportunius foret, & optatius, non adeo nequiter, audacterque in Romani Pontificis privilegia inſurrexiſſent. Erubeſcendum jam ſaltem illis tot, tantaque commenta, & iniqua, infandaque commata dixiſſe, ſcripſiſſe, & defendiſse. Poſtremo ad harum collectionum, nec non collect. Barberianæ, & codicis Capranici fidem exegit ſuam, adornavitque Harduinus, ex qua pleraque quoque in rem noſtram derivamus.

Agedum a primo exordium capiamus, nimirum ab iis, quibus a Concilio Conſtantienſi agnita, & aſſerta Pontificis Maximi privilegia, comprobari poſſint. Pricipio igitur ex actis Concilii Conſtant. apud Vonder Hart, ut in proleg. animadvertimus, conſtat auctorem tract. de comm. adverſus Jacobum Miſnienſem; Mauritium Pragenſem in tract. pariter adverſus eumdem Jacobum, & Johannem Antiochenum Patriarcham in theſibus Concilio oblatis eam docuiſse, ac defendiſse, etiam poſt ſeſſ. 4, & 5, ſententiam, quæ Pontificem Concilio potiorem agit, ac in cauſſis fidei infallibilem prorſus adſtruit. 2. In congreſſu 40. Theologorum controverſia ad trutinam revocata, atque quidem poſt ſeſſ. 4., & 5, ut ex reſponſ. 5. palam fiet, num 45. Wicleffi errores damnandi eſſent Concilii nomine, an potius Pontificis, duodecim demptis, ceteri in eam conceſſere ſententiam id juxta priſcum morem Pontificis nomine peragendum: *Ad quem*, inquiunt, *ſpectat ſententias definitivas in materia fidei proferre*; ſubdentes, nonniſi a Pontifice hanc poteſtatem in Concilium derivari. Ii igitur Pontificis partes ſupra Concilium profecto extollebant, illumque privilegio infallibilitatis perfrui exiſtimabant. 3. Academiæ, quæ cum in Piſano, tum in Conſtantienſi Conciliis via ceſſionis potius cum Pontificibus, quamvis dubiis

dubiis procedendum ſuadebant, urgebant, inſtabant, antequam viæ alteri, aut Concilii, aut ſubtractionis obedientiæ eſſet danda manus, cujuſmodi fuere Pariſienſis, Andegavenſis, Aurelianenſis, Toloſana, Bononienſis, & Florentina, quibusque adſtipulati ſunt plures numero Theologi, ut §. 1. obſervabamus, putaſne, quod Pontificem abſque dubio legitimum Concilii poteſtati permiſiſſent, quum nonniſi ex neceſſitate in Pontificem dubium, ſchiſmaticum, imo & hæreticum agendi Concilio qua Piſano, &qua Conſtantienſi facultatem fecerint? 4.

Cardinales, quum in Concilio Conſtantienſi quam plurimos extare intelligerent, qui peſſime erga ipſos affecti a Concilii congregationibus, dum de reformationis negotio ageretur, Cardinales eſſe excludendos contenderent, Cardinales, inquam, tractatu edito S. Romanæ Eccleſiæ, & Pontificum privilegia vindicanda ſuſcepere, locoque ſtabilire ſuo pro virili parte ſategerunt. Tractatui iſti Concilio exhibito a Concilio reſponſum ejusmodi adhibitum eſt, ut cauſſam illorum, ac noſtram confirmarit magis, magiſque. Cardinalium propoſitio prima erat: *Romana Eccleſia .... omnium Eccleſiarum Mater eſt, & Magiſtra, & oppoſitum dicere eſt hæreſis implicita*. Concilium reſpondit: *Non eſſe hæreſim contra articulos in ſymbolo comprehenſos*. Propoſitio 2, & 3. erat: *Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Caput merito dici poteſt. Romana Eccleſia ſicut omnium Eccleſiarum, Caput dicitur, ſic & Concilii generalis, imo univerſalis Eccleſiæ*. Concilii reſponſio fuit: *Nota ſuper verbo caput; hoc concedatur; tamen non ad fovendum ſchiſma, aut difformitates. Item nota ſuper verbo Concilii; eſt ſubdiſtinguendum; quia hoc eſt verum in aliquo Concilio, maxime cum agitur ad elidendum aliquem errorem contra fidem, ſeu hæreſim extirpandam: ubi autem agitur de, ſchiſmate tollendo in Romana Eccleſia, quod per Cardinales ortum habuit, ibi non habet locum*. Itaque ipſius ſententia ſicuti caput corpori, ſic Concilio Pontifex indubius præeſt. Propoſitio 4. erat: *Præmiſſam poteſtatis, & auctoritatis praeminentiam obtinet, non tam humana traditione, quam divina: & hoc Rom. Petri Apoſtoli Chriſti Vicarii, & cujuslibet ſui ſucceſſoris legitimi, qui ex Chriſti inſtitutione ſub eo, tamquam ſub principali*

capi-

capite, tam Romanæ, quam univerſalis Eccleſiæ Caput fuiſse, & eſse cognoſcitur. Concilium nihil repoſuit. Propoſitio 5. ſic efferebatur: *In Concilio Papa, vel ſuus Vicarius ipſo abſente præſidere, & principaliter definitivam ſententiam ferre debet, niſi manifeſta cauſsa, & in jure fundata obſit.* Concilium reſpondit id intelligendum juxta datam ſupra diſtinctionem. Propoſitiones alias prætermittimus: illud tantum adnectimus, quod propoſitionis 8, & 9. probationes a Cardinalibus productæ erant ejuſmodi: *Item pro 8, & 9. concluſione facit, quod Romana Eccleſia habet alias in parte ſollicitudinis, non in plenitudine poteſtatis* 2. q. 6. C. Decreto. *Facit etiam, quod Romana Eccleſia poteſt de aliis omnibus judicare, ſed ipſa non poteſt ab alio quoquam judicari* 9. q. 3. C. Patet. *Facit etiam, quod Romanæ Eccleſiæ conſuetudo circa inſtitutiones Eccleſiaſticas ab omnibus ſervanda eſt* 11. diſt. cap. Quis; *& qui ejus privilegia violat hæreticus eſt habendus* diſt. Omnes. Concilium reſpondit in hæc verba: *Omnibus iſtis concluſionibus, & earum probationibus introductis poteſt reſponderi ſummarie, quod forte ita ſcriptum eſt in jure, ut in eis continetur, ſed illud intelligendum eſt ceteris paribus: ſed hic cetera non ſunt paria, ideo non faciunt ad propoſitum.* Videlicet ſignificabat tempus præſens eſſe ſchiſmatis, ac Papæ dubii, quo caſu doctrina Cardinalium locum non haberet: ſignificabat ergo Concilium decreta ſeſſ. 4, & 5. locum habere dumtaxat in caſibus Pontificis dubii, hæretici, ſchiſmatici, aut ejus, qui Pontificatum ſponte abdicarit, aut ſponte Concilio ſe ſubjecerit: quo ſenſu, non autem eo, quem ipſi Natalis, & Boſsuetius appingunt, Eccleſia ipſa Gallicana a Concilio Conſtantienſi Papam hujuſmodi, non vero Pontificem indubitatum, ſe inferiorem decretis ſeſſ. 4, & 5. declaratum intellexit. 5.

Concilium ipſum Conſtantienſe juſſit aliquando 45. Wicleffi propoſitiones a pluribus qua Cardinalibus, qua Epiſcopis, qua Abbatibus qua Magiſtris in Theologia, & qua Doctoribus in jure ab ſe delectis ad examen revocari: eorumdem cenſuram ſeſs. 8. approbavit, ut proinde ejuſdem placitum appellanda ſit. Jam ergo ex cenſura iſta, quam tom. 3. pag. 218. exhibet Vonder-Hart, argumenta pro infallibilitate, & auctoritate Pontificum ſupre-

ſuprema depromimus non infirma. Circa 3. priores propoſitiones de Euchariſtia, & tranſubſtantiatione, quam hæretici creditu, & captu difficillimam dicebant, Cenſura ſic ait: *Quod tunc ex hoc excluſa omni differentia, & dubietate ſecuri, & certi ſint, quidquid Sedes Apoſtolica; & Eccleſia Romana tenuerit, & determinaverit pro fide Catholica, quod hoc ſit fides recta, & quemcumque articulum determinaverit eſſe hæreticum, vel erroneum, quod ſit talis. Impoſſibile eſt enim quod Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia, in qua Papa vice Chriſti, & ſucceſſor Petri, ut Caput reſidens, & collegium Cardinalium, ut corpus ſuccedens aliis ſimiliter Apoſtolis, in officio definiendi, & determinandi circa univerſam materiam catholicam, & Eccleſiaſticam, & errores contrarios exterminandi, impoſſibile, inquam, eſt quod talis Sedes, & talis Romana Eccleſia aliquid determinet, & teneat pro fide Catholica, quod non eſset fides recta: alias in tali caſu ſedes illa Apoſtolica, & Romana Eccleſia eſset hæretica, & erronea tenens tenaciter non fidem pro fide, aut fidem pro non fide. Quomodo ergo ipſa eſset Mater, & Caput omnium Eccleſiarum, in omnibus tanquam magiſtra ſequenda, ad quam in dubiis, & arduis eſt recurrendum, quando circa fidem in aliquo dubitatur? Quomodo ipſa non habebit maculam, neque rugam? Quomodo ejus auctoritati maximæ debet cedere uſus, ſeu conſuetudo? Quomodo ei poſt Deum maxime erit obediendum, ideo quia ipſa eſt Mater, & Caput omnium Eccleſiarum, contra quam ſi quis derogando loquitur, hæreticus reputatur? Quomodo ipſa valebit omnes judicare, de ea autem judicare nullus permittitur? Quomodo Chriſtianus, qui ei obedire contemnit, peccatum infidelitatis incurret? & ita de quam plurimis laudabilibus in corpore canonum de ea digeſtis, ſi appareret erronea, & hæretica? Quomodo ipſa eſset ſecurum, & certum refugium omnium Eccleſiarum, & univerſitatis Chriſtianorum viſibile in humanis, ad quod ſecuro haberent confugere in omni materia catholica, & Eccleſiaſtica? Quale refugium requirunt, & neceſsario expoſcunt omnes Eccleſiæ, & Chriſtianorum communitas, quum Chriſtus ſponſus Eccleſiæ ſuæ totius tale infinite ſciat, & immenſe faciliter potuit illi ſponſæ ordinaſſe, ipſa tali refugio valde indigente.* Hactenus Cenſura: quibus nihil luculentius

eius ad evincendam Pontificis Romani cum indefectibilitatem in fide, tum Concilio ſuperiorem auctoritatem; quæ duo privilegia obſerves velim obiter ab auctoribus cenſuræ neceſsaria conſecutione inferri ex Primatu Romanis Pontificibus aſserto: ex quo nos quoque monuimus privilegia illa ſuapte profluere, ut proinde eo primatu adjudicato, reliqua privilegia abjudicari nullo amplius modo poſſint, atque propterea propoſitionem noſtram cum primatum illum, tum privilegia laudata complectentem uno tenore probandam ſuſceperimus. Sed ad laudatam cenſuram revertatur oratio.

Circa propoſitionem Wicleffi nonam, qua vir nequam aſſerebat ab Urbani VI. ætate Græcorum more, qui Romanæ Eccleſiæ excuſſa obedientia jampridem ſe in libertatem aſſeruerant, Græcorum, inquam, more, ingenioque tranſigendum fore, neque ulli deinceps Pontifici deferendum, Cenſura ſic habet: *Oportet ſecundum ſcripturas .... & ſecundum rationem eſſe unum certum, & ſecurum refugium viſibile in humanis, ad quod univerſitas populi Chriſtiani de univerſis mundi partibus habet recurrere ſecure, & reſpicere in difficilibus, & ambiguis, in fundamento fidei, & univerſa tota materia catholica, & Eccleſiaſtica; & quid potius erat tale, quam Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia, ubi Papa, & Collegium Cardinalium Cathedram Petri, & aliorum tenent Apoſtolorum? Hoc autem tenet, & credit univerſitas Chriſtiani populi, & omnes Eccleſiæ &c.* En refugium, ac fundamentum fidei conſtitutum non in Concilio, ſed in Sede Apoſtolica, ſeu Petri Cathedra, cui cumulatur Cardinalium collegium, quod, ut infra innuitur, a Sede Apoſtolica in partem ſollicitudinis admittitur! Circa propoſitionem 36. Wicleffi, qua effutiebat Eccleſiam Romanam eſſe Synagogam Satanæ, nec Papam Chriſti eſſe Vicarium, Cenſura oppoſitum oſtendens, videlicet Eccleſiam Romanam certum quemque reddere de fide vera, ſic loquitur: *Quomodo autem ſic certus eſſet, niſi credulitate explicita, vel implicita ſecuritatem haberet, quod in tota illa Eccleſia per orbem terrarum diffuſa eſt quædam ſumma capitalis compendioſa Eccleſia, in qua eſt ſummus Principatus, ſumma, plenaque auctoritas, & poteſtas viſibiliter in humanis cogno-ſcen-*

Digitized by Google

ſcendi, & definiendi, approbandi, docendi, aſſecurandi univerſaliter quid credendum, quidve diſcredendum? Et quod talis capitalis Eccleſia per ſe, vel etiam cum aliis in partem ſollicitudinis vocatis, aſſecuravit, & aſſecurat de tota Scriptura ſacra, & habet ſecurare de tota materia credendi. Subdit deinde: *Ipſe B. Petrus fuit immediatus, & proximus Chriſti Vicarius in ſuprema, & altiſſima authoritate, & poteſtate Eccleſiaſtica.* Deinde paucis interjectis: *In hoc certe ſummo Principatu, & ſumma authoritate, poteſtate, & dignitate ſic legitime canonice principandi fuit S. Petrus immediatus, & proximus Vicarius ſummi Principis Chriſti, quum ſibi, & non S. Mariæ fuit dictum: Tibi dabo claves Regni &c. & item fuit ſibi non partialiter, & particulariter, ſed indefinite, & indifferenter dictum: Paſce oves meas.* Concludit demum hanc Petri poteſtatem ad Petri ſucceſsores tranſire; atque in hanc ſententiam Eccleſias, Doctoreſque omnes conſpirare, ſacratamque proinde omnibus eſſe debere. Cedo potuit Romanus Pontifex ampliorem ſibi vindicare poteſtatem, quam ipſi vindicant Præſules, & Doctores Conſtant. Concilii?

Circa propoſitionem Wicleffi 38, qua decretales tam impudenter, quam impie exſibilabat, Cenſura ſic effatur: *Quia Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia habent eamdem auctoritatem, & eaſdem claves Regni Cælorum in univerſa materia catholica, & Eccleſiaſtica cognoſcendi, & definiendi, quæ vera & catholica ſint, quæ falſa, & erronea, quæ bona, & eligenda, quæ mala, & fugienda, quæ facienda, & dimittenda, quas habuerunt Apoſtoli, Presbyteri, & ſeniores tunc in Jeruſalem; igitur ſicut illi authoritate, & Clavibus illis habuerunt cognoſcere, & definire, & per decretales epiſtolas cognita, definita, & decreta mittere, ſic Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia. Quum igitur illud idem privilegium formale, & eædem Claves ſint apud Sedem ſanctam Apoſtolicam, & ſanctam Romanam Eccleſiam; igitur ſicut cuſtodienda erant dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus in Jeruſalem, ſic & quæ fuerint decreta a Sede Apoſtolica, & Romana Eccleſia. Non ergo niſi inſanus hæreticus diceret, quod indefinite, & indifferenter decretales epiſtolæ ſint apocryphæ.* Ita Cenſura; ex qua facile intelligis quanto in pretio decreta Pontificum a

nullo non haberi Concilium voluerit, ut a quibus procul abeſset periculum omne pravi dogmatis, atque præterea ab iis proficiſcerentur, quibus omnes obedientia afficiuntur. Circa propoſitionem 41. Wicleffi, qua vir ſcelestus ajebat: *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſse ſupremam inter Eccleſias*; Cenſura ſic habet: *Ut articulus ille habeat ſenſum proportionalem, & ſignificationem congruam, & grammaticalem, oportet quod ſenſum talem habeat, ſcilicet: non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſse ſupremam inter Eccleſias militantes: & hic ſenſus eſt hæreticus. Nam ſi de neceſſitate ſalutis fuit populo Judaico in arduis, & difficilibus recurrere ad ſummum Sacerdotem, qui pro tempore præerat cum ſuo collegio, & eiſdem ſub pœna æternæ mortis obedire, ſicut patet Deuter.* 17; *quanto magis de neceſſitate ſalutis eſt populo Chriſtiano?* Deinde aliquibus interjectis: *Quia*, inquit, *neceſse eſt permanente univerſitate Chriſtianorum in terris remanere hujuſmodi Eccleſiam ſupremam in officio, & auctoritate docendi, & præcipiendi, ad quam populum Chriſtianum oportet in arduis, & difficilibus recurrere, & ei obedire; ut talis ex quid nominis vocatur, & eſt Eccleſia Romana, ubi Papa Caput eſt, & collegium Cardinalium corpus; igitur de neceſſitate ſalutis eſt credere Romanam Eccleſiam ſupremam eſse inter Eccleſias. Eſt enim ſupra modum neceſsarium, & expediens in univerſitate Chriſtianorum per orbem terræ diffuſa eſse quamdam permanentem compendioſam communitatem apertam, & manifeſtam populis Chriſtianis, in qua ſit ſummus Principatus Eccleſiaſticus in terris cum ſumma authoritate præcipiendi, docendi, regendi, judicandi, cognoſcendi, & definiendi univerſaliter de univerſa materia catholica, & Eccleſiaſtica, quæ tunc ſit in loco compendioſo ſimiliter noto populis. Talis igitur Communitas exiſtens ex quid nominis Romana Eccleſia de neceſſitate eſt ſuprema in terris, ſicut in ea eſt ſummus in terris Principatus Eccleſiaſticus.*

Obſervare hic juvat 1. hanc Cenſuram compendio factam approbatam fuiſse ab eodem Concilio ſeſs. 8, quam per extenſum, ſeu qualem juſsu Concilii exaratam VonderHart tom. 3. exhibet; ex qua liquido adparet, quænam Synodo Conſtantienſi ſacrata inſederit de Apoſtolica Sede ſententia. 2. Hanc camdem cenſuram

ram in compendium redactam, atque a Concilio recenſitam perinde approbatam fuiſse a Martino V. Conſt. incip. *Inter cunctas* edita in ipſo Concilio. 3. Ex cenſura iſta ampliori interpretandam fore proinde contractiorem a Concilio, & Pontifice adoptatam. Igitur quum Pontifex conſtit. laudata, poſtquam inter condemnatos a Concilio Wicleffi errores hunc recenſuiſset ordine 41: *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſse ſupremam inter alias Eccleſias*, hanc cenſuram Concilii approbavit: *Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares*; intelligenda eſt, inquam, cenſura iſta juxta ſenſum cenſuræ ſuperius allatæ, cujus ſynopſis eſt; ut ſenſus ſit Romanam quidem Eccleſiam, Pontifice ab eadem abſtracto, univerſalis nomine, locoque ſupremæ haud accipiendam fore, habendamque: neque perinde ei infligendam erroris notam, qui eo, illam nomine, & loco nec acciperet, nec haberet: bene vero univerſalem eſse, & ſupremam, neque id abſque errore inficias iri, prout comprehendit Pontificem, quatenus nempe Pontifex Eccleſiæ univerſalis egregiam ſpeciem præfert, atque in Eccleſiam univerſam poteſtate ſuprema potitur: ſive quatenus in Pontifice, juxta phraſim cenſuræ amplioris, univerſitas Chriſtifidelium per Orbem diffuſa compendiaria perſiſtit. Itaque juxta hunc ſenſum profecto germanum Pontifex ſupremus Princeps ſuper alias particulares Eccleſias denominatur idem, qui ſuper omnes ſummatim Eccleſias, atque qui ſuper Eccleſiam univerſam; ut qui unus ejuſdem ſummam, egregiamque ſpeciem gerit. Etenim ſi in omnes Eccleſias particulares Principatum obtinet, & ſi Eccleſiæ omnes particulares Pontifici obedire tenentur, palam ſit Pontificem in univerſam Eccleſiam Principatum habere; unde tò *ſuper alias Eccleſias particulares* comprehendit etiam omnes; & tò *ſuper omnes Eccleſias particulares* æquivalet Eccleſiæ univerſali. Is ſenſus liquido conſtat ex laudatæ cenſuræ amplioris verbis; aperteque imo ex præcit. Martini V. conſtitutione, in qua inter quæſtiones, quas ab hæreſi redeuntibus fieri jubet, una hæc eſt: *Item utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio*

prio expreſſo, ſit ſucceſſor B. Petri, habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei. Ubi vides Eccleſiam Dei accipi pro Eccleſia univerſali, eodem nomine efferri; pro eademque re uſurpari.

Contra more ſuo contendit Natalis illud τὸ *In Eccleſia Dei* diverſum eſse ab iſto *In Eccleſiam Dei*: illud uſurpaſse Martinum ad ſignificandam Pontificis poteſtatem in Eccleſias particulares; iſtud non adhibuiſse, quo ſignificata fuiſset Pontificis poteſtas in Eccleſiam univerſalem, ac perinde in generale Concilium. Verum verbis nimis hæret vir doctus, nec neſciebat ſub id temporis verborum compoſitionem, & vim adeo religioſe obſervatam non ivíſse: ſed ſi & Cenſuram ampliorem expendiſset, verba illa non ita ad alienum ſenſum intorſiſset. Sed luſerit, hæſeritque verbis: nonne ſicut Rex, ſic Pontifex, ſicut in Regnum univerſum, ſic univerſam in Eccleſiam poteſtatem exercere jure optimo dicendus eſt, qui dicitur ſupremam habere poteſtatem ſicut in Regno, ſic in Eccleſia? Sed de hoc argumento rurſus infra. Confirmatur interea id totum ex Cenſura, quæ circa propoſitiones Wicleffi adverſus Religioſos Ordines hæc præ aliis habet: *Quid neceſse eſt nobis multum diſcurrere pro valido argumento, quod Religiones privatæ memoratæ ſuperius, & aliæ ſint laudabiles, & utiles in Religione Chriſtiana? & quod catholicum eſt tales eſse bonas, & ſanctas? ecce validum, & ſecurum habemus argumentum, fidem ſcilicet ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Capitis omnium Eccleſiarum in terris, quæ firmiter credit tales Religiones eſse ſanctas, & juſtas, ſicut & eadem eſse tales approbavit, & confirmavit. Hoc ergo argumentum eſt nobis valde ſufficiens ad hæreſis confutationem contrariæ.* Hactenus cenſura illa. Ex quibus ſane pateſcit, quod Pontificis Romani tam in Eccleſiam univerſam ſuprema poteſtas, quam in definiendis fidei cauſſis infallibilitas a Concilio Conſtantienſi agnita, & aſserta dubio procul fuit, quum cenſura illa a plurimis tum Cardinalibus, tum Epiſcopis, tum Abbatibus, tum Theologis, tum juris utriuſque conſultis, tum viris aliis notabilibus adornata fuerit, & compendifacta a Concilio ſeſs. 8, & Martino V. conſtit. *Inter cunctas* approbata.

Martinus V. ſe ſuperiorem profecto Eccleſiis particularibus non

non modo, ſed etiam Eccleſia univerſali, & Concilio ipſo Conſtan-tienſi intellexiſse, nedum ex conſtitutione *Inter cunctas* ſuperius laudata colligitur, ſed & evincitur ex conſtit. edita annno 1418. in eodem Concilio, qua appellationes a Summo Pontifice ad Concilium prohibet his verbis: *Nulli fas eſt a ſupremo Judice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice Jeſu Chriſti Vicario in terris appellare, aut illius judicium in cauſſis fidei, quæ tamquam majores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam referendæ ſunt, declinare.* Hanc conſtitutionem edidit Pontifex occaſione Oratorum Regis Poloniæ, qui libellum Joannis Falkemberg ignominioſo hæreſis nomine damnandum Concilio denuntiarant, reque ipſa Judices, Quæſitoreſque fidei ad id operis diligenti examine diſcutiendum a Concilio deputati infamiæ nota fore infligendum deliberaverant; quinimo a Cardinalibus, & Epiſcopis cujuſque Nationis de libro proxime in ſeſſione publica diris cunctis devovendo ſponſionem, fidemque, qua major deſiderari illis non eſſet, acceperant. Quorum nihilominus, cunctorumque votis quum una Pontificis volontas interceſſiſſet, nulloque præhabito Patrum conſilio, aut conſenſu omnem eo de libro motam quæſtionem ſilentio litari juſſiſſet, Oratores autem illi ſpem omnem ſuam de proſcribendo libello præreptam, amputatamque ægre ferentes, proteſtatione omnium nomine a Paulo Voladimiri interpoſita, ad futurum generale Concilium provocaſſent (quorſum vero futurum appellare, quippini pulſare magis præſens?) illis de mandato Pontificis ſub anathematis pœna ſilentium impoſitum fuit, atque ad præcludendum omnem impoſterum aditum hujuſce generis temerariis attentatis, ab hiſque auſibus in abuſum facile abituris occaſionem omnem abigendam præfatam Pontifex conſtitutionem evulgavit. Contra hancce Martini V. conſtitutionem audaciſſimus inſurrexit, calamumque diſtringens laceſſendam, lacerandamque adorſus Gerſonius eſt tractatu elucubrato, cui titulum indidit: *Quomodo, & an liceat in cauſſis fidei a Summo Pontifice appellare, ſeu ejus judicium declinare:* cujus doctrinæ, cui totam ferme cauſſam ſuam Pariſienſes quidam Theologi commiſerunt, (ſed qua prudentia jam factum eſt planum) cardo in eo totus convertitur, ut ſuadeat in cauſſis fidei fas eſſe Pontificis judi-

judicium, utpote fallibile poſthabere; atque ſolius Concilii œcumenici judicium, utpote infallibile declinare, minoriſque facere nefas eſſe. Verumtamen ad tractatus calcem ingenue, veritate nempe cogente, fatetur tandem dicta ab ſe, & argumentata magis ad veritatis inquiſitionem collineaſſe, quam quæ in Summi Pontificis offenſionem vergi velit. Subjungit deinde expedire, egregiæque operæ Pontifici haud pœnitendæ eſſe pretium, ut ſuſpicionem omnem ſiniſtram, in quam ob indictum tam pernicioſo libro juſtitium, venire potuiſſet, in eumdem librum diſtrictum, ſolemneque inſtituendo judicium, ab ſe amolliretur: *Hoc eſt*, inquit, *ſi ſponte nullo requirente damnet doctrinam illam peſtiferam, & crudelem contra Polonos, cum ſimilibus aliis, cum tali celebritate, & rigore, qualem fidei materia vergens in ſcandalum, & perniciem Reipublicæ poſtulat, & requirit*. Hæc Gerſonius, cujus doctrina, & auctoritas ſuperius jam ſatis ſuperque eſt exagitata. Accedit ad hæc, quod a Martino V. juxta priſcum Conciliis ſolemnem morem Concilium Conſtantienſe actorum confirmationem poſtulavit, quam nonniſi certo poſito modo Pontifex conceſſit, ſcilicet conciliariter actis, ut mox dicetur: nec non uno Martini vocato nomine Concordata cum Nationibus ſive Germanica, ſive Gallica, ſive Anglicana ſancita ſunt, ſicuti legere eſt apud Harduinum tom. 8. pag. 883, & ſeqq. Quæ quid aliud, amabo, præſeferunt, quam eo in Concilio primas, ſupremaſque partes egiſse Pontificem?

Hæc ex Martini V. conſtit. a Schelestratio deducta momenta conatur elevare, & eludere Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul XV, & XVI. diſsert. 4. de auct., & ſenſu decret. Concilii Conſtant. art. 3. n. 11. Videlicet reſpondet Martinum V. hac agendi ratione oſtendiſſe ſe Concilii deputatis, collegio Cardinalium, congregationibus Nationum ſuperiorem eſse, non vero Concilio, a quo Joannis Falkenberg libellus ſeſſione publica damnatus non fuerat. Se imo Concilio ſubjectum profecto agnoviſse, quandoquidem jampridem in Synodo Piſana in hanc iviſset ſententiam a Gregorii XII. obedientia, poſtquam illius Synodi judicio gradu deturbatus eſt, ſe abdicans, & Alexandro V, ac deinde Joanni XXIII. ejus ſucceſsori adhærens: attamen Gregorium XII. ante

ante Synodi Piſanæ judicium probe ut legitimum Pontificem coluit, ut qui ſucceſſerat Innocentio VII, a quo ipſe Odo Columna in Pontificatu Martinus V. appellatus inſulis Cardinalitiis ornatus fuerat. Perſuaſum ei igitur erat, Pontificem etſi legitimum ob pertinaciam in retinenda dignitate, quam Eccleſiæ bono exigente dimittere debuiſset, a Concilio poſse gradu detrudi. Concilium autem, ſubdit, non aliter Martinus confirmavit, quam ejus decretis conſentiendo, eaque promulgando, & exequendo, non quaſi ipſis auctoritatem conferens, ac robur, quo antea carerent. *Et certe*, inquit, *Concilii Conſtantienſis definitiones, & decreta tum in materia fidei, cum in aliis materiis edita vim per ſe habere fideles omnes obligandi agnoverat, & declaraverat Martinus, antequam Regis Poloniæ, & Ducis Lithuaniæ Oratoribus reſponderet: quod omnia, & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materia fidei per ſacrum generale Concilium Conſtantienſe conciliariter approbabat, & ratificabat, ut conſtat ex ipſius conſt.* Inter cunctas, *& ex interrogationibus, quas hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus fieri jubet: utrum credant, teneant, & aſſerant, quod quodlibet Concilium generale, & etiam Conſtantienſe Eccleſiam univerſalem repræſentet. Item utrum credant, quod illud, quod ſacrum Concilium Conſtantienſe .... approbavit, & approbat in favorem fidei, & ad ſalutem animarum, quod hoc eſt ab omnibus Chriſtifidelibus approbandum, & tenendum &c. Item utrum credant, quod condemnationes Joannis Hus, Joannis Wicleffi, & Hieronymi de Praga factæ de perſonis, libris, & documentis per ſacrum generale Conſtantienſe Concilium, fuerint rite, & juſte factæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter aſſerendæ. At conſtitutio*, ait Natalis, Inter cunctas, *in qua hujuſmodi interrogationes præſcribuntur, edita fuerat a Martino V. 8. Kal. Martii, ac proinde ante ſeſſ. 43; reſponſum vero illud Oratoribus Polonis de approbatione eorum, quæ in materia fidei concluſa, & decreta fuerant conciliariter dedit ſeſs. 45, & ultima celebrata die 22. Aprilis dimiſſo jam his verbis Concilio:* Ite in pace. *Quamobrem ſi in hac Martini V. reſponſione poſita eſt Concilii confirmatio, ut contendit Schelſtrates, liquido conſtat Concilii decreta fideles omnes obligaſse ante ipſius Pontificis confirmationem.*

nem. Reponit poſtremo Theologis Pariſienſibus eam inſedere opinionem, quod Martini V. conſtitutio expreſse non prohibeat appellationes quaſcumque a Summo Pontifice, ſed quæ temere, & abſque juſta cauſsa fierent ab iis, qui majorum cauſsarum cognitionem Sedi Apoſtolicæ eriperent, contendentes pertinaciter illas ſolum in Concilio generali dirimendas, definiendaſque, ut Poloni Oratores, occaſione libri Joannis Falkemberg contendere viſi fuerant. Cæterum caſus eſse aliquos, in quibus a Summo Pontifice ad Concilium etiam in cauſſis fidei appellari poſset; caſus hujuſmodi Martini V. conſtitutionem non complecti, adeoque non pugnare cum decretis ſeſs. 5. Concilii Conſtantienſis. Ut id probet profert tractatum Gerſonii ſupra cit. adverſus hanc conſtitutionem editum; profert quoque pleraque exempla eorum, qui temere, & injuſte appellarunt, eorumque, qui ſua ſententia appellarunt rite, & juſte. Sed de appellationibus tum ad Pontificem, tum a Pontifice ſuus erit par. 2. Vindic. locus.

Verum his pacato animo, partiumque ſtudio alieno perpenſis, quis non videat virum doctiſſimum in tranſverſum actum? Nam 1. Si ea agendi ratione Martinus V. ſe ſuperiorem agnovit Cardinalium collegio, & Nationum congregationibus, ſane ſe Concilio etiam ſuperiorem agnovit: ex quibus enim aliis, amabo, coaleſcebat, quam ex illis Concilium? Non equidem fateor publico in conſeſſu Cardinales, & Nationes libro illi dicam infamiæ conſcripſerant, ſed conſcribendam dumtaxat privatis in congregationibus deliberaverant. Hoc noverat Martinus, ſi ergo noluit, vel publico conſeſſui damnandum proponere librum, vel noluit privatas congregationes fieri publicas, in quibus demum liber ille damnaretur, ſi Concilium proinde diſsolvit; ſi Oratores ad Concilium provocantes compeſcuit; ſi in Concilio conſtitutiones adverſus taliter appellantes edidit: nec tamen Concilium Pontifici in faciem obſtitit, ſcilicet Concilium quod ad ſe provocantes a Pontifice non admiſit, Concilium, cujus congregationes librum illum cenſura dignum jam dijudicarant, nonne hac agendi ratione Concilium intelligebat ipſi ſe præferre Pontificem? Nonne Pontifex intelligebat perinde ſe Concilio generali auctoritate præſtare? Natali fatente timore periculi, ne illa

con-

conſtitutione Martini V adverſus appellantes plures abuterentur ad Conciliorum generalium auctoritatem elevandam, eludendamque, ut quæ decretis ſeſs. 5. videbatur contraria, eaque plurimorum animos propterea commoviſſet, Gerſonius adverſus eam tractatum edidit; in eoque tractatu totus in id incubuit, ut conſtitutionem eliderer, iccirco quod exinde conſequi illud ſibi videretur, quod generale Concilium Pontifice non eſſet ſuperius, aut Judex Pontificis ſupremus (quam doctrinam tamen, ut ſuperius advertimus potius ad veritatem aſſequendam, ſe tradidiſse Gerſonius ingenue fatetur): timori huic tamen non occurrerunt Patres Concilii a Pontifice declarationem poſtulantes, tantum abeſt, ut conſtitutioni huic refragarentur. Igitur noverant Patres decreta ſeſs. 4, & 5. aliter intelligenda, quam quod iis Pontificis ſupremæ poteſtati derogaretur: noverat Pontifex decretis illis non obſtantibus ſibi in Concilium integrum, ac ſupremum jus dicundum relinqui. 2. In errore vehementer verſatur, dum putat decretum a Concilio emiſsum nequiviſſe a Pontifice infirmari, aut penitus infringi, quum exempla pleraque decretorum hujuſmodi non modo, ſed & ipſorum Conciliorum ſuppeterant, quæ reprobata a Pontificibus robore omni prorſus caruere; quæ ſuo loco proſeqnemur. Dum iterum præfidentiſſime ait Marrinum ſe probe demiſiſſe Concilio, dum a Gregorio XII, quem legitimi Pontificis loco antea habebat, religioni duxit recedere, poſtquam a Piſano Concilio eum gradu dejectum conſpexir, hallucinatur, inquam, (verbo abſit injuria), atque mea quidem ſententia abs vero multopere aberrar, rum quod vel Concilium Piſanum in œcumenici pretio habendum ſupponat: vel a Concilio etſi haud œcumenico Pontificem loco poſſe detrudi puter: rum quod a Concilio vere œcumenico legitimum Pontificem dignitate abdicari poſſe arbitretur; neque a Concilio œcumenico Pontificis, quamvis legitimi, & qui præſto eſſet, deſiderari præſentiam, aut per ſemet, aut per Legatos ſuos, quemadmodum in more poſitum ſemper fuit, exiſtimet: tum demum, quod opinionem ejuſmodi Martino ipſi appingere non erubeſcat. Non iſthæc mehercle Martino V. adhæſit ſententia, injuriam ei infert, qui in eum illum errorem trahit: ſed id unum illi perſpectum, per-

perſuaſumque Pontificem ſchiſmaticum e gradu dejectum a Concilio declarari poſse, qua poſita declaratione, poſse, ac debere univerſos Chriſtifideles ab ejus obedientia recedere. Sed & Martinus V. poterat Gregorium XII. prius pro legitimo colere, & poſtmodum ab ipſo reſilire, quin putaret Pontificem Concilio ullo modo ſubjici, nempe in dubium Gregorii electione revocata, aut invalida habita, quæ antea pro rata habebatur, ſententiam mutare, ac vere exiſtimare potuiſse Piſanam Synodum in Pontificem dubium manus extendere; ſentire potuit, non quod ſenſerit ajo. 3. Toto oſtio demum abſcedit a veritate, dum ait ex Martini confirmatione decretis Concilii non acceſſiſse robur, & auctoritatem, illamque non fuiſse, niſi conſenſum: hac enim docendi ratione Pontificem infra Epiſcopum quemlibet dejicit, ſiquidem cujuslibet Epiſcopi ſuffragium, ſeu judicium Concilii decretis robur, & auctoritatem confert, quum decreta Concilii, nonniſi ex Epiſcoporum judiciis coaleſcant: hac etiam docendi ratione decreta Concilii, ſive confirmentur a Pontifice, ſive non, nihilominus ligarent, & tenerent; nam ut ligent, & teneant, nihil, quod non habeant, Pontifex conferret: atque ita plane, antequam decreta Concilii Conſtantienſis a Martino V. confirmarentur, vim per ſe habuiſse fideles omnes obligandi ex ſententia ipſa Martini V. videtur putaſse Natalis, ſi ex verbis ejus mens perpendatur. Quibus quid audiri poteſt abſurdius! quidque a perenni Conciliorum praxi, ſacrataque Patrum ſententia magis abhorrens?

Ad hæc inutile negotium Scheleſtratio faceſsere conatus eſt, dum contendit Concilii Conſt. confirmationem a Martino V. verbis illis expreſsam: *Quod omnia, & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei per ſacrum generale Concilium Conſtantienſe conciliariter approbabat, & ratificabat*; factam fuiſse ſeſs. 45; conſtitutionem vero *Inter cunctas* incipientem fuiſse editam ſeſs. 43. Nam (quod diligenter obſerves velim) 1. ex præfatis verbis Oratoribus Polonis ſeſs. 45. datis pateſcit ſenſus conſtitutionis editæ ſeſs. 43, ſcilicet ea conſtitutione jam rata habebat concluſa, & decreta in materiis fidei conciliariter a Concilio. Rurſus ex conſtitutione illa pateſcit vice verſa ſenſus verbo-

rum

rum præfatorum ſeſs.45,ſcilicet ſe rata,acceptaque habere nonniſi conciliariter decreta, concluſa, & determinata, videlicet quæ expreſserat in conſtitutione, nempe adverſus errores Wicleffi, Johannis Hus, & Hieronymi Pragenſis. 2. Verba illa, quibus acta in materia fidei a Concilio confirmabat, in publica ſeſſione iterato pronunciari mandavit Pontifex, ut omnes Patres intelligerent quænam confirmaret, ſcilicet ea, quæ confirmata jam videre poterant conſtit. *Inter cunctas*, nempe decreta adverſus hæreſes. Audiatur Spondanus ad annum 1418. rationem agendi Martini V. exponens: *Putamus*, inquit, *Nunciorum Poloniæ petitionem de induſtria Martini nutu ad ultimam ſeſſionem reſervatam, ut ea occaſione ſignificaret, quæ Concilii decreta ipſe auctoritate Apoſtolica; ac ſuprema probaret, quæ vero non; ne ſi antea quidquam de iis agere voluiſset, murmur aliquod, tumultuſque in Patribus excitaret ob ea, quæ ambigue decreta fuiſsent de auctoritate Concilii ſupra Pontificem, & de poteſtate reformandi Eccleſiam, tam in Capite, quam in membris, quas abſolute, ut ſonare videntur, ſumptas nullo modo Martinus agnoſcere, aut probare voluit, utpote extraneas exiſtimatas, & praxi antiquioris Eccleſiæ, & collatæ Petro, ejuſque ſucceſsoribus poteſtati, ipſique demum naturæ rei, qua caput debet membra regere, non regi a membris: ſicuti ex pluribus eſt ſæpe commentariis, atque diſputationibus probatum ab hujus dogmatis aſsertoribus*. Hæc Spondanus, quæ adeo plana, atque decretoria ſunt, ut non opus ſit iis vel ad captum faciendum indoctis lucem affundere, vel ad infringendam vim omnem argumenti alioquin infirmi adverſariorum momentum aliquod ſuperaddere.

Ex interrogationibus autem, quas hæreticis ad fidem redeuntibus faciendas præſcribit Martinus, inepte quidquam adverſus ipſum exculpitur. Inter articulos ſiquidem Joannis Hus ille quoque num. 11. legebatur: *Non oportere haberi, ſeu credere, quod Romanus Pontifex ſit Caput cujuſcumque particularis Eccleſiæ*. Cui articulo plane opponendus fuerat articulus de Epiſcopatu Romani Pontificis, ejuſque Primatu, ſive Patriarchica auctoritate præterea ſuper alias quaſque particulares Eccleſias, ſupra quas pleniſſimam haberi poteſtatem a Romano Pontifice hæretici

tici illi inficiabantur; qua tamen interrogatione, nec Pontifex, nec Patres ſupremam Pontificis in Eccleſiam univerſam excludendam, aut coarctandam unquam intellexere: nam eiſdem ab hæreſi revertentibus interrogatio etiam illa præſcribebatur num. 3: *An Romanus Pontifex eſset ſuccesſor Petri habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei*. Cujuſce interrogationis diſtinctæ vi Pontificem in univerſam Eccleſiam ſuprema poteſtate defungi, ac potiri Martino V, & Conſtantienſi Concilio apprime perſpectum erat, atque perſuaſum. Neque vero ex interrogationibus faciendis circa idem Concilium Conſtantienſe quidquam pariter Pontificis juri adverſum, extundi, aut in favorem decretorum ſeſs. 4, & 5. concludi poteſt: nam ultra quam quod inferius oſtendemus decreta illa Pontificem dubium reſpexiſſe, ac referenda eſſe ad caſum Pontificis ſchiſmatici, aut hæretici, interrogationes illæ hæreticis faciendæ reſpiciebant decreta a Concilio, quando indubitanter legitimum, & generale erat, vel facta, vel confirmata fuerant, cujuſmodi generis fuere decreta adverſus hæreticos illos, quæ edita quidem ſeſs. 8, qua nondum Concilium œcumenicum evaſerat, ſed confirmata ſeſs. 45. a Martino V. robur invictum obtinuere. Sed quis probe non perſpiciat decreta ſeſs. 4, & 5. non ſatis conducere ad hæreticos in Eccleſiam reducendos, ut quæ potius hæreticis adverſus Pontifices inſoleſcendi occaſionem præberent, ſi illis ſenſus, quem adverſarii contendunt, eſſet appingendus; ac proinde ea decreta comprehenſa non fuiſſe, neque comprehendenda in interrogatoriis circa Conſt. Concilium? Denique ſi Martinus decreto *Frequens* morem gerens Concilium generale indixit, id egit, quia Eccleſiæ bono expediens judicabat, non quia illo decreto ſe obligatum putaret: non ſecus ac Pontifices ſucceſſores, dum Concilii Tridentini decreta executioni mandarunt, non tamen ſe illis obligari exiſtimarunt, quin imo neminem illis obſtringi, niſi Pontificis acceſſiſset auctoritas. Sed ſatis ſuperque de 1. capite.

Jam igitur ad 2. controverſiæ caput devenimus de auctoritate, & ſenſu decretorum ſeſs. 4, & 5. Concilii Conſtantienſis, Concilii generalis auctoritatem ſpectantium, num nempe iis Pontificum lædatur, aut labefactetur poteſtas. Sunt vero decreta

hujuſ-

hujuſcemodi 1. ſeſs. 4. *Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis generale Concilium faciens pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & unione, ac reformatione Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris facienda ad laudem Omnipotentis Dei in Spiritu ſancto legitime congregata ad conſequendam facilius, ſecurius, liberius, & uberius, unionem, & reformationem Eccleſiæ Dei, ordinat, diſponit, ſtatuit, decernit, & declarat ut ſequitur: & primo quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto congregata legitime generale Concilium faciens, Eccleſiam catholicam militantem repræſentans poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris.* 2. *Seſs.* 5. *Item declarat quod quicumque, cujuſcumque conditionis, ſtatus, dignitatis, etiamſi Papalis, qui mandatis, aut præceptis hujus ſacræ Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati ſuper præmiſſis, ſeu ad ea ſpectantibus, factis, vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.* 1. Vero ejuſdem ſeſſ. 5. decretum ſic habet: *Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis generale Concilium faciens pro extirpatione ipſius ſchiſmatis &c.* ut ſupra ad verbum habet 1. decretum ſeſs. 4. cit. Scilicet hiſce Synodi decretis cauſſam finitam; de Pontificum ſuprema poteſtate actum eſſe conclamant Launojus, Dupinus, Maimburgus, Natalis, Boſsuetius, le Courrajer, de With, Anonymus in opere gallice inſcripto: *Eclarciſſement ſur l' autorite des Conciles generaux, e des Papes &c.* horumque ſimiles, quibus præpoſteræ religioni ceſſit Pontifici Concilium præferre.

Contendunt etenim 1. ea duo prælaudata decreta a Concilio vere œcumenico, & legitimo condita fuiſſe. Ea enim Synodus, inquiunt, ſe œcumenicam nominat, idque nomen vere ipſi adſertum confirmat Martinus V conſtit. *Inter cunctas* eodem in Concilio edita, qua inter articulos, de quibus interrogandos jubet Huſſitas, aut Wicleffiſtas ad Eccleſiam reduces, illum præſcribit: *Utrum credat, quod Concilium quodlibet generale, & etiam*

Con-

Conſtantienſe Eccleſiam univerſalem repræſentet. 2. Decreta omnia a Synodo Conſtantienſi adornata ab Apoſtolica Sede admiſſa fuiſſe, atque approbata. Nam Martinus V, arguunt, ſeſſ. ultima, ideſt. 45, omnia, & ſingula decreta in materiis fidei conciliariter facta ſe approbare profeſſus eſt. Eadem perinde ſingula, & omnia decreta confirmarunt Concilia tum Senenſe a Martino V, tum Baſileenſe ab Eugenio IV uſque ad translationem in urbem Ferrarienſem, ideſt ſeſſ. 25. approbata: duo autem illa decreta ſeſſ. 4, & 5, in Concilio Baſileenſi publicis in ſeſſionibus quinquies, ideſt ſeſſ. 2, 3, 11, 12, 18, explicate repetita ſunt, antequam Synodi translatio Ferrariam ab Eugenio eſſet indicta. Eugenius ipſe in litteris ad Fridericum III. Imper. anno 1447 paulo ante obitum datis, quas refert Raynaldus ad cit. annum tom. 18 annal., decreta omnia Conſtantienſis Synodi indiſcriminatim approbavit: *Concilium generale*, ajens, *Conſtantienſe*, *decretum* Frequens, *ac alia ejus decreta*, *ſicut cetera Concilia Catholicam Eccleſiam repræſentantia*, *ipſorum poteſtatem*, *auctoritatem*, *& eminentiam*, *ſicut & ceteri anteceſſores noſtri* ..... *ſuſcipimus*, *amplectimur*, *& veneramur*. Denique Pius II. in Bulla retractationis an. 1463 inter alia etiam Conſtantienſe Concilium ſe venerari, & complecti profitetur. 3. Ea de re graviter commoventur in D. Emmanuelem Scheleſtratium, quod differt. edita an. 1683 in id intento nervo incubuerit, ut ſuaderet decreta ſeſſ. 4, & 5 dubiæ eſſe admodum auctoritatis, aut infirmæ; contendens 1. decretum ſeſſ. 4 genuinum non eſſe, ſed a Concilio Baſileenſi interpolatum: 2. decretum ſeſſ. 5 ſine debita, & communi deliberatione ab una Obedientia Joannis XXIII. editum fuiſſe, adverſus illud obſtrepentibus Cardinalibus, & obnitentibus Galliæ Regis Oratoribus: 3. Concilium Conſtantienſe haud ſatis Eccleſiam univerſam repræſentaſſe: 4. a Patribus Conſtantienſibus poſt ſeſſ. 28 decretum 1 ſeſſ. 5 ita expoſitum, ut nihil ad ſuperioritatem Concilii faciat; decretum vero 2. ſeſſ. ejuſdem 5. de Pontifice hæretico, vel ſchiſmatico, non de indubitato Pontifice intellectum fuiſſe: 5. denique facta trium Obedientiarum unione, nec a Concilio tum vere œcumenico, nec a Martino V illa decreta unquam fuiſſe confirmata; quinimo facto, & verbo Pontificis

ſu-

ſuperioritatem eo in Concilio enituiſſe. Sed jure ne, an injuria in Virum clariſſimum exardeſcant ex ſequentibus aſſertionibus palam fiet. Itaque

Ajo 1. dubitatum jure optimo a Scheleſtratio fuiſſe de infirmitate decreti ſeſſ. 4. Et quidem 1. particula illa *& ad fidem* deſideratur in editionibus omnibus Concilii Conſtantienſis, quæ editionem Colonienſem Petri Crabbe præceſserunt: nam deſideratur in editione omnium antiquiore Hagenovenſi an. 1500; in Mediolanenſi an. 1511 typis Gotardi de Ponte opera Zachariæ Ferrerii Abbatis Vicentini; in Pariſienſi an. 1525 typis Gallioti a Prato opera Jacobi Merlini; in collectione Conciliorum Colonienſi an. 1530 ex ædibus Quentelianis prodita. Neque vero dubium omne amovetur ex eo, quod Concilii Baſileenſis Patres eam particulam *& ad fidem* quinquies, ideſt ſeſs. 2, 3, 12, 16, & 18 jam ab annis 10, antequam Patres ipſi Baſileenſes acta Concili Conſtantienſis colligi, & in uno codice deſcribi curaſsent an. 1442, laudarint, exſcripſerint, & confirmarint. Nec obſtat perinde maximam curam adhibitam a Baſileenſibus Patribus fuiſse in actis Concilii Conſtantienſis colligendis, ut qui hancce provinciam duobus Cardinalibus, duobus Epiſcopis, duobus Theologis; & Archidiacono Zagabienſi demandarint, & collectionem anno demum 1442 abſolutam Bulla plumbea pendente in chordula ſericea per omnes chartas inferioris marginis, ut ipſi perhibent, tranſeunte obſignaverint: ex quo codice demum Joannes Houber de Inderdorff anno 1490 exemplar adornavit, quod cum ſuo originali concordare teſtatus eſt Mathias Strinbach publicus Notarius; quodve exemplar rurſus an. 1499 in oppido Hagenovæ publici juris factum eſt. Nec obſtat tum in hoc codice, tum in codicibus Romano, Regio, & Labbeano eam legi particulam. Nam aliam particulam ejuſdem decreti ſeſſ 4 ſcilicet *& ad reformationem generalem* &c., de qua mox, fœde interpolatam a Baſileenſibus non dixerim, ſed potius ab exſcriptore codicis Baſileenſis infra ſtatim evincemus; quid ergo prohibere potuit, quominus particulam quoque illam *& ad fidem* interpolaret? idque plane facile committere potuit, ut qui iniquo erga Eugenium IV una cum Baſileenſibus animo eſſet affectus. Ea deinde interpolatio ſemel in codicem ex Baſileenſi exſcri-

ptum obtruſa in ceteros pleroſque facile potuit obrepere. Dixi mox interpolationem exſcriptori codicis Baſileenſis adjudicandam: nam VonderHart auctor eſt ſe vetuſtiſſimum Baſileenſium codicem optimæ notæ vidiſſe, in quo particula illa, ſicuti & alia, de qua infra, deſideraretur.

Particulam 2. illam, *& reformationem generalem Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris* decreto ſeſſ. 4 a Baſileenſibus Patribus non vere fuiſse ex Concilio Conſtantienſi ſeſs. 4 laudatam, fuiſse vero editioni ex Baſileenſi tranſcriptæ, (de induſtria ne, an de incuria non diſputarim) adjectam, ex qua in alias quoque editiones irrepſerit, ex eo evincitur, quod ea particula non legatur in tribus codicibus Mſs. Concilii Conſtant. a Notariis ipſius Concilii conſcriptis; ex quibus tamen Baſileenſes ea decreta compilarunt. Sed & ad Cardinalem Julianum in Baſileenſi Concilio præſidem ſuum tractatum inſcriptum *Gubernaculum Conciliorum* dirigens Andreas Magorenſis, refert quidem decretum ſeſſ. 5, ſed ne verbum quidem habet de ſeſſ. 4 decreto: is vero die ipſa ſeſſ. 5 ſermocinatus eſt ad Synodum. Neque legitur eadem particula in quatuor codicibus Mſs. ejuſdem Concilii Conſtantienſis, quorum duo ſub id temporis conſcripti fuere, in quorum uno poſt hæc decreti verba, *ad fidem, & ad extirpationem dicti ſchiſmatis*, habetur: *Iſte* (ſcilicet articulus) *imperfecte fuit factus, ideo ſuppletur in ſeſs. ſequenti*: quibus plane verbis indicatur particulam illam *& reformationem* &c. abfuiſse a decreto ſeſs. 4. Neque legitur in duobus codicibus continentibus regeſtum actorum Synodi Conſtantienſis, quorum unus circa tempus Concilii conſcriptus juris fuit Cardinalis Sirleti; alter vero antiquo caractere Italico eſt exaratus. Sed nedum in his codicibus Romanis, quorum 9. vidit, & contulit Scheleſtratius, illa particula non legitur; ſed nec legitur in codicibus Mſs. Germanis, quos conſuluit VonderHart actorum Concilii Conſtantienſis diligentiſſimus collector; ſed nec ullum a quoquam laudatum codicem Ms. ſe vidiſſe, in quo legatur, Harduinus accuratus collector alter affirmat: unde in nova Conciliorum editione Venetiis facta, nec non in collectione Harduini poſtquam laudatæ particulæ verba *& reformationem* &c. parentheſi concluſa recitata ſunt, hæc adnotantur:

tur: *Non ſunt hic, neque in prima editione, neque in Mſs. Concilii Conſtantienſis, duobus Vindobonienſibus, neque in Volfenbuttelenſi, Brunſuvicenſi, Gotthano, & Lypſienſi, ut docent nuperi editores hujus Concilii in Germania tom.* 4. *par.* 1. *pag.* 86: ſcilicet VonderHart aſserens imo ſe in codice vetuſtiſſimo Concilii Conſt. juſſu Baſileenſium edito eam clauſulam non legiſse; unde conjicit, & cum eo Lenfantius manu aliena eam clauſulam codicibus Baſileenſibus facile adjectam fuiſse.

Præterea idem Lenfantius hiſt. Concil. Conſt., & VonderHart tom. 4. pag. 86, una cum Gobelino in Coſmod. ætat. 6. cap. 94, & Cerretano in Diario Concilii Conſt. apud Bzovium referunt a Cardinali Zabarella Florentino, cui lectio decretorum demandata fuerat, conſulto de aliorum Cardinalium conſilio, & conſenſu eam clauſulam decreti ſeſs. 4, ſcilicet *& reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris*, omiſsam fuiſse. Qua de omiſſione ſcripto publice edito, quodve tom. 2. par. 12. pag. 281 collectionis cit. exſtat, ab Anonymo Nationum defenſore fidei ſubleſtæ increpatus eſt: *Animadvertite*, inquit, *qualiter iſte reverendus Florentinus ſchedulam, in quam Nationes concordaverunt, in iſta ultima ſeſſione, ſcilicet penultima Martii* (4 nempe die 30 Martii celebrata) *ſuorum fretus conſilio ſociorum, & fautorum detruncavit, & decurtavit deludendo, & vilipendendo hanc ſacram Congregationem, in qua talia præſumentes non ſunt digni, ut amodo admittantur*. Hocce ſcripto graviter commoti, atque ad iracundiam provocati Cardinales aliud ſcriptum, quod tom. 2. part. 13. collect. ejuſdem Hartii continetur, elucubrarunt, quo Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ jura defenderent, de quo infra agemus. At, inquit Maimburgus, Gerſonius ad Concil. Conſt. Galliæ Regis Orator in tract. de poteſt. Eccleſ.; in tract. inſcripto: *An & quomodo liceat in cauſſis fidei a Summo Pontifice appellare*; in ſerm. *pro viaggio Regis Romanorum*; & ſerm. coram Concilio habito Dom. 2. poſt Epiph. decretum ſeſſ. 4 cum illa clauſula *& reformationem* &c. laudavit, & recitavit. Verum, ut obſervavit ipſe met Natalis Alex. hiſt. Eccleſ. ſæcul. xv, & xvi diſſert. 4. §. 6, turpiter ille hallucinatus eſt; nam Gerſonius locis præcitatis decreta laudat die 6 Aprilis an. 1415 edita; quæ de-

creta non ſeſſ. 4 celebratæ die 30 Martii, ſed ſunt ſeſſ. 5 revera die *6* Aprilis habitæ.

At inquiunt poteſtatis Concilii ſupra Pontificem defenſores, clauſula illa *& reformationem Eccleſiæ* &c. legitur in decem codicibus Mſs. Pariſiis extantibus in bibliothecis Regia, Colbertina, Abbatiæ S. Victoris, Collegii Navarici: legitur in editione Hagenoenſi; Crabbiana, Romana, præſertim Pauli V. auctoritate elucubrata; Biniana, Suriana, in qua ſe aliquot locorum millia emendaſse, & ſuæ integritati reſtituiſse Surius aſſerit: Regia, & Labbeana, quam diligentiſſime a PP. Labbeo, & Coſsartio elaboratam notæ marginales ſatis docent. Præterea ſi quæ decreti ſeſſ. 4. interpolatio a Baſileenſibus facta fuiſset, hanc ipſis dubio procul exprobraſſet Eugenius IV; exprobraſſentque Cardinales, Epiſcopi, Theologique Eugenio addictiſſimi, ut exinde Baſileenſibus æternam crearent invidiam. Repono ſemel in codicem Baſileenſem, ac in codicem Hagenovenſem intruſam interpolationem in alios quoque facile irrepere potuiſſe, a qua tamen macula inſontes ſervari potuerunt reliqui codices, quos Scheleſtratius, Harduinus, Vonder Hart, & Lenfantius laudarunt. Verum nolim cum Scheleſtratio, ut jam innui, ſubleſtæ fidei Baſileenſes inſimulatos ire, ſed dicere malim (qua de re Eugenius in Baſileenſes non animadvertendum forte cenſuit) codices laudatos a Scheleſtratio, Vonder Hart, & Lenfantio exhibere decretum ſeſſ. 4. eo modo, quo lectum publice in ſeſſ. 4. fuit a Zabarella Cardinali Florentino, omiſsa nempe clauſula illa *& reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris*: codices vero laudatos a Dupino, Maimburgo, Natali, Boſsuetio, Launojo, Anonymo &c. forte excerptos ex codicibus Mſs. confectis a Notariis Gallis in Concilio, ut conjicit Vonder Hart tom. *6.* in præfat., referre decretum idem ſeſſ. 4, quale a Nationibus elaboratum, efformatumque fuerat, quo ſcilicet conceptis verbis ea clauſula exprimebatur. Verbo repetam. Vonder Hart ſe codicem antiquiſſimum Volſenbutelenſem Concilii Conſtantienſis juſſu Patrum Baſileenſium collecti vidiſſe refert, in quo ea clauſula deſiderabatur; unde conjicit vir eruditus, & cum eo Jacobus Lenfantius hiſt. Conc. Conſt. eam clauſulam codicis Baſileen-

ſileenſis exemplaribus fuiſse poſtmodum adjectam manu aliena. Nihilominus, inquiunt Pontificiæ auctoritatis oſores, nihil erat, cur decreti ſeſſ. 4. clauſula adeo in dubitationem revocaretur, quum eadem expreſſe habeatur in decreto ſeſs. 5, eademque ſeſſ. 7. in citatione Johannis XXIII. bis repetatur; ac ter denique repetita legatur in ſententia ſuſpenſionis adverſus eumdem Johannem XXIII. lata ſeſs. 10. Sed id multum oppido intereſſe mox oſtendo. Itaque.

. Aſsero 2. decreta ſeſs. 4. non modo, ſed etiam ſeſs. 5. dubiæ admodum auctoritatis eſſe ob defectum cum Patrum conſenſus, tum examinis: conſenſus quidem, quandoquidem adverſus ea decreta Cardinales, & Galliæ Regis Oratores una cum Natione Italica interceſserunt. Enim vero, quum Johannes XXIII. e Concilio Conſtantienſi Scafuſam clam aufugiſset die 21. Martii anno 1415, ea fuga diſsolutum Concilium iri pertendens; in eamdemque ſententiam pleriſque Cardinalibus abeuntibus, ut refert Theodoricus Niemus lib. 2. de vita Johannis XXIII. cap. 8, ſcilicet quod abſente Pontifice Concilium diſsolutum iret, magna exinde concertatio Cardinales inter, & Nationes exorta eſt. Nam hinc tres Nationes, Germanica videlicet, Anglica, & Gallica (Hiſpanica namque Natio nonniſi ſeſs. 26, 30, & 35. Concilio adſtipulata eſt) congregatione habita ſtatuerunt Concilium generale eſſe, & legitimum, utque decretum, quo de agitur, ſequenti ſeſs. 4. ſcilicet die 30. Martii ejuſdem anni habenda, de auctoritate Concilii in Pontificem publice legeretur. Illinc vero Cardinales numero 22, & Natio Italica id ferre non valentes, quod tres Nationes auctoritatem ſibi aſsumerent reformandæ Eccleſiæ Romanæ, id viribus omnibus enixi ſunt, ut in decreto ea clauſula omitteretur. Ea de re apud Sigiſmundum Regem Romanorum egere, egitque ipſe Rex die 29. apud Nationes, ut decreta a Cardinalibus oppugnata omitterentur; quod non obtinuit: obtinuit tamen, quod ſeſſio uſque ad horam 10. protraheretur, & in craſtinum ageretur de concordia. At die craſtina, id eſt 30. Martii in ſententia manentibus Nationibus, Cardinales inito conſilio, eoque diſſimulato, non legendum ſtatuerunt decretum, quale a Nationibus efformatum fuerat: revera-

veraque delectus Zabarella Cardinalis Florentinus, ut decreta publica in ſeſs. 4. perlegeret, de induſtria, & condicto clauſulam de reformatione Eccleſiæ in Capite, & in membis omiſit. Eam ob omiſſionem ſeſſione peracta graviter commotæ tres illæ Nationes congregatione habita ſtatuerunt, ut decretum illud integrum ſequenti ſeſs. 5. legeretur. Egere iterum enixeque Cardinales apud Sigiſmundum Imperatorem, ut ab ea ſententia Nationes deterrerentur; at illis obfirmato animo in opinione permanentibus Cardinales, & Galli Oratores ſeſſioni ſe non adfuturos conteſtati ſunt: adfuere tamen ſuadente Sigiſmundo, ut ſcandalum omne amoveretur, ſed nonniſi poſtquam in camera paramentorum Palatii proteſtati eſſent, quod unius ſcandali evitandi cauſſa ad ſeſſionem ibant, non animo conſentiendi his, quæ in ſeſs. 5. ſtatuenda forent. Quum vero renuiſſet Cardinalis Florentinus in ſe ſuſcipere decreta legendi provinciam, ea decreta perlegit Andreas Laſcharis Archiepiſcopus Poznanienſis. Ita referunt duo regeſta Mſs. Concilii Conſtantienſis, quæ protulit Schelestratius; ac codices, quos legit, conſuluitque VonderHart tom. 4. pag. 97, nec non Theodoricus Uries hiſtoricus coævus lib. 7. diſtin. 8. hiſt. Concil. Conſt. apud VonderHart. Sed & de eiſdem decretis graviter conqueſtus eſt Johannes XXIII., teſte Turrecremata lib. 2. de Eccleſ. cap. 99. in epiſt. ad Ladislaum Regem Poloniæ, & Eugenius IV. in ſua apologia adverſus Baſileenſes pag. 8. *Qui Conſtantiæ ſedebant*, ait, *unius tantum Obedientiæ Synodum faciebant. Nec tamen hi omnes in eam ſententiam convenerunt, ſed nonnulli reclamavere graviores, qui ſtrepente multitudine ſuperati, ſicut his noviſſimis temporibus, quibus carnales exuperant paſſiones, factum eſſe manifeſtum eſt, audiri nequiverunt.*

At reſpondent, qui in adverſas partes abeunt, atque pro Concilio, quibus poſſunt viribus, pugnant 1. Concertationem illam, & proteſtationem obverſatam fuiſſe circa ſecuritatem Johannis XXIII, ſcilicet circa decretum de ſummi Pontificis punitione, & de ipſo cogendo, ut Pontificatu cederet. Verum, ipſorum venia ſit dictum, falluntur oppido, inque falſum abripi ſe imprudenter ab exaſperato in Pontifices ingenio permiſerunt: nam diſceptatio, & proteſtatio circa ea verſata eſt, de quibus acri-

acriter ſeſs. 4. fuerat diſputatum, ſcilicet de omiſsa clauſula tum de reformanda Eccleſia etiam in Capite; tum de Pontifice ſubjiciendo Concilio: ea de re enim Cardinales proteſtati ſunt ſe acceſsuros ad ſeſſionem 5, non animo iis conſentiendi, quæ in ea ſtatui debere audierant: at quæ ſtatui debere audierant plane ea erant, quod Papa Concilio ſubjugaretur. Demum non de punitione Papæ, & auctoritate in Pontificem exercenda, quidquam ſtatui poterat, niſi ſtatutum antea iret Pontificem Concilio eſſe ſubjectum; quod utrumque avertere Cardinales enitebantur. Obtrudunt adverſarii 2. ab omni veri ſpecie alienum eſſe, quod una cum Cardinalibus Galliæ Regis Oratores adverſus decretum ſeſſ. 5. fuerint proteſtati: nam Gerſonius Oratorum unus, inquiunt, tribus poſt ſeſs. 5. menſibus ſermone, cui titulus incomptus eſt, *de Viaggio Regis Romanorum* (nam Sigiſmundus profectionem adornabat ad Benedictum XIII, ut ipſum, eique adhærentes ad Synodum alliceret) habito aperte pro decretis ſeſs. 5. pugnavit, eadem utilia non modo, ſed ad unionem Eccleſiæ inducendam plane neceſſaria contendens: eamdem quoque doctrinam opuſculis editis frequens defendit, ſcilicet Concilio generali ſubeſſe Pontificem. Quis itaque ſibi perſuadeat eum adverſus decretum illud interceſſiſſe? Præterea decreta ſeſs. 5. Concilii Conſt. recepta, & conſcripta fuere in pragmatica, hoc eſt reformatoria ſanctione apud Bituriges in conventu generali Eccleſiæ Gallicanæ condita, & Caroli VII juſſu promulgata; quæ decreta ſane recepta non fuiſſent, ſi Galli Oratores adverſa fronte in Synodo Conſtantienſi contra illa ſtetiſſent; non ſecus atque Concilii Tridentini nonnulla decreta, contra quæ Caroli IX Oratores eo in Concilio interceſſerant, in cauſſa fuere, quominus Concilium illud in Gallia promulgaretur. Sed & Thomas de Courſellis, ſubjungunt, Concilii Baſileenſis ad Carolum VII Orator ad eumdem oratione habita Avarici Biturigum, decreta ſeſs. 5. Concilii Conſt. a Gallico Regno admiſſa fuiſſe aſſeruit: eamdemque doctrinam denique Eccleſiæ Gallicanæ, & ſcholæ Pariſienſi inſediſse auctores ſunt Jacobus Almainus, Joannes Major, & Cardinalis a Lotharingia de rebus ad Concilium pertinentibus ad Brittonem ſecretarium ſuum Romæ agentem ſcribens

bens epiſtolam, quam cum Pio IV. communicari præcepit.

Verumtamen abs re omnino ſunt iſtius modi argumenta tam diligenter conquiſita, quam imprudenter prolata: de facto enim agitur, quod nulla tergiverſatione eludi patitur. Quod ita revera ſenſerit Gerſonius, non Regis, ſed Academiæ Pariſienſis Orator, non diffiteor, ſicut & quod poſtea imprudentes alios in ſuam traxerit ſententiam, atque dira talia, tantaque adverſus Pontificis privilegia ſcripturi erit, quæ ſuperius elevata a nobis ſunt. At ita non ſenſiſſe Gallicanam omnem Eccleſiam, aut Galliarum Regem contendo, & evinco. Enim vero remedium aliud pertinaciſſimo illi ſchiſmati conciliando apprime conſentaneum propoſitum fuerat, idque Galliarum Regis Caroli VI., Richardi Regis Angliæ, Wenceslai Imperatoris, Sigiſmundi Regis Hungariæ &c. animis inſederat, videlicet ut dignitate tres illi Pontifices ſponte ſe abdicarent. In hocce veluti unicum remedium, viam ſcilicet ceſſionis, ſeu renuntiationis incubuerat primum Univerſitas Pariſienſis, cujus litteras exhibet Harduinus loc. indic., ſemperque inſtitit Toloſana, quæ graviſſima data epiſtola ad Carolum VI. Pariſienſem ſcholam in crimen vocavit, quod veluti inutili relicta via ceſſionis, viam ſubtractionis obedientiæ propoſuiſſet, & reapſe Benedicto XIII. ſubtrahendam pronunciaſſet, hanc viam carpens, non ſecus, ac viam celebrationis Concilii, inter alia ſcribens: Concilium generale nonniſi a Pontifice cogi poſſe, neque firmum, ratumque abſque Pontificis auctoritate poſſe evadere: Pontificem præterea Romanum, modo a fide non deviarit, tametſi implicitum ſchiſmate, nihilo ſecius ſupremum omnium judicem eſſe, nullius judicio ſubjectum, nec eum ſchiſmatis etſi ſuſpectum in judicium trahi a Synodo poſse, niſi auctoritate Pontificis coacta, & firmata. Ita, inquam, ſcripſerat Toloſana Academia, verbis quidem durioribus, quæ tamen ſatis oſtenderent in diverſas tum opiniones diſciſsos Theologos. Adeundus Spondanus ad an. 1402. Eamdem viam ceſſionis veluti unicam in Synodo III. Pariſienſi propoſuere Petrus Regis Abbas S. Michaelis; Ægidius de Campis; Petrus Plavult; & Arnoldus Corbejenſis Regni Cancellarius. Eidem ceſſionis viæ inſtitere Petrus Ravati Epiſcopus S. Pontii, Petrus Æmilarius Ord. Prædicat., Johannes a Co-

Digitized by Google

à Coſta juriſconſultus Toloſanus, Johannes de Varennis Doctor Pariſienſis, qui ea de re gravem dedit ad Benedictum XIII. epiſtolam, & alii plerique, de quibus ſat, ſuperque dictum §. 1. ubi de Piſano Concilio.

Quo circa, eoque præſertim, quod a Concilio, & Galliæ Regno tamquam verus Pontifex coleretur Johannes XXIII, ſuis Oratoribus in mandatis dedit CarolusVI, ut viæ ceſſionis inſiſterent, nihilque violenti in Pontificem agi paterentur; agendove aſsenſum præberent. Quamobrem, ut refert VonderHart tom. 4 pag. 101, Cardinales nihil adverſus Johann. XXIII. ſtatui a Concilio contendebant, uſque dum ſpes affulgeret ceſsurum Pontificatui fore Johannem juxta promiſsa ab ipſo qua verbis, & qua ſcriptis repetita. Quum enim Sigiſmundus copiarum duci juſſiſset, ut Auſtriæ Duci, qui fugam arreptum Johannem exceperat, tutabaturque, bellum inferret; Cardinalibuſque Johannem ſectantibus ſalvaconducta, quibus Conſtantiam libere redirent, exhiberet; Cardinalium nomine reſpondit Franciſcus Zabarella Cardinalis Florentinus: *Quod Cardinales omnes poſt receſsum Papæ concordarunt in hoc, quod ſi Dominus Papa vellet ſequi viam, quam obtulit, ceſſionis videlicet, ipſi vellent eum ſequi, & fovere, prout tenentur, & eum defendere, & tueri in honore ſuo: & in caſu, quo declinaret ab illa via, & non adimpleret promiſsa, vellent ab eo deſiſtere, & remanere cum Concilio: & uſque huc ipſis non fuit viſum, juxta ejus ſcripta, & dicta, quòd declinaret in contrariam viam*. Ea quoque de re ipſemet Johannes XXIII, qu teſte Theodorico Niemo in ejus vita lib. 2. cap. 3, Synodi violentiæ fuga ſe ſubtraxerat, & quandiu a Sigiſmundi poteſtate liber abivit, ea ſeſs. 4, & 5. decreta, quæ frequens erronea, & quaſi hæretica traduxit, execratus eſt, firmiter habens Pontificem a Concilio, nonniſi in caſu hæreſis deponi poſse, Johannes, inquam, teſte Turrecremata loco ſupra cit., de iis decretis graviſſime cum Gallis Oratoribus expoſtulavit; quamvis haſce Johannis querelas referendas potius ad Gerſonii ſermonem ea de re habitum velint VonderHart tom. 4. act. Concil. Conſt. pag. 77., Jacobus Lenfantius hiſt. Concil. Conſt. lib. 2., & continuator Fleury lib. 102 num. 164. Sed & idem Johannes in epiſt. ad Ducem Aure-

lianenſem in acerbiores effuſus eſt querelas de Sigiſmundo Imperatore, quod inique tulerit ab Archiepiſcopo Salisburienſi ſe coram proferri adverſus Pontificem quaſdam propoſitiones injuriarum plenas, atque fidei Catholicæ penitus abſonas, præſertim, quod ipſe Archiepiſcopus erat ſupra Pontificem, & ſupra Concilium. Quæ propoſitio ab veriſimilitudine aliena quum viſa ſit VonderHartio, & Lenfantio lib. 1 num 90, cenſent mendum irrepſiſse in Mſs. epiſtolæ, ac legendum, quod Archiepiſcopus protulerit: *Concilium eſſe ſupra Papam*.

Verum quid conjecturis indulgeo, quum decretoria, indubiaque ſuppetunt, quibus rem omnino conficiam? Ea ergo de re Carolus VI. Galliarum Rex ſuis Oratoribus præcepit, ut ſuaſionibus cum Pontifice, ac Synodo agerent, ut ſponte ſe Pontificatu abdicaret, nil autem violenti in Pontificem intentarent; cujuſce rei invictum argumentum nobis ſuppeditant, tum acta Concilii Conſtant., quum ex articulis a Cardinali Piſano propoſitis in congregatione habita die 28. Martii conſtet Gallos Oratores Johannis XXIII. cauſſam pro virili parte tuitos fuiſſe; ferunt enim articuli illi apud Synodum Oratores eoſdem expoſtulaſſe, ut Pontifex intra menſis, aut quinque hebdomadarum ſpatium ab omni vi immunis ad unam, vel duas dies a Conſtantia diſtans maneret; tum hiſtoria magni ſexti ſchiſmatis Occidentalis lib. 5. pag. 439. a Maimburgo elaborata, in qua Author perhibet Gallos nunquam factum Concilii Conſt. adverſus Johannem XXIII. æquo animo tuliſse, ſed actutum r probaſſe: narrat enim male a Carolo VI. Rege exceptos fuiſse Ebroicenſem, & Carcaſſonenſem Epiſcopos a Concilio ad Regem Legatos, ut deferrent depoſitionem Johannis, quibus repoſuit ſibi inſolens videri, quod Synodus auſa fuiſſet Pontificem uti legitimum habitum e gradu deponere. Non ignarus vero Rex eam depoſitionem promotam fuiſse ab Univerſitate Pariſienſi, Delphino Ludovico demandavit, ut Doctores Pariſienſes ejus rei acriter redargueret: Deputatos vero ita animo irritato compellavit Delphinus: *Ecquis eam vobis licentiam dedit, ut auderetis in Pontificem Romanum manus injicere, eique dignitatem, ac infulas adimere, quod nuper Conſtantiæ feciſtis? poſtquam ergo eo audaciæ perveniſtis, quid aliud ſupereſt vobis, quam* ut

ut pari facinore Regi, regiiſque Principibus coronam, & Imperium involetis? ſed enim ne id vobis procedat, mature præveniam. Hæc ille. Graviorem adhuc pertulit jacturam Johannes a Caſtillione Oratorum primus redux Conſtantia Pariſios, quippe quum Principe Ludovico Delphino coram factum Concilii defendere non fuiſset veritus, carceri mancipatus audaciæ pænam dedit. Nec vero mirum, quod mutata ſententia poſtmodum in conventu Bituricenſi decreta illa a ſucceſsore Carolo VII. admiſsa fuerint; nam Regiis, & Eccleſiæ Gallicanæ juribus, & impendiis tum ea favere credita ſunt, tum Concilii actis rite diſcuſſis, compertoque nullam aliam ſuppetiiſse viam ſedando ſchismati, Concilii factum approbatum fuit. Quo de argumento mox agemus. Quæ denique fuerit olim, ſitque nunc celeberrimæ Gallicanæ Eccleſiæ doctrina ſingulari diſcuſſione ſuo loco demonſtrabitur, quo planum fiet nuſquam diſparem ab aliis Eccleſiis in ſententiam illuſtrem Eccleſiam illam abiiſse.

Adfirmo 3. decreta ſeſs. 5., quibus de agitur, dubiæ admodum eſse auctoritatis ob defectum quoque examinis. Enimvero Concilia, etſi generalia, nullam fidei definitionem edere poſsunt, niſi quam ad Dei verbum aut ſcriptum, aut traditum diligenter antea exegerint: atqui circa decreta de præſtantia Concilii ſupra Pontificem Conſtantienſe Concilium ante ſeſs. 4. ullum verbi Dei ſcripti, aut traditi examen non ſat inivit: ſi enim iniviſset, pro ſuperioritate Pontificis ſtare graviſſima argumenta, quæ ex ſcriptura, & traditione a nobis prolata ſunt, & proferentur, cognoviſset; abſtinuiſsetque dubio procul ab eo decreto, contra quod ad minus talia, tantaque dimicant argumenta. Sciviſset ſcilicet, qua injuria, inſolentia, & ignorantia Gerſonius eo in Concilio ſermonem habens jactaverit nullum hucuſque Theologum, præſertim Pariſienſem, præſertimque ſanctum, docuiſse Pontificem Concilio eſse ſuperiorem. Sciviſset, inquam, in Conciliis generalibus, ut ſupra oſtendebamus, Pontifices ſupremam exercuiſse poteſtatem: ſciviſset a Theologis Pariſienſibus in cauſsa diſſidii Bonifacium inter, & Philippum Pulchrum ſcriptum fuiſse: Pontificis poteſtatem fontem eſse, e quo omnis in Eccleſia poteſtas derivat, proindeque Conciliis œcumenicis ſu-

periorem eſſe, omnium Judicem, nulliuſque judicio ſubjectum ire. Sciviſſet Theologos Pariſienſes ad Clementem V. ſcripſiſſe in ſola cauſſa hæreſis Papam Concilio ſubjacere; in cauſſa vero Bonifacii VIII. ſolum eſſe judicem ipſum Clementem, ut qui *Eccleſiam univerſalem repræſentat ſolus*; *& ſine quo*, *& niſi per quem* Concilium generale cauſſam Bonifacii in examen adducere poſſet. Sciviſſet a Theologis Pariſienſibus in celebri controverſia de Minorum paupertate ſcriptum fuiſſe: Pontificum conſtitutiones in cauſſis fidei ad examen revocari abſque piaculo non poſſe. Sciviſſet a Clemente VI. quondam Theologo Pariſienſi in epiſt. ad Conſolatorem Armenorum Patriarcham ipſum credere juſſiſſe, quod Romanus Pontifex *pleniſſimam poteſtatem haberet ſuper totum*, *& univerſum corpus Eccleſiæ militantis*. Sciviſſet docuiſſe Petrum Bertrandum Doctorem Pariſienſem Eccleſiaſticæ poteſtatis originem Deo acceptam referendam, a Deo immediate S. Petro, ejuſque ſucceſſoribus, a quibus in alios deflueret, fuiſſe collatam. Sciviſſet docuiſſe adverſus Græcos SS. Thomam, & Bonaventuram, quod ſi Concilium generale alterius generalis Concilii auctoritatem coercere nequit, ita ut ſymbolo aliquid explicationis gratia addere non poſſit; multo minus Pontificibus circumſcribere terminos, quorum auctoritate Concilia ipſa congregantur, & firmitatis robur accipiunt. Uno verbo ſciviſſet pro Pontificibus ſtare Scripturam, Concilia, Pontificum geſta, Patrum teſtimonia, Theologorum dogmata, de quibus ſuo loco a nobis eſt actum, vel reſtat agendum.

Verum probe ſciverat nuper ante ſeſſ. 4, & 5. acriter diſputatum a Theologis hacce de auctoritate, majoremque, ac potiorem partem Theologorum ſtetiſſe, ut non alia niſi via ceſſionis iniretur, ut ſupra oſtendimus; quod ſubinde ideo via depoſitionis ex conſilio Theologorum inita fuit, niſi quia fruſtra ſæpius via ceſſionis tentata in caſſum tandem ceſſiſſet. Neque enim niſi Pontifici dubio Concilium ſupereſſe docuerant Academiæ Pariſienſis, Bononienſis, Florentina &c. apud Dacherium tom. 6. ſpicilegii, & apud Labbeum tom. 11. Concil.: imo non defuerant, qui neu Pontificem dubium judicio experiri apud Synodum debere, aut poſſe aſſererent, apud S. Antoninum tom. 3. Chron.

tit. 22.

tit. 22. §. 3. Sed enim ignorabat ne Synodus tum ante 4. ſeſs. ſtatim ab fuga Johannis XXIII. a pleriſque tum Cardinalibus, tum Epiſcopis, tum Theologis Italis præſertim conclamatum fuiſse diſsolutum eſse Concilium? Contra decretum ſeſs.4. diſputatum, & declaratum a Cardinalibus, & Oratoribus Gallis? Ita nempe, nam ea de re cum Sigiſmundus Imperator, tum tres Nationes Gerſonio juſserant, ut publico ſermone habito Concilio primas ſupra Papam aſsereret; cui ſermoni ſane Cardinales adſtare noluerunt, exibitumque ſibi conſcriptum a Sigiſmundo legere detrectaverunt. Exinde vero ea oratio campani æris veluti ſonitus fuit, aut tubæ, quo excitarentur Theologi primum ad collationem ineumdam de Concilii invicem, & Pontificis auctoritate: ita enim referunt, & fatentur ipſimet Jacobus Lenfantius lib. hiſt. Concilii Conſt. num.2, Continuator Fleury hiſt. Eccleſ. lib.102. num. 173, & Ludovicus Maimburgus lib. 5. magni ſchiſm. Occidentalis: *En occaſio* (inquit Maimburgus, ſcilicet oratio Gerſonii) *unde ortum habuit famoſa hæc quæſtio, de qua nunquam in antiqua diſceptatum eſt Eccleſia, an nempe Concilium Papæ ſuperſtet, vel potius Papa Concilio*. Quid vero, quod imo idem met Maimburgus eodem lib.5. pag. 439. *Ab annis nongentis*, ſubjungit, *Eccleſiæ Gallicanæ hanc ſententiam fuiſse, ut excepto hæreſis caſu a nullo homine, nulloque Concilio, ſed a ſolo Deo judicari Pontifex Romanus, deponique poſset*? Ex his vero ſic arguere eſt. Profecto tam gravis controverſia de Concilii præſtantia ſupra Pontificem, quæ Eccleſiæ Romanæ jura adeo perſtringit, non ne diligenti, quod par eſſet, deceretque, examine erat exagitanda, atque ad rei tam grandis veritatem attingendam, aſſequendamque exquiſito, accuratoque opus erat? Attamen vix Johannes XXIII. Conſtantia die 21. Martii fuga ſe ſubduxit, ſtatimque Concilio demiſſus, ſubjectuſque decernitur, & die 30. ſeſs. habita decretum hujuſmodi publici juris fit. Iterum quum decreto iſti Cardinalium cœtus, Gallique Oratores, Natione Italica eorumdem partes adjuvante, interceſſiſſent, quaque parte invidiam creabat, mutilum provulgaſſent, nihilo ſecius die 6. Aprilis, ſcilicet in ſeſs. 5. nulla obſiſtentium habita ratione, decretum quoad omnem partem integrum pronunciatur. Decreto itaque iſtiuſmodi, cujus ſane pro-

promulgatio ſatius fuerat procraſtinanda, uſque dum omnes re mature perpenſa ultro citroque adquieſcerent, reque in bona luce poſita omnium facilem extorqueret aſsenſum, non ne jure cum Cardinalium collegio Galli Oratores, cumque Italica Natione ipſe Johannes XXIII. rite, jureque refragati ſunt, refragatamque fuiſse pronum eſt putare haud minorem Eccleſiæ partem, aut maximam Eccleſiarum, Romanam nempe omnium Matrem, ac Magiſtram, quæ a ſacro Cardinalium cœtu, Johanne, Nationeque Italica ſufficienter repræſentata fuerat reputanda! Decretum itaque iſtiuſmodi, cui Eccleſiæ univerſæ, ſpeciatimque Romanæ deſideratus eſt aſſenſus, quis æqui, bonique faciat, factumque conciliariter, ſive ad SS. canonum normam juſti, rectique æſtimator reputet? Plane teſte, & auctore ipſomet Petro Alliacenſi præcit. tract. de Eccleſ. poteſt. abſque Cardinalium collegio Romanæ Eccleſiæ locum, vicemque, eorumdem ſententia, gerente nec generale conflari Concilium, neque a Concilio grave quidquam conſtitui potuiſſe, ac decerni tum temporis pietate, doctrinaque præſtantes Theologi aſſeverabant: quis igitur Decretum iis invitis, atque contranitentibus, editum aut obligaſſe univerſam Eccleſiam, aut ab Eccleſia univerſa admiſſum exiſtimet? Quocirca quum Martinus V. Concilii Conſt.ea tantummodo acta rata habuerit,acceptaque, quæ fuiſsent conciliariter facta, palam fit hocce decretum ſeſs. 5. ab eo confirmatum non fuiſſe.Hæc dicta ſunto juxta hypotheſim Theologorum Baſileenſium, & Pariſienſium, ſcilicet contendentium decretum Conſtantienſe editum fuiſse ad ſubdendum Concilio generali cuicumque Pontificem quemlibet, quamvis legitimum. Nos enim num. 5. palam faciemus hoc decretum editum fuiſse relate ad Pontificem dubium, locumque habuiſse dumtaxat in cauſſa, aut caſu ſchiſmatis, ſeu Pontificis vel hæretici, vel dubii.

Interea ex his hactenus deductis liquido conſtat perperam ſtudio partium abreptos Dupinum, Natalem, Boſsuetium, Anonymum &c. ſcripſiſse 1. Quod hujuſmodi quæſtio de auctoritate Concilii ſupra Pontificem ab annis 40, quibus ſchiſma Eccleſiam diſcindebat, diu, multumque fuit diſcuſsa Pariſiis, Avenione, Romæ, Piſis in Concilio quinquennio ante Conſtantienſe celebrato, in quo

in quo ſeſs. 13. Petrus Plavult Doctor Pariſienſis, & poſtea Silvanectenſis Epiſcopus affirmarit Eccleſiam eſse ſupra Papam, hancque doctrinam eſse Facultatum Pariſienſis, Andegavenſis, Aurelianenſis, & Toloſanæ, quibus acceſserint Academiæ Bononienſis, & Florentina: ut proinde juxta hanc ſententiam Cardinales Obedientiæ Gregorii XII, inter quos erat Odo Columna, poſtea Martinus V. appellatus, quibus Gregorius prohibuerat, ne abſque ſui licentia Luca diſcederent, a Pontifice ad Concilium appellarint his verbis: *Item ad generale Concilium, a quo, & in quo ſolent geſta etiam ſummorum Pontificum quæcumque retractari, decerni, & judicari*: cujuſce appellationis inſtrumentum extat in ſpicilegio Dacheriano, & in Labbeana Conciliorum collectione. 2. Quod hujuſmodi quæſtionem agitatam in Concilio Conſtantienſi fuiſse, atque a doctoribus ad examen accurate deductam, referant Petrus Alliacenſis in tract. de auct. Eccl. par. 3. cap. 2. Conſtantiæ elucubrato, Gerſonius in ſerm. Conſtantiæ coram Patribus habito die 23. Martii ante ſeſs. 3, & in tract. de poteſt. Eccleſ., Theodoricus Niemus in vita Johannis XXIII, &c. perhibentes diſputatum quidem ea de auctoritate fuiſse, ſed tamen univerſos tandem Synodi, ſeu Nationum ſententiæ adquieviſse. Namque ita ſcribentes, aut falluntur, aut volunt fallere. Nam omnis quæſtio, omnis diſputatio, omniſque contentio, ut ex dictis conſtat, verſata eſt circa auctoritatem Pontificis dubii, & in caſu ſchiſmatis, vel hæreſis; tandemque ſententia obtinuit, (nam via ceſſionis id obtinere nequivit) ut ceſsante alia via, uti ceſſionis, Synodi generalis auctoritas in Papam dubium, ſchiſmaticum, aut hæreticum ſe extenderet, Concilioque Papa hujuſmodi foret obnoxius; uti jam ex dictis conſtat, conſtabitque magis ex dicendis.

Adſtruo 4. decreta ſeſs. 4, & 5 Conſtantienſis Synodi infirma admodum eſſe, dubiæque auctoritatis ea præterea ratione, quod tum, ideſt ſeſs. 4, & 5, dum aberant Obedientiæ Gregorii XII, & Benedicti XIII, non eſſet œcumenica, non ſecus ac œcumenici nomine non eſſe donandum non abſimili ratione Concilium Piſanum ſuperius admonebamus; atque iccirco ejuſdem nutare auctoritatem, nullam ex Eccleſiæ aſſenſu ei acceſſiſse, adeoque

que decretis illis neminem affici: neque illa plane fuiſse a Martino V approbata, ut quæ Obedientiis illis intercedentibus conciliariter facta nequaquam fuerint. Evaſiſse vero œcumenicam, poſtquam ad illam acceſserunt Gregorii, & Benedicti Obedientiæ. Ita in apologia Eugenii IV rejecta ad calcem tom. 18. Concil. edit. Ven. aſseruit Johannes de Turrecremata Oratori Baſileenſium reſpondens opponenti decreta ſeſs. 4, & 5 Concilii Conſt. Id vero in cauſsa eſt 1. Nam ſi jure Concilii Piſani auctoritas in dubium revocatur, non indubia plane eſt aſserenda electio Alexandri V, ejuſque ſucceſsoris Johannis XXIII, ac proinde dubitare jure eſt, an Conſtantienſe Concilium generale fuerit in primis ſeſſionibus, quibus ſolus præfuit Johannes, a quove ſolo convocatum illud fuerat. 2. At eſto eo in caſu ſchiſmatis ſe met potuerit rite cogere Eccleſia, attamen ſi ulla abſque ſchiſmatis nota Nationes pleræque Piſanæ Synodo adeſse detrectarunt, Gregorio, vel Benedicto addictæ, eaque de re Piſana Synodus œcumenica eſse nequivit; ita pari modo primis Concilii Conſt. ſeſſionibus pleræque Nationes, quin ſchiſmate notari ullo modo poſſint, intereſse noluerunt, ut quæ Benedicto, aut Gregorio adhærerent; illud vero Concilium, a ſolo Johanne, quem legitimi loco non habebant, fuerit congregatum; atque adeo in primis ſeſſionibus Conſtantienſe Concilium, a quo aberant tot Nationes, non fuerit œcumenicum. Atque equidem paucos ei Concilio ex Obedientia Johannis XXIII. adſtitiſse conſtat ex actis collectis a VonderHart tom. 4. pag. 73. Conſtat enim ſeſs. 3 die 26 Martii, ideſt quatriduo ante ſeſs. 4, celebratæ, nonniſi Epiſcopos 70 adfuiſse, ut proinde longe abs vero aberraverit, qui inconſultò ſcripſit interfuiſſe 300 Epiſcopos. Quam plurimos vero ex aliis Obedientiis Gregorii, & Benedicti iis primis ſeſſionibus defuiſse conſtat: liquet enim ex dictis de Concilio Piſano non exiguas numero Nationes cum Gregorio, tum Benedicto etiam poſt Piſanam Synodum, atque poſt ſeſſiones aliquas Conſtantienſis adhuc ſtuduiſſe: conſtat vero Gregorii Obedientiam nonniſi ſeſs. 14 Concilio ſe adjunxiſſe. Sed & illud diligenter animadvertendum eſt, quod eadem ſeſs. 14 Gregorii duo diplomata lecta ſunt, quorum uno Gregorius ſuis Legatis facultatem tribuebat ipſius vice ad unionem Eccle-

cleſiæ promovendam idem Concilium Conſtantienſe convocatum quatenus a Rege, non quatenus a Balthaſsare Coſsa, ſcilicet Johanne XXIII, ſuo etiam nomine convocandi, & comprobandi, & quæ in eo fierent confirmandi ea lege, ut Balthaſsar ipſe nec præeſset, nec adeſset. Altero vero diplomate pleniorem facultatem tribuebat ad munus illud exequendum Carolo de Malateſtis Domicello Ariminenſi, a quo illa transfuſa eſt in Joannem Dominici Cardinalem Raguſinum, qui proinde declaratione ſolemni Gregorii nomine Concilium convocavit, & confirmavit, cui declarationi titulus eſt: *Schedula auctorizationis Concilii*; lectum ſubinde eſt procuratorium Gregorii ad cedendum Pontificatui datum præmemorato Carolo de Malateſtis, quam ceſſionem in manibus Sigiſmundi Imperatoris, non Synodi fieri Gregorius voluit. Quibus peractis Cardinales Gregorii admiſſi ſunt, Curiæ ipſius miniſtri ſuis in officiis, & gradibus confirmati, cenſuræque omnes in Obedientias Johannis, & Gregorii latæ occaſione, vel cauſsa ſchiſmatis irritæ declaratæ.

Ad hæc poſt ſeſſionem 20 die 30 Januarii an. 1416 congregatione generali habita capitula inter Sigiſmundum, & Legatos Concilii ex una parte, & Legatos Regum, ac Principum Benedicto adhærentium ex alia parte, jam anno ſuperiori die 13 Decembris Narbonæ concordata, propoſita ſunt, & in altera congregatione die 4 Februarii communi Patrum conſenſu approbata: quorum capitulorum num. 12 ſumma erat: 1. Ut a Concilio iterato convocarentur, qui a partibus Benedicti ſtabant, Reges, & Prælati; iique infra tres menſes conventui ſe ſiſterent: 2. in Concilio nonniſi unum de exſcindendo ſchiſmate negotium exagitaretur: 3. ad Concilium advenientes confeſtim ad conſeſsum admitterentur, non ſecus atque cum aliis Obedientiis factitatum fuerat; itaque a Concilio in unum conveniente tum demum in Benedictum ſuapte abdicare ſe abnuentem judicium inſtitueretur: 4. Cenſuræ omnes, ſententiæque a Gregorio, Johanne, eorum prædeceſſoribus, & Concilio Piſano a tempore exorti ſchiſmatis in Benedictum, modo is dignitatem abdiceret, atque Benedicti partiarios Reges, Principes, Academias, perſonaſque alias quaslibet intortæ abolerentur, nullaque earum haberetur prorſus

ratio : 5. Ratihaberentur collationes omnes a Benedicto factæ, ac beneficia iis impertita, qui obedientia ſibi erant obſtricti : 6. Cardinales Benedicto olim addicti ad Concilium admitterentur, neque in novi Pontificis electione ſuffragio diminuerentur ſuo : 7. Curiæ Romanæ adminiſtrandæ a Benedicto admoti, modo eumdem abnegarent, ab officiis minime amoverentur : 8. Si contingeret Benedictum ante abdicationem fato defungi ſuo, non alter ſufficeretur Pontifex, quam qui Concilii votis comprobaretur &c. Miſſiſque ceteris capitulis ad rem non facientibus, ut conventa utrinque juramento firmarentur, & a ſingulis Conſtantienſis Concilii Patribus, ac Principum Oratoribus probarentur. Seſs. 22. denique Regis Aragonum Oratores ad Concilium ſunt admiſſi; tum capitula Narbonæ conventa executioni a Concilio mandari cæpta. Seſs. 25. admiſſi Oratores Comitis Fuxenſis. Seſs. 26. admiſſi Oratores Regis Navarræ. Seſs. 30. ſubtractionem obedientiæ Benedicto a Ferdinando Aragonum Rege factam ſuadente S. Vincentio Ferrerio Concilium approbavit. Seſs. 35. Johannis Regis Caſtellæ, & Legionis Oratores intromiſſi ſunt. Seſs. demum 37. in Petrum de Luna Benedictum XIII. in ſua pertinacia permanentem lata eſt exauctorationis ſententia, tanquam in perjurum, univerſæ Eccleſiæ ſcandalizatorem, & perturbatorem, fautorem, & nutritorem inveterati ſchiſmatis, ſchiſmaticum, hæreticum, atque articuli fidei *Unam ſanctam Catholicam Eccleſiam* violatorem pertinacem. Jam vero decreta ſeſs. 4, & 5, quibus aberant tot Obedientiæ, quis dixerit fuiſſe Concilii vere œcumenici fœtum, aut a Martino V, qui tantummodo conciliariter facta approbavit, confirmata?

Verum cauſsæ adverſariorum admodum intereſt, ut Concilium Conſtantienſe etiam in 4, & 5. ſeſſione œcumenicum extitiſſe æſtimetur : unde ex multiplici capite Concilio Conſtantienſi etiam ſeſs. 4, & 5. œcumenici auctoritatem, gradumque adſciſcere adnituntur. Itaque contendunt. 1. Eccleſiam univerſam in ſola Obedientia Johannis XXIII. collectam extaſſe, ut cui ſoli certum, ratumque jus ad Pontificatum ſuffragaretur, ut qui proinde Johanni parere detrectarent in ſchiſmatis culpam vocandi eſſent, non minus ac Donatiſtæ adverſus Ceciliani in Epiſcopum Carthaginenſem ab

Ec-

Eccleſia admiſſi electionem olim obnitentes nigra ſchiſmatis nota fuerunt inſcripti. Verumtamen ſi ſemel id adſtruatur, Johannem ſcilicet indubium fuiſse Pontificem, eique non adhærentes uti ſchiſmaticos habendos; ergo non ſchiſma compeſcuit, ſed turpiſſime in ſchiſma potius Conſtantienſis Synodus prolapſa eſt, obedientiam a Johanne abſtrahens, tyrannico quoque more egit a Pontificatu Johannem dejiciens, atque inverſo, nefarioque modo in ipſius jus intentans, jureque optimo proinde egit Pontifex fuga e tali Synodo ſe ſurripiens. Sane, ut ſupra innuimus, exardeſcente ſchiſmate (ut de aliis ſileamus) Octaviani ſub nomine Victoris, Callixti, & Paſchalis adverſus Alexandrum III, quamvis pro iis pugnaret Fridericus II, & pro iiſdem ſtaret Germania ferme omnis, magnaque Italiæ pars; nihilominus nulli Gallorum præſertim, qui extinguendo ſchiſmati egregiam navarunt operam, id animo occurrit, ut exſcindendo ſchiſmati cogendum Alexandrum fore dicerent, ut Pontificatu ſe abdicaret. Plane Alexander a Friderico Imperatore, quaſi ex parte generalis Eccleſiæ, ad Papienſem Synodum, ad quam Epiſcopi e quinque Regnis advenerant, invitatus, ut in ea cauſſa ipſum inter, & Victorem verſans exagitaretur, finireturque, ei Synodo intereſſe conſtantiſſime renuit, *Ne*, ajens, *privilegium amitteret*, *aut violaret a Chriſto Domino S. Petro collatum*, *ac per ipſum Eccleſiæ Romanæ*, *atque ad id uſque temporis integrum juſſum*, *& quum oportuit*, *etiam cum ſanguinis effuſione ſervatum*: videlicet illud erat privilegium, ſubdebat Pontifex, quod Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum cauſſas examini ſubjiciat, ac decretoria ſententia dirimat, ipſa vero nullius judicio ſubjaceret. Quis ſane non videat, quod ſemel tunc a Friderico adverſus Alexandrum III. tentatum fuit, ſcilicet ut incenſo ſchiſmate verus Pontifex a dignitate detruderetur, id quoque ab aliis Poteſtatibus in exemplum facile trahi poſſe; atque ita amplam, & apertiſſimam ſchiſmatibus, ſi ſtet ſemel opinio illa, viam parari, & ſterni?

Contendunt 2. adverſarii abſentiam Epiſcoporum legitime convocatorum, præcipue quæ ſit ex induſtria, non prohibere quin legitimum evadat Concilium, ſitque loco œcumenici habendum. Exemplum adſerunt Synodi Epheſinæ, in qua, quum

lata in Neſtorium ſententia eſt, non aderant equidem Patriarchatus Antiocheni Antiſtites, nec Johannes Patriarcha Antiochenus, quæ Synodus nihilominus legitima, & œcumenica audit. In Synodo pariter Tridentina, quamvis in quibuſdam ſeſſionibus perpauci eſſent Epiſcopi, ratæ tamen, & Concilii œcumenici auctoritate præditæ eæ ſeſſiones habitæ ſunt. Verum id, quod in quæſtione verſatur, adverſarii ſupponunt, & aſſumunt in argumentum, ſcilicet Epiſcopos Obedientiæ Gregorii, & Benedicti legitime fuiſſe accerſitos, inque ſchiſmatis notam incurriſse ſtatim, ac Piſana Synodus in Gregorium, & Benedictum animadvertit, quoſcumque illis adhærentes Pontificibus. At ex dictis de Piſana Synodo, ex dictiſque ſuperius de Synodo Conſtantienſi id plane corruere neceſſe eſt: nam, ut cetera prætereamus, illudque tantummodo repetamus, nonne Conſtantienſe Concilium Gregorii XII. diplomata admiſit, quibus Concilium œcumenicum aperte abnegabatur, Johannes XXIII. a Concilii præſidentia dimovebatur, Concilium iterum a Gregorio proprio nomine indicebatur, cuique novæ convocationi Concilium ipſum ultro citroque conſenſit? Nonne & capitula Obedientias Benedicti inter, & Conſtantienſem Synodum concordata admiſſa ſunt, quibus inter reliqua, ut iterum Concilium illa convocaret, Benedicti Obedientiæ a Patribus Conſtantienſibus facultas eſt facta? Id totum conceſſum, inquiunt, œconomiæ cauſsa, paciſque ſtudio, ut ſchiſma tandem ſedaretur, proculque e provincia abigeretur. Plane ita pari ratione ab ſchiſmatis macula purgare ſtudent factionem revera ſchiſmaticam Baſileenſium. Quandoquidem quippe Nicolaus V. indulgentia erga conventus Baſileenſis reliquias uſus ſit, pieque egerit, conjicere volunt Baſileenſibus haud quaquam ſchiſmatis labem adhæſiſſe: quandoquidem vero Conſtantienſis Synodus cum Obedientiis Gregorii, & Benedicti ita egit, ut ſe iterum convocari, ſe iterum confirmari ſineret, ut cenſuras intortas irritas declararet, ut nonniſi conſentientibus illis Obedientiis œcumenica agnoſceretur, id totum inquam, œconomiæ, & ſtudio pacis adſcribendum volunt. Næ ſe ſe ita extricare inaniter contendunt! Quam diſpar cauſſa fuit! Quam diſpar agendi ratio! Nicolao V. univerſa adhærebat Eccle-

cleſia, cujus electio apertiſſime erat legitima; Baſileenſium factio ex adverſo palam ſchiſmate afflata: cum iis igitur nonniſi ex pietate, & indulgentia egit Nicolaus. Gregorii vero, & Benedicti Obedientiæ non minorem Eccleſiæ portionem, quam Obedientia Johannis XXIII, complectebantur; Gregorii, & Benedicti jura probabilia erant, teſteque ipſo Alliacenſi eorumdem Obedientiæ probabiliter tenebant eos legitimos eſſe Pontifices; non ergo œconomiæ cauſſa cum ipſis a Conſtantienſibus Patribus actum eſt, neque œconomiæ cauſſa id agere eſt, concedere ut Concilium iterum convocetur; in eo Johannes non præſideat; acta iterum confirmentur; cenſuræ inflictæ irritæ declarentur; nullo modo ſchiſmatis nota eæ Obedientiæ inurantur &c.

Contendunt 3. Concilium Conſtantienſe ab exordio legitimum, & œcumenicum fuiſse, quia alioqui ſi tum ſolummodo œcumenicum evaſiſset, quum Obedientiæ Gregorii, & Benedicti acceſsere, quum hæ acceſserint partim ſeſs. 14, ut Obedientia Gregorii; Obedientia vero Benedicti partim ſeſs. 22, quoad Regnum Aragoniæ; partim ſeſs. 26, quoad Regnum Navarræ; partim ſeſs. 35, quoad Regnum Caſtellæ, & Legionis; ante ſeſs. 35. non extitiſset revera œcumenicum: atqui ſeſs. 8. damnati ſunt 45. Johannis Wicleffi articuli, cui damnationi omnes Catholici ſubſcribunt: ſeſs. 12. depoſitus eſt Johannes XXIII, cui depoſitioni omnes Catholici acclamarunt: ſeſſ. 13. editum fuit decretum de communione ſub unica ſpecie; quo omnes Catholici ſe affici credunt: ſeſs. 15. confixa fuit cum erroribus perſona Johannis Hus, & ſeſs. 21. Hieronymus Pragenſis diris devotus eſt; quas damnationes Catholici omnes amplexati ſunt. Addunt, quod Martinus V. in Bulla, quæ extat ad calcem Concilii, decrevit, ut qui a Wicleffiſtis, aut Huſſitis ad Eccleſiam redirent, illius decreta tamquam a Concilio generali edita ſe amplecti profiterentur: *Item*, inquit, *utrum credat, quod condemnationes Johannis Wicleffi, & Johannis Hus, & Hieronymi de Praga factæ .... per ſacrum generale Conſtantienſe Concilium rite, & juſte factæ, & a quolibet catholico pro tali tenendæ, & firmiter aſſerendæ*: agnovit ergo Martinus V. Concilium œcumenicum a ſeſs. 8; ergo etiam a ſeſs. 4, & 5. Verumtamen corruit ſtatim invi-

invictum hoc, uti illud vocant, argumentum; ſi dumtaxat animadvertas ſemel ea omnia decreta Conſtantienſis Synodi jure optimo apud catholicos omnes obtinere, jureque decreta Synodi œcumenicæ denominari, non ea ratione quidem, quod ſeſſiones illæ, in quibus edita fuere, œcumenicæ fuerint, ſed quia Obedientiæ Gregorii, & Benedicti Concilio tandem adſtipulatæ ea omnia decreta calculo comprobarunt; præcipue vero, quia ſeſs. 45. Martinus V. Concilio approbante eoſdem errores Wicleffi, & Hus proſcripſit, ac decreta primo edita probavit, firmavitque. Legendus cum apologia Eugenii IV, qui apologiæ hujuſce auctor circumfertur, Doctiſs. Cardinalis de Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. *99*.

Adjungo 5. decretorum 4, & 5. ſeſs. nutare, & concidere auctoritatem, utpote ex iis, quæ Martinus V. Pontifex Maximus nequaquam approbavit. Sane Martinus V. ſeſs. 45. expreſſim profeſsus eſt *Se omnia, & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei per Concilium Conſtantienſe conciliariter tenere velle, ipſaque ſic conciliariter facta approbare, & ratificare, & non aliter, & non alio modo*. At 1. plurima in Concilio Conſtantienſi non conciliariter, nec proinde legitime acta fuiſse ab ipſius exordio, liquido conſtat ex querelis Johannis XXIII., tum in epiſt. ad Ladislaum Regem Poloniæ, qua conqueritur a quorumdam cæca, & inconſulta temeritate ab ipſo Concilii principio omnia perverſa, omnia perturbata ita fuiſſe, ut ſchiſmata potius, & ſcandala amare, ac quærere viderentur, atque nullo antiquorum Conciliorum ritu obſervato, non publice, ſed privatim conciliabula celebraſſe, multaque machinatos fuiſse contra decus Apoſtolicæ Sedis: tum in epiſt. ad Ducem Biturigum, quæ in Sorbona publice lecta fuit, legique datur in duobus codicibus Mſſ. bibliot. S. Victoris, qua improbat plane quod a Concilio Conſtantienſi ſtatutum fuerat, ut ſingulæ Nationes unam dumtaxat vocem, ſeu ſuffragium ferrent, quando Anglicana tres tantum Epiſcopos, & quoſdam clericos dinumerabat; Gallicana vero, & Itala ducentos: quando alioquin juxta canones vis ſuffragii non competat, niſi Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quorum ſuffragia requirenda quoque ſint in ſeſſionibus publi-

blicis, & non in privatis cœtibus. Addit etiam per minas, & terrores ab Imperatore incuſsos pleraque ſuffragia extorta fuiſſe. Similia Baſileenſibus objecit poſtea Eugenius IV. in apologia. 2. Præſertim vero decreta ſeſſ. 4, & 5. non conciliariter facta fuiſſe jam, ut videor, ſatis oſtendimus, oſtendentes ſacrum Cardinalium collegium, (a quo plane Eccleſia Romana repræſentabatur, Mater ſcilicet, & Magiſtra Eccleſiarum omnium) decretis illis obſtitiſſe, & contra eadem ſcripto excepiſse. Illud addiderim, quod quatuor Mſs. codices referunt de actis in 7. ſeſſione: videlicet ſeſſ. 7. die 2. Maji anno 1415. citatio in Johannem XXIII. Concilii nomine evulgata eſt ad 9. dies, infra quos regrederetur Conſtantiam, & in Concilio compareret de fuga, aliiſque criminibus per ſemet reſponſurus, dato ei ſalvoconducto: hujuſce ergo ſeſſionis occaſione hæc referunt laudati codices: *Cardinales licet præſentes in ſeſſione fuerint, nunquam illam formam viderunt; eodem enim die circa horam 7. de mane fuit data eis copia ad deliberandum ſuper illa, quum jam plures Prælati ſederent, & immineret relatio novorum facienda Regi, & deputatis Nationum in ſacriſtia, in qua relatione præſentes fuere, nec poterant illam formam videre, quum ſtatim facta relatione perventum eſt ad ſeſſionem, quæ jam peracta erat, & ita pene in omnibus decretis Concilii factum eſt. Cardinalibus ita arcto, & brevi tempore oſtenſa ſunt decreta jam concluſa a Nationibus, ut non fuerit in eorum poteſtate ſuper illis ſufficienter deliberare, imo fuerunt in magnum contemptum habiti*: Ita 4. illi codices Mſs. Qua de re Petrus de Alliaco, ut habet in ſuo tract. de Eccleſiæ, & Cardinal. auctoritate par. 1. cap. 4, ante adventum Oratorum Regis Caſtellæ, & Legionis, Concilio decernendum proponere jure debuit: *An excluſo Cardinalium collegio quatuor Nationes Concilium facerent generale*: ac depoſcere ſubinde, ut in Concilio *ſuper his deliberetur, & provideatur, quod in futurum acta non poſſint ab æmulis reprobari*. At id deliberatum fuiſſe non legimus. At nedum Cardinalibus liberum non fuiſſe, defuiſſeque tempus ad deliberandum, ſed eiſdem imo metum incuſſum, in eoſque turbas excitatas perhibent laudati codices referentes proteſtationem Cardinalium, & trium Nationum adverſus Nationem Germani-

cam

cam die 9. Septembris anno 1417. factam. In ea ſiquidem proteſtatione habetur, quod iccirco Provinciæ pleræque adhærendi Concilio moras adnecterent, *propter diſcordias, quas in Concilio fieri audiebant*. Sed & habetur, quod *illis diebus terror magnus, & turbatio eſset in Concilio, eo quod, ut fama communis, & multi Regis Conſiliarii referebant, Rex Sigiſmundus proponebat Cardinales primo omnes, poſtea ſex dumtaxat capere, eo quod Rex volebat habere Papam ad voluntatem ſuam, & illis ſtantibus non poterat*. Hæc igitur fuere, a quibus confirmandis, quia conciliariter haud factis, abſtinuit Martinus, ut Spondanus appoſite animadvertit ad annum 1418. ſcribens: *Putamus Nunciorum Poloniæ petitionem de induſtria Martini nutu ad ultimam ſeſſionem reſervatam, ut ea occaſione ſignificaret, quæ Concilii decreta ipſe auctoritate Apoſtolica, ac ſuprema probaret, quæ vero non; ne ſi antea quidquam de iis agere voluiſſet, murmur aliquod, tumultuſque in Patribus excitaret ob ea, quæ ambigue decreta fuiſsent de auctoritate Concilii ſupra Pontificem, & de poteſtate reformandi Eccleſiam tam in Capite, quam in membris, quas abſolute, ut ſonare videntur, ſumptas, nullo modo Martinus agnoſcere, aut probare voluit, utpote extraneas exiſtimatas, & praxi antiquioris Eccleſiæ, & collatæ Petro, ejuſque ſucceſsoribus poteſtati, ipſique demum naturæ rei, qua caput debet membra regere non regi a membris*. 3. Denique decreta nulla uti conciliariter facta habenda fore, niſi ea, quæ poſt conjunctionem trium Obedientiarum Johannis, Gregorii, & Benedicti vel facta, vel firmata ſunt, ſupra ſuperque ſatis oſtendimus; a tribus vero præfatis Obedientiis firmata fuiſse decreta ſeſs. 4, & 5. nihil minus veri eſſe ſimillimum ſuperius evicimus.

Non audiendus ergo Natalis præfatorum decretorum ſeſs. 4, & 5. accerrimus propugnator, dum art. 3. contendit Martinum V. ea voce *Conciliariter facta* ſignificare voluiſse acta omnia in ſeſſionibus publicata; excluſiſſe vero acta tantummodo privatim inter Nationes conventa. Nam vox *conciliariter* non modo prorſus excludit acta privatim geſta, ſed acta præterea geſta tum non unanimi conſenſu, tum a non univerſali Concilio. At decreta ſeſs. 4, & 5. edita non ſunt unanimi conſenſu: nec edita ſunt a

Con-

Concilio univerſali, ut cui tot Nationes deerant, ſicuti eſt ſuperius demonſtratum. Addo quod Martinus V. ſe probare expreſſe profeſſus eſt acta non modo dumtaxat conciliariter concluſa, ſed decreta tantum in materiis fidei determinata: at inter decreta in materiis fidei non recenſenda fore decreta ſeſs. 4, & 5. facile demoſtratur. Enim vero 1. decretorum in materia fidei nomine apud Martinum veniſſe decreta edita adverſus errores Johannis Hus, Hieronymi Pragenſis, & Johannis Wicleffi pateſcit tum ex Bullæ *Inter cunctas*, nec non Bullæ *In eminentis* contextu; tum ex circumſtantia temporis: tum namque conſtitutiones ejuſmodi evulgatæ ab eo ſunt, quum ad condemnationem libelli Johannis Falchembergi, qui cenſura dignus jam Concilio fuerat viſus, inſtanter urgebatur, ab ea vero ſibi abſtinendum ratus prudens Pontifex, animo reputans e re magis eſſe ſilentio tranſigere, quam novis quæſtionibus ſe, Synodumque implicare, ſatius duxit profiteri, ac facere palam dumtaxat ab ſe confirmari, quæ conciliariter in materia fidei fuerant ſancita: tum ex Bulla *In eminentis* prout legitur apud Scheleſtratium, qua ſolummodo confirmare ſe edicit *Declarationes*, *decreta*, *definitiones*, *reprobationes*, *mandata*, *inhibitiones*, *ſtatuta*; *nec non condemnationes*, *& ſententias ſupraſcriptas*: ſcilicet circa errores Johannis Hus, Hieronymi Pragenſis, & Johannis Wicleffi. 2. Per decreta edita in materiis fidei (quamvis inficias non iverim probe intelligi poſſe decreta ſeſs. 4, & 5.) reapſe tamen a Patribus Conſtantienſibus præfata decreta ſeſs. 4, & 5. non fuiſſe intellecta oſtendit poſt Scheleſtratium Clariſs. Orſius lib. 5. de auct. Rom. Pontif. art. 4. Enim vero Concilium ſe abſque Cardinalium, atque Pontificis, ideſt Eccleſiæ Romanæ conſenſu, decreta in materiis fidei procudere non poſſe optime noverat. In eis etiam decretis nulla internoſcitur nota, qua decreta ad fidem pertinentia affici ſolent, & Synodus imo eadem decreta a materiis ad fidem ſpectantibus probe diſtinxit, atque proinde in Concilii actis notatur ea decreta perlecta fuiſse per modum ſynodalium conſtitutionum: teſtantur ſiquidem acta Concilii a quatuor Sedis Apoſtolicæ Notariis conſcripta, quod quum ſeſs. 5. Epiſcopus Poznanienſis legiſset decreta, eadem decreta fuerunt edita per modum conſtitutionum

ad conſequendam facilius unionem: *Quibus itaque peractis*, addunt acta, *idem Poznanienſis legebat quædam aviſamenta in materia fidei, & ſuper materia Joannis Hus, & Joannis Wicleffi &c.* Iterum iidem Notarii ſeſs. *6*. mentionem inferentes materiæ fidei, non de alio, quam de Johanne Hus loquuntur: & ſeſſ. 7. referentes ſtatutum, quod 4. Maji debeat fieri ſeſſio in materia fidei, addunt, *videlicet ſuper condemnatione memoriæ Joannis Wicleffi.* Præterea ita ſenſiſſe Patres Conſtantienſes, ſcilicet illis decretis non intendiſſe Concilium Papa ſuperius definire, ex eo ſuadetur, quod quum ageretur de damnatione articulorum Wicleffi, in congreſſu 40. Theologorum controverſia ad trutinam revocata, num nempe articuli illi nomine Pontificis approbante Concilio, an potius nomine Concilii nulla Papæ mentione facta damnandi forent; ex Theologis illis duodecim cum Petro de Alliaco nomine Concilii ea fore damnanda cenſentibus, ceteri Pontificis nomine id omnino præſtandum contenderunt, *ad quem*, inquientes, *ſpectat ſententias definitivas in materia fidei proferre, nec niſi a Pontifice banc poteſtatem habere Concilium.* Recole dicta, ubi de actis Concilii Conſt. egimus. Non ergo decretis ſeſs. 4, & 5. Concilii auctoritas ſupra certum Pontificem evecta fuerat, quandoquidem controverſia iſthæc a Theologis poſt ſeſſiones 4, & 5 exagitata fuit. Adde quod, ut in proleg. obſervavimus, Anonymus auctor tract. de comm. ſub utraque ſpecie, Mauritius Pragenſis tract ſimili, & Joannes Patriarcha Antiochenus tract. de Poteſt. Papæ, Concilii poteſtati Pontificiam abſolutiſſime antepoſuerunt. Petrus ipſe Alliacenſis tractatu etiam edito tempore Concilii, ut Concilii auctoritatem ſupra Pontificem efferret, nuſquam id auſus eſt, ut adverſæ ſententiæ patronos hæreſis nota afficeret. Pleriſque aliis parco, quibus alioquin Martinus ſuam ſupra Concilium auctoritatem optime ſtabilivit, ſiquidem dicta hactenus frugi viro ſatis, ſuperque profecto haberi poſſint, quin faſtidii delicatioris moremur homines, quos vel invicta ratio non vincit, vel ſubacta oratio non ſubigit.

Non omittamus tamen commenta, cavilloſque excipere eorum, qui res, & verba, quam quæ factæ, dictaque ſint, aliorſum ſolent accipere. At enim ajunt Eugenius IV, & Pius II. Pontifi-

tifices apprime perſpecta habentes decreta ſeſs. 4, & 5, Conſtantienſem Synodum optimo habuerunt loco, illamque indefinite, & abſque ulla limitatione confirmarunt. Quibus, quin menippeas moroſe conſcribam, ſic adverſum oſtendo; id profecto abs vero toto oſtio aberrare. Etenim Eugenius in litt. ad Fridericum III. Imp. anno 1447. paulo ante obitum datis revera: *Concilium autem generale Conſtantienſe*, inquit, *decretum* Frequens, *ac alia ejus decreta, ſicut cetera alia Concilia Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, auctoritatem, & eminentiam, ſicut & ceteri anteceſſores noſtri, a quorum veſtigiis deviare nequaquam intendimus, ſuſcipimus, amplectimur, & veneramur*: apud Raynaldum tom. 18. annal. At ex his quid poteſt extundi, quo Pontifex Concilio ſubjiciatur? Agnovit generale Concilium, at non a primis ſeſſionibus: approbavit decretum *frequens*, & alia, at non omnia, neque decreta ſeſs. 4, & 5: in pretio habuit poteſtatem, auctoritatem, & eminentiam, non tamen præpoſtere ſupra Pontificem extulit. Audiatur idem Eugenius in epiſt. ad Franciſcum Foſcarenum Venet. Ducem apud Raynaldum ad annum 1433. num. 19. *Potius*, inquit, *hanc Apoſtolicam dignitatem, & vitam inſuper poſuiſſemus, quam voluiſſemus eſſe cauſſam, & initium, ut Pontificalis dignitas, & Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſubmitteretur Concilio contra omnes Canonicas ſanctiones, quod nunquam antea, neque aliquis noſtrorum Prædeceſſorum fecit, neque ab illo extitit requiſitum*. Audiatur idem Eugenius in epiſt. ad Legatos ſuos in Germania anno 1445, qua ſic habet: *Quum Romanorum Imperator, & S. Romani Imperii Electores per ſuos nuntios nobis expoſuerint ad ſubortum ſchiſma extinguendum maxime convenire, ut auctoritas generalium Conciliorum manu teneatur, & conſervetur ... Nos ad imitationem SS. Pontificum, & Prædeceſſorum noſtrorum, ſicut illi generalia Concilia venerari conſueverunt, ſic generalia Concilia, Conſtantienſe, & Baſileenſe ab ejus initio, uſque ad translationem per nos factam, abſque tamen præjudicio juris, dignitatis, & præeminentiæ S. Sedis Apoſtolicæ, ac poteſtatis ſibi, & in ea canonice ſedentibus conceſſæ, cum omni reverentia, & devotione ſuſcipimus, complectimur, & veneramur*. Pleraque alia ex Eugenio in-

infra, quum de Concilio Baſileenſi ſermo occurret, proferemus. Poſt hæc luci, oculiſque nonne inſultare, & illudere; veritati, ac videntibus fucum facere volunt, qui Eugenium pro ſuprema Concilii poteſtate ſtetiſſe tam perperam, quam præfidenter obtendunt?

Pium II. quod attinet, ante Æneam Silvium nuncupatum, opinatum quondam fuiſſe, quum nempe privatum Theologum ageret, Concilium Pontifici ſuperſtare fatemur: at poſtmodum ea opinione animum prorſus exuiſſe confeſſa res eſt, & confecta: atque quidem primo antequam ad Pontificatus apicem eveheretur, Bullamque retractationis ederet, ut proinde falſo ſcripſerint Maimburgus in tract. hiſt. de inſtit., & privileg. Rom. Eccleſ., & Natalis art. 4. Pium II, dum prælaudatam edidit conſtitutionem humani aliquid paſſum, dum a ſententia priori de præſtantia Concilii ſupra Papam diſceſſit, editaque Bulla, ut ait Natalis, ejuravit abſque examine. Nam Pius II, tum Silvius ex oratione, quam anno 1452. adverſus Auſtrales habuit, legiturque apud Ludovicum Antonium Muratorium tom. 2. anecdotor., ſententiæ, quam Baſileæ defenderat de ſuprema Concilii poteſtate, valedixiſſe manifeſte dignoſcitur. Objicientibus ſiquidem Auſtralibus a judicio Romani Pontificis ad generale Concilium appellationem interponere fas eſſe, atque generale Concilium Papa eſſe ſuperius, quaſi id Concilia Conſtantienſe, & Baſileenſe definiviſſent, repoſuit, *In caſu*, inquiens, *noſtro ab eo Judice appellatum eſt, qui nullum habet in terris ſuperiorem; nulla eſt igitur appellatio.* Dein addit: *Nolumus hoc diſputationis ingredi pelagum, neque tot grypos aggredi. Anceps quæſtio, & in utramque partem a prudentibus viris arbitratum eſt. Utcumque ſit, conſtat uno ſolum caſu certum, & indubitatum Pontificem ſubeſſe Concilio. Nam ſi quis in Apoſtolatu ſedens in hæreſim labitur, mox Papatu excidit, minorque redditur quolibet Chriſtiano: nec jam Papa dicendus eſt, ſi ſchiſmaticus eſt, aut eodem morbo laborat, aut in Papatu eſt dubius; certus autem, atque indubitatus Pontifex, ut Conſtantienſe decretum innuit, nunquam deferri judicio poteſt, niſi univerſalem Eccleſiam ſcandalizaverit.* Adjungit demum de provocationibus ad Concilium factis: *Nec moveri debemus, quia diebus*

bus noſtris etiam in minoribus cauſſis, & ad Conſtantienſe, & ad Baſileenſe Concilium vidimus appellari: nam quæ fiunt extra ordinem, intempeſtive, temere, tumultuarie, neque jus pariunt, neque vim conſuetudinis afferunt. Hæc Silvius, qui ſubinde Pontifex creatus retractationis Bulla edita primum monet nullatenus inhærendum iis eſſe, quæ ſcripſerat in minoribus degens de Concilii præeminentia. Narrat enim de hac controverſia egiſſe ſe cum Cardinale Juliano, qui ea opinione de Concilii ſuprema poteſtate omnino abnegata, admonere deinceps non deſiſtebat, ut ſe jam errantem ſequutus recta mox ſentientem ſequeretur, ſubdit Pius verba viri pectori ſuo hæſiſſe, refertque ea de ſententia cum aliis viris ſermonem habuiſſe, ac demum concludit: *Recognovimus errorem noſtrum, venimus Romam, Baſileenſe dogma rejecimus, Eugenio Pontifici maximo caput ſubmiſimus.* Ergo ne Pius II. ullo abſque examine a priori ſententia temere reſilivit? Præterea ea in Bulla Pius de Romano Pontifice affirmat: *Supernam poteſtatem ſine medio a Deo conſequi, & per ordinem in omnem diffundere Eccleſiam*. Nonne pudere proinde eos debuit Pium II. pro ſua præjudicata ſententia protuliſſe?

At hæc nondum ſatis habent Natalis, & Boſſuetius lib. 10. cap. 17, unde regerunt: atqui Pius II. Concilium Conſt., ejuſque decreta univerſa eadem conſtitutione confirmavit hiſce verbis: *Cum his & generalis Concilii auctoritatem, & poteſtatem complectimur, quemadmodum & ævo noſtro Conſtantiæ, dum ibi fuit Synodus univerſalis, declaratum, definitumque eſt. Veneramur enim Conſtantienſe Concilium, & cuncta, quæ proceſſerunt a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris approbata*. At quid in his verbis, quod eorum conferat opinioni? At ex ſupradictis conſtat non modo qualis Pii fuerit ſententia, ſed etiam ex antecedentibus, & conſequentibus: ex antecedentibus quidem, nam verbis illis objectis hæc immediate præcedentia habet Pius: *Hæc nos de Romani Pontificis auctoritate, & poteſtate ſentimus, cui & congregare generalia Concilia, & diſſolvere datum eſt: qui etſi filius eſt propter regenerationem, propter dignitatem tamen Pater habetur; & ſicut filiationis cauſſa venerari debet Eccleſiam, tamquam Matrem; ita & Prælationis cauſa præfer-*

fertur ei (loco tò *præfertur* in quibuſdam Mſs. legi *praeeſt* ex Labbeana Concil. collectione monet Natalis, quamque lectionem meliorem non dubitat; ſed idem efficit *præfertur*, *ac præeſt*) *præfertur ei*, *ut Paſtor Gregi*, *Princeps populo*, *Rector Familiæ*. Ex conſequentibus autem; nam ſtatim poſt verba objecta hæc adnectit Pius: *Inter quæ nullum invenimus fuiſse ratum, quod ſtante Romano indubitato Præſule abſque ipſius auctoritate convenerit*, *quia non eſt corpus Eccleſiæ ſine capite*, *& omnis ex capite diffluit in membra poteſtas*. Ex quibus ſane Pii verbis ſatis pateſcit ipſum vel non probaſſe decreta ſeſs. 4, & 5, niſi eo modo, quo probaverat Martinus; vel potius ea rata habuiſſe ob ſingularem illum caſum de dubio tunc Pontifice. Recolenda, quæ de eodem Ænea Silvio proloquuti ſumus in prolegomeno: neque eſt enim, cur ad omnem horum offenſionem amovendam, profuſiori oratione frugi aliis faſtidium, moramque inferamus.

Allego *6*, ac ultimo decreta ſeſſ. 4, & 5. Concilii Conſtant. Pontificem dubium reſpexiſſe, ac proinde nullius eſſe roboris in caſu Pontificis certi, ac legitimi. Id 1. conſtare adfirmo ex Piſano Concilio, a quo ea ratio agendi in ambos de Pontificatu contendentes, Gregorium ſcilicet, & Benedictum ſervata, extra dubitationis omnis aleam ponit, Concilium idem Piſanum id ſibi juris agendi in Pontifices non adſcripſiſſe, niſi in caſu Pontificis dubii, aut etiam ſchiſmatici, vel hæretici, quod quum jam a nobis §. ſuperiori perfectum fuerit, non eſt proinde cur actum agamus; ſed recolenda, quæ ibidem tradita ſunt, hic tantummodo admonemus. Id ipſum 2. conſtare dicimus ex Conſtantienſi ipſo Concilio; idque multis modis oſtendimus. Nam 1. ea ſeſs. 4, & 5. decreta de Pontifice dubio intelligenda eſse pronunciavit Johannes de Turrecremata in Florentina Synodo apologiam pro Eugenio IV. adornans: pronunciavit ipſe Eugenius in ſua conſtit. *Moyſes* data Florentiæ anno 1439; quum enim Baſileenſes veluti dogma fidei in Concilio Conſtantienſi definitum Concilium generale Pontifice eſse præſtantius præfidenter aſseruiſſent; Eugenius ſacro approbante Concilio Florentino hujuſmodi propoſitionem confixit: *Juxta pravum ipſorum Baſi-*

leen-

leenſium intellectum, quem facta demonſtrant, veluti S. Scripturæ, SS. Patrum, & ipſius Concilii Conſtantienſis contrarium. Pravus igitur Baſileenſium intellectus ille erat, quo Pontificem indubitatum Concilio inferiorem faciebant, quem ſenſum prorſus alienum fuiſse a mente Concilii Conſtantienſis Eugenius coram Synodo Florentina explicate definivit. Pronunciavit Æneas Silvius poſtea in Pontificatu Pius II, quum in oratione ſæpe laudata, habita Viennæ pro auctoritate Rom. Pontificis adverſus Auſtriacos, illis objicientibus pro defendenda appellatione a Pontifice ad Concilium, Concilium Papa eſse ſuperius, idque a Conciliis Conſtantienſi, & Baſileenſi definitum, atque in luce poſitum, reſpondit: *Conſtat uno ſolum caſu certum, & indubitatum Papam ſubeſſe Concilio. Nam ſi quis in Apoſtolatu ſedens in hæreſim labitur, mox Papatu excidit, minorque redditur quolibet chriſtiano; nec jam Papa dicendus eſt, ſi ſchiſmaticus eſt, aut eodem morbo laborat, aut in Papatu eſt dubius. Certus autem, atque indubitatus Pontifex, ut Conſtantienſe decretum innuit, nunquam Concilio deferri poteſt, niſi univerſalem Eccleſiam ſcandalizaverit.* Sane Æneas Silvius, qui toties Baſileæ diſceptatum audierat de ſenſu decretorum ſeſs. 4, & 5. Concilii Conſt., ac non ſemel in Baſileenſi ſancitum Concilio Papam ſubeſse, ſenſum illum apprime attigerat; & a Concilio Conſtant. Pontifice indubitato Concilium ſuperius eſse non modo non definitum, ſed potius Concilium Pontifici indubio ſubmiſſum eſse dijudicatum fidentiſſime pronunciavit. 2.

Eadem decreta ſeſs. 4, & 5. de Pontifice dubio, ſchiſmatico, aut hæretico accipienda ſuadent ejuſdem Concilii Conſt. acta apud Vonder Hart. Præ Gregorio, & Benedicto habitus uti certior Pontifex Johannes XXIII. a Concilio Conſt. quidem fuerat, ut qui illud coegerat, illique prioribus tribus ſeſſionibus præfuerat. Nihilominus de eo quoque graviſſime dubitatum a Concilio, reque ipſa ab Obedientiis tum Benedicti, tum Gregorii veluti ſuppoſititius habitus eſt: unde Theodoricus Uries Ord. S. Auguſtini coævus auctor in hiſt. Concil. Conſt. lib. 2. diſt. 4. apud Vonder Hart tom. 1, *Inter tres Pontifices, ſcripſit, qui verus fuerit dubitatum fuiſse, ac tacendum ſecurius, quam aliquid in-*
con-

conſulte definiri . Recolenda a nobis dicta Reſp. 4. Præterea perjurii , ſchiſmatis , & hæreſis perſona multiplex Benedicto , Gregorio , & ipſi Johanni imponebatur ; quibus in cauſsis Concilio plane jus dicendi integrum erat , nihilominus iiſdem in cauſſis mirum , qua cautione ſibi utendum putarint , uſique ſint erga Johannem non modo , ſed vel erga Gregorium , & Benedictum qua Doctores , & qua Patres . Quomodo agendum cum Pontificibus in Piſana Synodo , ita agendum erga Pontifices illos in Conſtantienſi edixerunt Doctores , & Academiæ . Viam Concilii propoſuere quidem Stephanus Pragenſis oratione in Concilio habita , aſſerens Concilii auctoritatem Papæ auctoritate eſse potiorem ; Gerſonius in eamdem abiens ſententiam ; Nicolaus de Dinchelſpuel Doctor Viennenſis in orat. ad Sigiſmundum ; at plane eas propoſuerunt vias , quando votis non cederet via ceſſionis , & quia jam pſeudo-Pontifices illi ad cedendum minime ſe adduci paſsuri non ignorabantur ; nam alioquin viæ ceſſionis inſiſtendum affirmabant Anonymus auctor tract. inſcripti : *Calcaria Sigiſmundo Imp.* , *& Concil. Conſt . adjecta* , eamque viam ut magis urgerent Patres , & Principes exſtimulabat ; Andreas Laſcharis electus Poznanienſis oratione habita ad Johannem XXIII , eam viam eidem ſuadens ; Petrus Alliacenſis ſchedula Concilio exhibita , qua via non obtinente , alias ineundas autumabat ; Philaſterius Card. S. Marci , cujus defectu viam Concilii urgebat , quod eo in caſu , ſchiſmatis videlicet , Papa ſuperius aſſerebat ; Gerſonius ipſe , qui eam viam a Johanne prætermiſsam perſpiciens , orat. habita proxime a fuga ipſius viam Concilii propoſuit ; Oratores Galli , qui in litteris ad Carolum VI. poſt multos tractatus inter quatuor Nationes habitos de multiplicibus viis, quibus tandem ſchiſma exſcinderetur, hinc inde diligenter , & ſubtiliter diſputatis , tandem viam ceſſionis meliorem viſam fuiſse ſcripſere . 3. Concilium illud Johannis auctoritate coactum , & Johanne præſidente inchoatum fuerat ob tria capita , nempe cauſſa extirpationis hæreſum , præſentis ſchiſmatis , & reformationis Eccleſiæ : eidem Concilio circa præfata tria capita Johannes ſponte voti , & juramenti religione ſe obſtringens ſemet ſponte ſubmiſerat , ut ex ſerie ſeſſionum con-

conſtabit. Accedebat & illud, quod merito dubitabatur de ejusdem electione, & num, voto & juramento ſuo ſi non ſtetiſſet, uti ſchiſmaticus, & hæreticus esſet habendus; ea ergo de re Concilium ſeſs. 4, & 5. ſe tali Pontifice dixit ſuperius, & ſeſs. 12, 14, & 37. in talem ejuſque, ſimiles pſeudo-Pontifices dixit ſententiam

Vernm antequam id omne diceret, quid non conſultiſſime, ac juxta cautiſſime agendum ſibi præſcripſit? Ante ſeſs. 2. quum in Nationum congregatione adverſus Johannem inquiſitionis materia fuiſset exhibita, ex Germanis ipſis, Anglis, Poloniſque pleriſque dignitati Papali parcendum judicantes, ignominioſam inquiſitionis viam declinandam rati, molliori ceſſionis via Pontificem ad ſaniorem mentem pellicendum exiſtimarunt; quod, teſte Theodorico Niemo de vita, & fatis Johan. lib. 2. cap. 3, inquiſitionis negotium Johanni vehementem incuſserat metum. Interea propoſita Johanni fuit via ceſsionis, cui Sigiſmundo coram, & Concilio Johannes adhæſit; data ſyngrapha publice ab ipſo met in ſeſs. 2. perlecta, ſubſcripſit, imo edita Bulla eam confirmavit, publicamque fecit. Quum vero poſtmodum urgeretur ab Imperatore, & Nationibus Germanica, & Anglica, ut procuratores, qui Pontificatui ſuo cederent nomine, conſtitueret, reſpondit ſe id per ſe ipſum præſtiturum, cui reſponſo Natio Italica adquievit, Gallicana tempus ad deliberandum de eo reſponſo poſtulavit, contradicens interea conſilio ab Anglis Sigiſmundo propoſito de capiendo Johanne, cujus de fuga timebatur; quamvis poſtea Galli, non tamen abſque minis, a Sigiſmundo in ſententiam Germanicæ, & Anglicæ Nationis pertracti fuerint, quibus de cauſſis Johannes fugam maturavit Schaffuſam ſe recipiens. Schaffuſam ad Johannem miſſi Legati tres Cardinales, & Oratorum Galliæ unus Reginaldus Carnotenſis Archiepiſcopus Rhemenſis poſtulaturi, ut a propoſito diſsolvendi Concilii abſtineret, quin imo procuratores ad dignitatem demum abdicandam dirigeret: eademque die Gerſonio injuncta provincia eſt, ut oratione habita de Concilii auctoritate diſsereret. Provincim hancce adornanti Cardinales adſtare noluerunt; quin etiam Patriarcha Antiochenus Gerſonii oratione Pontificem infra Concilium de-

 primen-

primendum fore ſubodoratus, ipſius ut conſilium præriperet, tractatu præfeſtine elucubrato, Pontificis ſupra Concilium poteſtatem ſartam, tectamque præſtare, ac tueri pro virili parte adnixus eſt; ut propterea apud Petrum Alliacenſem durum ſermonem ſubierit. Johannes ipſe Schaffuſæ apologias fugæ ſuæ conſcripſit, una cum litteris ad Galliæ Regem, Ducem Aurelianenſem, Academiam Pariſienſem, alioſque directis. Sed & Archiepiſcopus Rhemenſis Gallus Orator ab Johanne litteras retulit ad Sigiſmundum, Cardinales, & Gallos Oratores, inter quas & litteras attulit, quibus ille procuratores ad locum ſuum ſuo nomine faciendum inanem tres Cardinales, & quatuor ex Nationibus Antiſtites conſtituebat.

Verumtamen timor in dies augebatur, ne a Papa Concilii diſsolutio intentaretur: nam Schaffuſam ſub excommunicationis pœna Johannes qua Cardinales, & qua Curiales evocarat, jamque imo Schaffuſam Cardinalium quidam exceſſerant. Quamobrem Academiæ Pariſienſis propoſitiones in Concilio auditæ ſunt de Concilii auctoritate ſupra Pontificem, quarum corollarium 1. ſic habet: *Videtur ex præmiſſis poſse elici, quod poteſtas Papæ ſit poteſtas Eccleſiæ, qua utitur nomine, ac vice Eccleſiæ.* Quam propoſitionem quantum poſtea Richerius, Launojus, Dupinus, Queſnellus, horumque ſimiles ad deprimendam Pontificis dignitatem avide arripuerint, enuntiaverint abſolutiſsime, aliorſum intorſerint, amplificaverint, aggeminarint, atque etiam num in ore habeant, ad omnemque horam, atque ad ravim uſque obtrudant, nemo eſt, qui neſciat. Corollarium 2. ſic habet: *Item ex præmiſſis elicitur, quod non eſt illicitum, imo verum, & Catholicum, quod in multis ſit ſacrum Concilium ſupra Papam.* Harum nihilominus propoſitionum aliæ duriores viſæ ſunt, aliæ approbatæ, ex quibus efformata decreta in ſeſs. 3. promulganda, ſcilicet ob receſſum Papæ non diſſolutum eſſe Concilium, nec debere diſsolvi uſque ad perfectam extirpationem ſchiſmatis, & quouſque Eclesia ſit reformata in Capite, & in membris. Ideſt poſtquam Johannes ſe Concilio, quo ad tria capita illa hæreſis, ſchiſmatis, & reformationis, ſponte ſubjecerat; poſtquam dederat procuratores, qui dignitate ſe demum abdicaturum fide

ſua

ſu a juberent; poſtquam ipſe met voto, juramento, ſyngrapha, & bulla ſe ceſſurum Pontificatui ſpoponderat; poſtquam illum dubium eſſe Pontificem nonmodo, ſed transfugam, & perjurum, ſchiſmate quinimo, hæreſique aſtlatum compererat, Concilium ſe acephalum declaravit dicendo ſe habere poteſtatem immediate a Chriſto, idcirco eſſe ſine Capite viſibili, atque ideo in eos, qui ſe tanquam Eccleſiæ Capita gererent, uti dubios, ſchiſmaticos, & hæreticos auctoritatem habere. Id omne recte omnino quidem; at quid inde adverſus Pontificem indubitatum? Nihilominus ſeſſioni illi 3. intereſſe (viden qua cautela actum ſit erga Pontificem) noluerunt Cardinales, ſed perlectis decretis illis, Cardinalium quoque perlecta eſt proteſtatio, qua ajebant ſe velle in obedientia Johannis XXIII. permanere, permanente illo in bono propoſito reddendi pacem Eccleſiæ, Pontificatu ſe ſuapte abdicando: ceterum illo a propoſito reſiliente, velle ſe tum profecto Concilio adſtipulari, inque ipſius partes deſcendere non modo, ſed defendendas ultro ſuſcipere. Addebant expectandum fore Johannis reſponſum, tribus Cardinalibus Legatis dandum; exoptaſse ſe propterea, quod Concilium ſeſſionem 3. diſtuliſset uſque dum reſponſum illud redderetur, eaque de re ſe illi ſeſſioni noluiſſe intereſſe. Reverſi Cardinales Legati de Johannis quidem ſincera intentione ſe lætum nuntium in craſtinum Concilio relaturos dixerunt; ſub veſperas attamen ejus diei Sigiſmundo coram, & Epiſcopis nonnullis agere cæperunt de Johannis auctoritate, qui ſibi Concilium diſsolvendi jus integrum vindicabat, in cujus equidem ſententiam ipſi met, aliique Cardinales haud inviti abibant, ſcilicet *propter Pontificis abſentiam diſsolutum ire Concilium*; ſed & die ſequenti, 27. ſcilicet Martii, Eccleſiæ valvis Johannis edictum affixum paruit, quo adjectis minis Schaffuſam Curiales omnes evocabantur.

Iis igitur, meritoque jure de cauſsis gravis exorta contentio eſt in flammas diebus ſequentibus eruptura, teſte Niemo lib. cit. cap. 9. Legati reduces Concilio renuntiarunt paratum equidem Johannem, pronumque ad conſtituendos juxta datas ſygrapham, & bullam procuratores Pontificatui ſuo nomine renuntiaturos: at Angli, Galli, & Germani ad fallendum, faciendumque fucum

 compo-

compoſita hæc reputantes, ſeſs. ad diem 30. Martii indixere, teſte Cerretano in diario apud Bzovium in annalibus. Recruduit Nationes inter, & Cardinales concertatio: nam die 28. Martii publicis in locis affixa quum iterum apparuiſset Bulla, qua ab Johanne Schaffuſam Cardinales accerſebantur, Cardinales initi conſilii de Concilio diſſolvendo Nationibus in ſuſpicionem venerunt; unde Cardinalibus pro Johanne decertantibus Nationes cauſſatæ tum Johannis præpoſteram fugam, ne cedere cogeretur, neque ob depravatos mores quidquam gravis a Concilio experiretur, tum ejuſdem nefaria mollimina, ut Concilium diſſolveret, dum interea Patribus fucum faciebat procuratores conſtituendos promittens, concluſere ſeſsionem die ſequenti, ſcilicet 30. Martii celebrandam, & in ea decreta edenda, quæ ſeſſ. 4. lecta fuere, quibuſque edicebatur, Concilio obedire etiam Pontificem teneri in his, quæ ſpectant ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris, cogique poſſe, ſubigique pœnis, ſi obedire contumaciter contemſerit. Cardinales ex adverſo congregatione eadem die 29. habita a tribus Nationibus Anglica, Gallica, & Germanica, (nam Hiſpanica aberat, Italica iiſdem adhæreſcebat,) ut omitteretur decretum de pœna in Pontificem Concilio non parentem, & clauſula de reformatione Eccleſiæ in Capite, & in membris, poſtularunt: Cardinalium autem petitioni non concedentibus Nationibus, dieque ſequenti imo ſeſsionem celebrandam decernentibus ſeſe opponere Cardinales pro viribus ſtatuerunt, eaque præſtitere, in eorumdem partes abeuntibus Italorum plurimis, & adjuvantibus Gallis oratoribus, quæ ſupra in reſp. 1., & 2. commemoravimus. Sed & Johannes his intellectis, quæ Nationes illæ in ſe moliebantur, ſibique a Sigiſmundo, & Synodo metuens, Schaffuſa Lauſembergam ſeceſsit, in egreſſu proteſtatus coram Tabellione, & Teſtibus ſe vi, & metu ſpopondiſſe, ac proinde irritum eſſe quidquid Conſtantiæ ſpoponderat. Die 30. Martii, antequam celebraretur ſeſsio, iterum poſtulatum a Cardinalibus, ut omitteretur decretum, & clauſula ſupramemorata, ſed voti non facti compotes id conſilii ſuſcepere, quod ſupra in reſp. 1., & 2. recitavimus; quin & plurimi ex Cardinalibus, Italis Epiſcopis,

& Cu.

& Curialibus Schaffuſam e Concilio dilapſi ſunt, quorum fugam a Concilio diſsimulatam ſcripſit Dacherius, addens die 5. Aprilis præcedente ſeſſ. 5. ex decreto concilii ſigillum Papæ Johannis fuiſſe abolitum, ſuffecto novo Concilii, cujus una facies referret ſolita capita SS. Petri, & Pauli, altera hæc verba: *Sigillum Sacroſancti Concilii Conſtantienſis*. Verum, ut oſtendit Vonder Hart, ſigillum Johannis ſolemniter confractum eſt in Concilio dumtaxat ſeſſ. 12. die 19. Maj an. 1415., qua de throno demum fuit deturbatus; & die 17. Auguſti ſeſſ. 18. ſuffectum Concilii ſigillum, Stumphio teſte in hiſt. Concil. Conſt.

Porro ex his, quæ ſeſs. 4, & 5. præceſsere, ex his, quæ in iiſdem peracta ſunt, atque ex his, quæ ſeſs. 4, & 5. ſunt ſubſecuta, facile cordato viro, partiumque ſtudio minime affecto perſuaſum ibit ea decreta eo dumtaxat collimaſse, ut Pontificem dubium, & illegitimum, aut ſchiſmate, & hæreſi aſperſum, ſeu qui ſe ſponte Concilio ſubjecerat, ſe ceſsurum ſuapte ſpoponderat, nec promiſſis ſæpe juramento, ſcriptoque firmatis ſtabat, reſpicerent: En verba ſeſs. 4: *Hæc S. Synodus Conſtantienſis Concilium generale faciens pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & unione, ac reformatione Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris facienda... & primo declarat, quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto legitime congregata generale Concilium faciens... poteſtatem a Chriſto immediate habeat*, (nam Capite viſibili ſe carere exiſtimabat) *cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis*. Seſs. vero 5. verba ita ſe habent: *Hæc S. Synodus Conſt. Concilium generale faciens pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & unione, & reformatione Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris facienda... declarat, quod ipſa Synodus &c.* ut ſupra addendo in fine illius 1. decreti clauſulam: *& reformationem generalem Eccleſiæ in capite, & in membris. Item declarat quod quicumque cujuſcumque conditionis, ſtatus, & dignitatis, etiamſi Papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus, aut præceptis hujus S. Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati ſuper præmiſſis, ſive ad ea pertinentibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſi-*

reſipuerit, *condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur*. Quid enim, quæſo, præſeferunt verba illa, quibus ſe congregatam pro extirpatione ſchiſmatis, & reformatione Eccleſiæ, etiam in Capite ſignificat, ideoque ſibi obediendum etiam a Papa in iis, quæ pertinent ad fidem, extirpationem dicti ſchiſmatis, & laudatam reformationem? Quid iterum quæſo præſefert reſtrictiva illa clauſula, *ſuper præmiſſis*, *aut ad ea pertinentibus*, videlicet circa extirpationem ſchiſmatis, hæreſis, & morum corruptelæ ex infauſto ſchiſmate derivatæ, niſi quod ſignificare voluit Synodus ea decreta locum habere in caſu dumtaxat Pontificis dubii; Pontificis illegitimi; Pontificis, qui ſponte Concilio ſe ſubmiſerat; Pontificis, qui diuturno, diriſſimoque ſchiſmati operam conferebat; Pontificis a religione, ſacramentoque voti, & juramenti devii, uno amore ſuo ambitui deſerviendi; Pontificis hæreſis fama haud leviter laborantis, atque articuli *unam ſanctam Eccleſiam* fœdi infractoris? Hanc plane genuinam eſse decretorum ſeſs. 4, & 5. interpretationem ex dicendis §. ſequenti, atque ex decretis quoque Concilii Florentini, Eugenii IV, & Concilii Later. V. efficietur, ex quibus liquido conſtabit ſententiam de Papæ ſuperioritate integram juſſam fuiſſe; ſed & conſtabit dilucide ex ſequentibus eaſdem ſeſſiones 4, & 5. non alteram a prælaudata Concilio Conſtantienſi ſententiam inſediſſe.

Perperam propterea auctoritatis Conciliorum aſsentatores ea verba decretorum urgent: *Et cujuſcumque alterius Concilii generalis*, quibus Papam quoque certum ſibi Concilium ſubdidiſse contendunt: & verba: *In his quæ pertinent ad fidem*, *& reformationem Eccleſiæ in Capite*, quibus pugnant quoad fidem, & reformationem Pontificem perinde indubium ſubjectum ſibi feciſse Concilium. Nam ſi verborum priorum contextus attendatur, quibus clauſula illa additur *ſuper præmiſſis*, *ſeu ad ea pertinentibus*, palam fiet cuicumque alteri Concilio eamdem tribui auctoritatem a Conſtantienſi, quam ſibi adſcribebat, tempore nempe vel ſimilis ſchiſmatis, in quo Pontifex legitimus non innoteſcat, aut innoteſceret plane ſchiſmaticus, aut hæreticus; vel ejuſdem ſchiſmatis, in quo compertum erat a Piſana Synodo rem infectam fuiſse, quid ſimile ſibi pertimeſcens Conſtantienſis Synodus id cau-

id cautum ſummopere voluit de alia Synodo, nempe ſi id eveniret ſibi, quod Piſanæ; eo præſertim quod Johannem de Concilio diſsolvendo cogitantem noverat, altero a Concilio huic malo ut efficaciter occurreretur, ſategit. Ita intellexit Petrus Alliacenſis, dum in præmemorata cedula initio Concilii Conſt. Patribus exhibita ſcripſit: *Illi qui pertinaciter aſsererent præſens Concilium debere diſsolvi ſine ejus continuatione ad aliud Concilium, ubi dicta unio, & reformatio finaliter concludatur, in caſu, quo in præſenti non fieret, eſsent fautores ſchiſmatis, & de hæreſi vehementer ſuſpecti*. Verba illa poſtrema, quibus magis, quam par eſt, fidunt adverſarii, ultra quam quod non legi in primis editionibus Concilii Conſt. diximus reſp. 1, eadem dicimus intelligenda, non niſi reſpective ad idem ſchiſma extinguendum. Scilicet ſicuti Piſana Synodus non antea Gregorium, & Benedictum ſede movere attentavit, niſi ſchiſmaticos, & hæreticos declaraſset, eamdem viam, ceſſionis via non obtinente, Concilium Conſtantienſe proſsequens adverſus Johannem, niſi Pontificatum dimitteret, ad excindendum tandem ſchiſma operæ pretium duxit ſtatuere, ac decernere, quod Papa in his, quæ pertinent ad fidem, & reformationem etiam in Capite, Concilio ſit ſubjectus, ſcilicet dum hæreſis, & ſchiſmatis, vel dubiæ electionis gravi ſuſpicione laboraret. Ita plane id probe, inquam, intellexit Petrus de Alliaco, dum 8. prop. præcit. cedulæ ſubjunxit: *In caſu prædicto, dum ſcilicet Pontificatum ob Eccleſiæ unionem dimittere renueret, Papam tanquam hæreticum, & ſchiſmaticum condemnantes, & dictam condemnationem juſtam, & canonicam fore ſimiliter aſserentes nullatenus hæretici ſunt cenſendi; ſed magis oppoſitum pertinaciter affirmantes... Reprobans viam ceſſionis, attento ſtatu Eccleſiæ, fautor ſchiſmatis, eſt cenſendus*. En ea, quæ ad fidem pertinent, & ad reformationem, in quibus Concilio parendum a Pontifice declaratum fuit, ſcilicet in cauſſa hæreſis, & ſchiſmatis, quæ duo ad fidem, & reformationem etiam Capitis ſpectant, in quibus profecto Concilii legibus, pœniſque Pontificem hujus generis adſtringi, cogique non inficiamur. Id magis ex ſequentibus poſt ſeſs. 5. pateſcet. Igitur

Quamvis ita ſibi agendum ſeſs. 4, & 5. duxiſset Synodus, nihi-

nihilominus ſeſs. 6. declaravit bonum, utile, ac expediens S.Matris Eccleſiæ unioni, ſi Johannes Pontificatu ſe abdicaret juxta ſchedulam ab ipſo ſubſcriptam, eamque abdicationem ut ei ſuaderent, atque ut Conſtantiam, aut ad certum viciniorem locum rediret, ſponſuri interea ſuperſedendum Concilium a proceſſu adverſus ipſum incepto, miſſi ad Johannem legati ſunt. Lectæ quoque ſub id temporis in Concilio Academiæ Pariſienſis epiſtolæ, cum ad Johannem, quibus illius reditum, ac renuntiationem urgebat: tum ad Concilium, quibus viam ceſſionis a Concilio delectam ceu expeditiorem collaudabat. Sed & perlecta Concilii epiſtola ad univerſos Reges, Principes, & Prælatos chriſtiani Orbis, qua viam ceſſionis trium Pontificum ab ſe delectam, propoſitamque veluti aptiorem, tutioremque, vocatumque Concilium ab Johanne ipſo ad reformationem faciendam in Capite ipſo aſſerebat; patefactoque, quo maxime Patres angebantur, dolore ob Johannis repetitam a Concilio fugam, ob intentata ſæpe molimina ad diſſolvendum Concilium, obque vanos ab eo objectatos Concilio metus, confidere ſe ait Johannem ad meliorem frugem reverſurum; ob id novas preces, novos Oratores, novos prædes, nova vadimonia, novas pollicitationes ad illum ſe dimiſiſſe. Sub id quoque temporis mota de rebus Wicleffi quæſtione, mota quoque eſt quæſtio, num Wicleffi errores Concilii, an potius Pontificis nomine proſcribendi forent. Concilio primas Alliacenſis tribuebat, *quia Concilium*, inquiebat, *majus eſt Papa*. At Johannes Patriarcha Antiochenus libello adornato, non Concilii, bene vero Papæ nomine res Concilii eſſe expediendas, erroreſque Wicleffi inurendos aſſeruit. Interea Concilii Oratores Johanni Briſaci offenſo Concilii poſtulata exhibuere, qui nullo dato reſponſo Briſaco Niemburgum fuga ſe eripuit: inde Friburgum digreſſus Legatis caſu ibi repertis, ab eoque procuratorium iterum depoſcentibus, verba quidem dedit blanda, ſed voti haud compotes factos Conſtantiam illos dimiſit: quò adventantes quidam ab Johanne Oratores directi quoddam procuratorium exhibuere, quod quum numeris ſuis careret, magiſque dolo, arteque ad decipiendum compoſitum videretur a Concilio rejectum, contemptuique habitum eſt, atque decretum de die

de die Johanni indicenda, experiundaque demum in judicio ſubdola, ſubleſtaque hominis fide.

Itaque ſeſſ. 7. Johannem hæreſis, ſchiſmatis, ſimoniæ &c. in ſcandalum totius Eccleſiæ criminibus irretitum ad 9. dies Synodus in judicium vocavit. Ea de re iterum miſſi ad Johannem Legati, ut regreſſum ſuaderent, & vadimonium ei conſtituerent, qui novo fuco Legatis facto (nec enim mens Conſtantiam repetundi inerat) Synodi ſpem omnem fefellit. Nihilominus ſeſſ. 9. ſecundo in judicium poſtulatus, comperendinata interea depoſitionis ſententia; & ſeſſ. 10. tertio repetita citatione, & contumacia ejuſdem accuſata, ſuſpenſa ei dignitas eſt. Porro inter accuſationum capita adverſus Johannem illud recenſitum eſt ſeſſ. 11. die 25. Maji anno 1415, quod gradu ſe demiſſurum ſemel, ac ter ſpopondiſſet, ſponſionemque voti, ac jurisjurandi ſacramento, religioneque firmatam fefelliſſet: quod generali Concilio ultro citroque ſemet ſubmiſiſſet, ejuſdemque demum ſententiæ, ferendoque, pro allubitu ſuo, judicio ſtaturum ſe profecto in iis, quæ ad reformationem Eccleſiæ tam in Capite, quam in membris pertinerent, fuiſſet ſæpe pollicitus: quæ tamen adimplere tum detrectaret non modo, ſed imo Concilium diſſolvere nefarie moliretur. Illud præterea recenſitum, quod Præſulibus quam plurimis coram, probiſque viris auſus fuiſſet affirmare: *Vitam æternam non extare: imo hominum animas, non ſecus ac brutorum una cum corpore interire: neque eſſe reſurrectionem Mortuorum*: atque exinde tanquam ſchiſmate, & hæreſi afflatus agebatur. Quamquam poſtea, quod ad poſtremum huncce, ſcilicet hæreſis, accuſationis articulum attinet, ſeſſ. 12. nullum ei fuerit negotium faceſſitum. Itaque ſeſſ. 12. die 29. Maji anno 1415. poſtquam ad Johannem Miſſi Synodo renuntiaſſent illum confeſſum ultro citroque ſibi ad Pontificatum jus nullum ratum, fixumque ſuffragari: pollicitum ſub voti, juriſque jurandi vinculo proceſſum a Concilio contra ſe habitum ratum habiturum; atque demum ſententiam a Concilio contra ſe ferendam approbaturum, pronunciata demum in eum depoſitionis ſententia eſt; qua inter alia dicebatur: *Viſis articulis contra D. Johannem Papam XXIII. oblatis, ac probationibus eorumdem factis, ejuſdem*

ſubmiſſione ſpontanea ... declarat (S. Synodus) *ipſum ſimoniacum ... dilapidatorem ... ſcandalizatorem , ... incorrigibilem ... indignum ... damnoſum ... a Papatu deponendum* ; *eumque deponit*. Hujuſce ſententiæ accepto nuntio Johannes Cellis degens præſentibus quinque Cardinalibus Synodi Legatis die 31. Maji ejuſdem anni eidem ſententiæ acquievit , & ſubſcripſit , datoque publico inſtrumento dignitatem prorſus abdixit. Quod inſtrumentum palam Concilio perlectum fuit , quo curante , ut Johannes caperetur , Sigiſmundo præſentatus ab eodem Ludovico Comiti Palatino Rheni carcere cuſtodiendus eſt traditus , nempe ut omnis ſchiſmati prorſus intercluderetur via . Hæc Johannis fata, quem erga agendi ratio a Concilio ſacre cuſtodita id plane evincit in eum tandem a Synodo non dictam alia ratione , niſi ea , quam ſignificavimus , fuiſſe ſententiam .

Præterea hanc profecto ſententiam Concilio hæſiſſe, poſſe ſe ſcilicet , non niſi in Pontificem hujuſcemodi , pateſcit ex reformatorio edito a collegio Nationum circa Eccleſiæ reformationem , quod ex gemino protocollo Ms. bibl. Cæſareæ Vindobonienſis primus protulit Vonder Hart tom.1. pag. 583. Inter enim ejus ſtatuta generalia cap. 1. primi protocolli ſtatutum legitur , quod Concilium de ſchiſmatis cauſſa cognoſcens in contumaciam electorum , ſeu ſe pro Papa gerentium litem dirimat , cauſſamque definiat : & in cap. 3. protocolli ſecundi ſtatuitur a Concilio de Pontificis electione illegitima decernendum fore , prohibenturque tum Cardinales , ne ad alterius electionem interea procedant , niſi ille ſic electus , vel ſe abdicet , vel obeat ; tum Papa ſic illegitime electus,ne Concilio præſideat, ſed imo Concilii judicio penitus ſtet . Verum quidem eſt, quod primi protocolli cap.*6*, & cap. *6*. protocolli ſecundi ſtatutum legitur , quod Pontifex ob hæreſim non ſolum , ſed ob ſimoniam , & quodcumque aliud crimen notorie in Eccleſiæ ſcandalum vergens , de quo ſolemniter monitus , ſi poſt annum a monitione elapſum ſpem omnem emendationis eripuerit , fluxamque fecerit , *per generale Concilium puniri etiam depoſitione a Papatu poſſit* . At ultra quam quod id totum referendum ſit ad eumdem caſum Papæ Concilio ſe ſponte ſubjicientis , dubii , hæretici , ſchiſmatici &c. , in quem ob alia

quo-

quoque crimina conſequenter poſse animadverti Concilium exiſtimarit, obſervandum 1, quod præfata ſtatuta reformatorii non obtinuere. Quamvis enim cum Sigiſmundus, tum Nationes Germanica, & Anglica, ut reformationis negotium Concilii juri, & auctoritati adſcriberent, ab eoque abſolvi ante Pontificis electionem contenderent, ex adverſo ſtetere Cardinales, & tres reliquæ Nationes Italica, Gallica, & Hiſpanica pugnantes reformationem non poſse fieri abſque Pontifice, hujuſque electionem reformationis operi fore omnino præmittendam; & *quod Papa electus ligari non poterat*; ad quam partem acceſſit ſubinde Natio Anglica,& Sigiſmundum denique,atque Germanos accedere oportuit. Exemplar exhibetur etiam ab Harduino loco indicato pag. 847. Obſervandum 2, quod electo Martino V. Natio Germanica articulos pro reformatione Eccleſiæ *per modum aviſamentorum* exhibuit, inter quos ſtatutum 13. retexit cap. *6.* protocolli 1, & 2. ſupra laudati. Reſpondit Pontifex (quod reſponſum exhibent duo codices Mſs. bibl. Vatic., & Palatinæ laudati a Scheleſtratio, & codices tres Mſs. bibl. Gothanæ, Academiæ Cantabrigenſis, & bibl. Cæſar. Vindobonienſis laudati a Vonder Hart) reſpondit, inquam, præfatis articulis; articulo vero illi 13. *propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi, & deponi*, nihil reſpondendum duxit, ut habet codex Ms. Vindobon., vel, ut habent alii codices, reſpondit in hæc verba: *Non videtur, prout nec viſum fuit aliquid novum ſtatui, vel decerni in pluribus Nationibus circa hoc*. Porro hic articulus 13. a Labbeo in excerptis ex codice Capranicenſi non fuit repertus, vel fuit prætermiſsus. Ut ut ſit, de rebus Johannis jam nimium: ad fata Gregorii, & Benedicti brevis convertatur oratio, ut vel ex ipſis eam fuiſse, quam contendimus, efficiamus Concilii ſententiam circa tandiu, æſtuque tanto vexata decreta ſeſs. 4, & 5.

Igitur die 15 Junii anno 1415 Carolus de MalateſtisGregorii XII.partes legens Conſtantiam appulit Gregorii nomine dignitatem in Concilio dimiſſurus, quam reapſe in ſeſſ. 14 prælecto Gregorii procuratorio abdixit, atque proinde peracta unio eſt utriuſque Obedientiæ cum Johannis, tum Gregorii, utroque abdicato. Gregorius vero a Concilii Legatis quum accepiſſet

juxta ab ſe præſcriptum procuratorium abdicationem factam, dato ad Concilium diplomate, abdicationi per Malateſtam ſuo nomine præſtitæ ſe aſſentire profeſſus eſt, atque hæc Gregorii fata. Extinguendo penitus ſchiſmati, Eccleſiæque paci conciliandæ nihil optabilius ſupererat, reliquumque erat, quam ut Benedictus pariter ſponte ſe Papatu abdicaret: rogatus ſtatim a Synodo ea de re per Oratores eſt, cui ille, ut habet decretum ſeſſ. 14, ſpem fecerat pacis, ut qui dudum præmemoratam renuntiationis viam placitum ſuum feciſſet, votique, & juramenti religione firmaſſet. Quod niſi faceret, S. Synodus ipſum declarat *fuiſſe, & eſſe notorium ſchiſmaticum ..... a Catholica fide devium ..... propterea Papatu indignum, ipſumque per ſacros Canones abjectum, ejectum, privatum, & præciſum* &c. Oratoribus Ferdinandus Aragoniæ Rex morem geſſit; capitula 12 Narbonæ die 13 Decemb. an. 1415 concordata, atque a Concilio probata ſunt; ſubtracta a Rege Aragoniæ, qui ſeſſ. 22 una cum Regno Concilio adhæſit, Benedicto Obedientia eſt: Oratorum opera ſubtracta eidem Benedicto a Carolo Rege Navarræ, qui una cum ſuis ſeſſ. 26 Concilio cooptatus eſt. Sed Concilio, aut ejus Oratoribus difficilem admodum ſe præbuit Benedictus: ergo ſeſſ. 23 adverſus illum oblata accuſationum capita, inter quæ illud retextum, quod quum diu actum fuiſſet de modis omnibus diriſſimum ſchiſma abſcindendi, viaque ceſſionis Regibus, Cardinalibus, Epiſcopis, & Doctoribus nedum facilior, brevior, & tutior, ſed una tollendo ſchiſmati viſa fuerit, quam ipſemet Benedictus jam pridem laudaverit, probaverit, ſæpeque voto, & juramento eidem ſe obſtrinxerit, ut proinde ab ea poſtmodum reſiliens, uti ſchiſmaticus, & hæreticus foret habendus. Seſs. 24 decreta in eum citatio; ſeſs. 29 accuſata ejuſdem contumacia; ſeſſ. 30 perlecta ejuſdem reſponſio, qua inter alia declarabat, & decernebat *quæcumque facta, vel facienda, ordinata, vel ordinanda contra ipſum, & Romanam Eccleſiam irrita, & nulla ipſo jure*: ſeſſ. 32 Johannis Regis Caſtellæ, & Legionis admiſſi Legati, & Benedicti iterum accuſata contumacia: ſeſs. 35 Caſtellani ejurata Benedicti Obedientia, cum eiſdem capitula Narbonenſia concordata, & Concilio coadunati: ſeſſ. 37 die 26 Julii an. 1417 ſolemni tandem Concilii ſenten-

ten-

tentia Benedictus ſede Papali motus eſt, uti ſchiſmatis, & hæreſis gerens perſonam, & articuli *Unam Sanctam Catholicam Eccleſiam* inſignis temerator. A ſeſſ. 39 diſceptari cœptum a Nationibus de reformatione, quam tamen faciendam poſt electionem Papæ evicit potior Nationum pars, factamque, ut Martino allibuit, acta Concilii oſtendunt, qua de quæſtione ſupra num. 6, quantum operis noſtri ratio poſtularet, prætermiſſis, quæ parum, aut nihil ad rem attingerent, quia ſat egimus, ab eadem iterato vexanda abſtinemus.

His omnibus adjungendum 1, quod quum Cardinalis S.Marci Concilium conſulendi juris monuiſſet, ſiquidem hæreſis, & ſchiſmatis crimina Johanni objecta, non ſatis in judicio conſtarent, Concilium id conſilii inivit, ut Johannes in ſuam depoſitionem, & Concilii decretum conſentiret, ac ſponte Pontificatum abdicaret; qua de re miſſi ad Johannem Legati una cum depoſitionis ſententia id effecere, ut Johannes ſententiæ adquieſceret, gradumque ſibi abjudicaret, ut ſupra adnotavimus. Quin imo in concordatis Narbonenſibus Concilii, & Imperatoris Legatos inter, & Benedicto adhærentes, ceſſioni potius Gregorii non modo, ſed etiam Johannis, quam Concilii ſententiæ Papatus dimiſſio tribuitur; ita enim ibi dicitur: *Dominus, qui Gregorius XII. in ſua Obedientia dicebatur, ſua ſponte ceſſit. Sic & Dominus, qui Johannes XXIII. dicebatur, facere voluit, atque fecit*. 2. Quod quum Natio Germanica Pontificis electioni præmittendam reformationem contenderet, e contra reformationi Pontificis electionem præferendam cenſuere reliquæ Nationes, a quibus Germanicæ id repoſitum, *quod Papa electus ligari non poterat*; illiſque Germanos adquieſcere oportuit. Publico quidem inſtrumento poſtea Martinus V. omnibus fidem fecit ab ſe circa reformationis articulos a Concilio concupitos factum fuiſſe ſatis; ſed, ut adnotavimus, articulum 13 de Pontifice omiſit; & Martinus fidem ſuam ut liberaret (nam antequam Pontifex ſalutaretur ad eam reformationem faciendam religione ſe obſtrinxerat) id præſtitit, imo præſtare oportuit, ut Eccleſiæ malis, bonoque conſuleret; nam alioqui Concilium Conſtantienſe veterum Conciliorum morem obſervans, ut Johannes de Turrecremata

lib.2.

lib. 2. cap. 9. animadvertit, ſui confirmationem a Martino V. expoſtulavit, quod plane ſuperioris auctoritatis quum ſit, illa Synodus ſe Pontifice indubitato ſuperiorem non agnovit, nec egit. 3. Quod, ut ſuperius oſtendimus, Auctor Anonymus, Mauritius Pragenſis, & Johannes Antiochenus in Concilio pro Pontifice indubio ſteterunt, optime intelligentes decreta ſeſſ. 4, & 5 locum non habere, niſi in dubio de legitima electione. Ex Theologis quoque, dum mota quæſtio fuiſſet, cujus nomine Concilii ne, an Papæ damnandi Wicleffi errores eſſent, plurimi nomine Pontificis damnandos eſse pugnarunt. Theologi præterea, quibus cenſura illarum propoſitionum a Concilio fuerat demandata, in cenſura ampliori ita de Pontificis auctoritate fati ſunt, ut Papam indubium nullo modo Concilio ſubeſse putaverint. Cardinales demum, ut ibidem n. 4 obſervabamus, tractatu edito in ipſo Concilio Conſtantienſi Romani Pontificis auctoritatem Concilio ſuperiorem acriter propugnarunt; id nullo modo paſſi, ut Apoſtolicæ Sedis antiquis juribus eidem aſsertis a veteribus, ac generalibus Conciliis vulnus, vel leve a novitio iſto Concilio inferretur: quorum quidem prævaluiſse, quin imo in ipſorum pedibus, manibuſque itum ſententiam ibi dicta ſatis declarant. 4.

Quod Petrus ipſe Alliacenſis, quamvis tract. de poteſt. Eccleſ. elucubrato biennio poſt ſeſs. 5 Papæ Concilium præferat, nullibi tamen decreta ſeſs. 4, & 5 pro ſua opinione produxit, nullibi ſuam opinionem a Concilio inter fidei dogmata relatam pronunciavit, nuſquam adverſam opinionem erroris inſimulavit, aut a Concilii decretis alienam indicavit, imo Concilii judicio ſuam ſubmiſit, eam imo certis circumſepivit terminis, & circumſcripſit caſibus: *Ex præmiſſis*, ait, *ſequitur quod ſicut Concilium Piſanum, ita & aliud Concilium in aliquo caſu eſse poteſt ſupra Papam, & poteſt eum deponere*. Sibi vero objiciens caput *Significaſti*, ubi dicitur, quod Eccleſiæ Romanæ nulla Concilia legem præfixerunt, & quod in eis, & eorum ſtatutis Romani Pontificis excipitur auctoritas; reſpondet, *Quod id cum ſui ſimilibus regulariter, & in pluribus verum eſt, ſed tamen in aliquibus fallit*. Sed Alliacenſis ſententia jam ſatis exagitata. Gerſonius perinde ille, qui orat. habita ad Synodum, qua veluti tuba primus ca-

canens alios excitavit Concilii aſsentatores, ut in ſuam manibus, pedibuſque ſententiam ruerent, quamque poſt decreta ſeſs.4, & 5 veluti dogma fidei audaciſſime adſtruxit, nihilominus pleriſque in locis, uti tract. de poteſt. Eccleſ. conſid. 12, & ſerm. in feſto S. Antonii faſsus, & conqueſtus eſt, tum decretorum 4, & 5 ſeſſionis doctrinam a quamplurimis palam ipſa in Synodo exploſam fuiſse, exſufflatamque, atque poſt Concilium Conſtantienſe ceu hæretica imo pravitate inquinatos habitos a non paucis fuiſse illos, qui Concilium ſupra Pontificem efferebant; & in dialog. apolog., Conſtitutione Martini V, qua appellationes a Pontifice ad Concilium prohibuit, *fundamentale robur* decretorum ſeſs. 4, & 5 deſtructum penitus ire doluit. Quid plura? in oratione habita proxime a fuga Johannis, poſtquam Pontificem infra Concilium egiſſet, ejuſque juri ſubjugaſset, eam tamen extemplo propoſitionem certis verbis circumveſtivit: nam corollario 1. *Ex præmiſſis*, inquit, *videtur elici poſse, quod poteſtas Papæ ſit poteſtas Eccleſiæ, qua utitur nomine, & vice Eccleſiæ*: & corollario 2. *Item*, ait, *elicitur ex præmiſſis, quod non eſt illicitum, imo verum, & catholicum, quod in multis ſit ſacrum Concilium ſupra Papam*. Andreas Magorenſis, de quo in prolegom. ſatis dictum, par. 1. cap. 2 propoſita quæſtione de poteſtate Concilii, & Pontificis reſpondet: *Ad iſtam interrogationem nihil unquam reſpondi, nec ſcripſi aſsertive, ſed ſolum opiniones aliquorum Doctorum de hac materia loquentium dixi: quæ opiniones ſunt in triplici differentia*. Eas ſubinde regerit, quarum 1. Pontificem nullius vel Concilii œcumenici judicio ſubeſse aſserit; 2. nec Papam a Concilio, nec Concilium a Papa corrigi, aut condemnari poſſe, auctoritatem ex æquo utrique tribuens affirmat; 3. Concilium ſupra Papam indiſcriminatim evehens in quibuſcumque ad fidem, & ſtatum univerſalis Eccleſiæ ſpectantibus Concilii poteſtatem Pontificia majorem eſſe in auctoritate, in juriſdictione, & in executione ait, cui poſtremæ ipſe adhæret, (ſed quibus momentis ductus ſuperius examen inſtitutum docet,) dubitabundus tamen, hærenſque, nam ita tandem concludit: *Proteſtor, quod aliquas ex illis opinionibus non aſſero, nec teneo, niſi illas, quas tenuit univerſalis Eccleſia, & Dominus noſter Papa*.

Igi-

Igitur Epiſcopus hic decretis ſeſſ 4, & 5 Pontificem legitimum, ac indubium comprehendi non credebat. Sed & par. 9. cap. 1 quamvis Baſileenſibus ſuadere eniteretur, quatenus abſolutiſſime ſuam ſupra Pontificem auctoritatem attollerent; attamen a Concilio Conſtantienſi nonniſi tribus in caſibus Pontificem Concilio fuiſſe ſubmiſſum cognovit, eſtque confeſſus: *Ex quibus*, inquiens, *ſequitur, quod ſimpliciter, & ſine additione debet teneri, & credi, quod poteſtas Eccleſiæ in omnibus eſt major, quam poteſtas Papæ in auctoritate, in juriſdictione, & in executione: non addendo illa tria, in quibus dixit Concilium Conſtantienſe poteſtatem Eccleſiæ eſſe majorem, quam poteſtatem Papæ; ſcilicet in extirpatione hæreſum; in reformatione morum, & in reductione ſchiſmaticorum*. Nihil ergo præterea a Concilio Conſtant. ſeſſ. 4, & 5 definitum putavit. Quæ quum ita ſint celeberrimis decretis ſeſſ. 4, & 5 Concilii Conſtantienſis nos ſatis, ſuperque occurriſſe arbitramur, quin quaſi nobis adblandimur pro eo, quo erga Summos Pontifices recto, reverentique animo comparati; necnon obſequio, obedientia, officioque ſumme affecti ſumus. Age modo ad alia, quæ ſuperſunt, velociori gradu noſtra progrediatur oratio.

Ex Concilio Baſileenſi.

§. III.

CONcilii Baſileenſis decreta iidemmet, qui Conſtantienſibus individue inhærent, ad ravim uſque, nauſeamque objiciunt, & obtrudunt, Apoſtolicæ Sedi a nobis adjudicatis privilegiis fata utrobique dicta, atque utriuſque Concilii decretis eadem privilegia, neque abſque ignominia, perpetuo addicta tumulo obgannientes. Ex adverſo nihil ex eo peſſimæ ſuæ cauſſæ patrocinii exculpi, nonnihil imo cauſſæ noſtræ, ſeu Pontificiæ potius, fauſti, propitiique adquiri contendimus, & evincere ſatagimus. Principio quidem pſeudo-Synodum Baſileenſem quis non in probris habeat, diriſque cunctis devoveat confeſtim, atque ad eam, quam adeo temere inivit, tenuitque adeo inſane erga Pontificem plane indubitatum, dubioque procul legitimum peſſi-

peſſimam agendi rationem animum ſuum adjecerit: ſcilicet inſpexerit illud intentis viribus totum, unumque in id incubuiſſe, ut recens, nec niſi ingentis operæ pretio extinctum, quam diuturnum, tam dirum ſchiſma e tumulo revocaret, remque omnem rurſus tam divinam, quam humanam tanto labore nuper reſtauratam, locoque reſtitutam ſuſdeque ageret, turbaret, atque ſubverteret? In prolegomeno principio, quibus innixi Baſileenſes id prave, id præpoſtere, id perniciose attentarunt breviori, quo potuimus ſermone, expoſuimus, ut ex illis cetera conſectaria ſubodorarentur, & quaſi ex ungue cognoſcerentur; videlicet quemadmodum infirmiſſimis, quinimo falſis penitus quorumdam opinionibus confiſi plerique in Concilio Conſtantienſi, Concilio ſupra Pontificem primas detulere partes, ita in Baſileenſi falſis æque, ac futilibus quorumdam Theologorum principiis ſuffulti adverſus Eugenium IV. Pontificem legitimum profecto, & indubium, ut qui Baſilea illos migrare alió ægerrime ferentes, Ferrariam evocarat, erecta fronte, præfractaque ſteterunt. Impræſentiarum ejuſdem Concilii acta examini ſubjicienda nobis ſunt, diſpiciendumque diligentiſſime, num ab iis Romani Pontificis privilegiis detractum aliquid ſit, an adjectum. Ergo Concilium anno 1423 menſe Maii Papiæ Martini V. ſacra juſſione inceptum, Senas eodem anno menſe Novembri translatum, ibidemque ad Februarium an. 1424 continuatum primo, ab Eugenio IV. poſtea indictum rurſus, & inchoatum eſt; in eodemque is ferme ordo, qui in Conſtantienſi ſervatus fuerat, conſtitutus, ut quatuor Nationes Italica, Germanica, Gallica, & Hiſpanica in quatuor conventus diſtribuerentur, quos ſacras deputationes appellarunt. Vix celebrari Synodus cœperat, quum illius diſsolutionem Eugenius decrevit, illudque Bononiæ poſt 18 menſes celebrandum indixit iis de cauſſis: quod Epiſcopi exiguo numero, ac non ſupra decem Baſileam conveniſsent, nec ſpes affulgeret fore, ut plures advenirent: quod bellum inter Philippum Burgundiæ, & Fridericum Auſtriæ Duces exardeſceret; ac finitimas regiones incendens Patres ad id itineris capeſsendum, ibique tuto conveniendum prohiberet: quod negotium a Martino V. cœptum de Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali unione promovendum foret, pertractandum-

que ; Græci vero iter Baſileenſe cauſsati , ex tribus Italiæ urbibus Roma , Bononia , Ancona propoſitis , ceu commodiorem Bononiam delegiſsent ; immineret interea dies Græcis ſtatutus. Addebat Pontifex audiviſse ſe a Patribus Baſileenſibus hæreticos Bohemos jam damnatos iterum ad diſputandum ſuper damnatis articulis non abſque dedecore Apoſtolicæ Sedis , & ſacri Concilii Conſtantienſis admiſsos. Accedere ad hæc adverſam valetudinem , per quam ſibi tam longum iter conficere non liceret, Roma ſcilicet Baſileam , gravia quoque negotia incumbere ſibi Romæ una cum Cardinalium Senatu frequenter expedienda ; aliaſque plures adeſse cauſsas , quas litteris explicare nec tutum , nec expediens eſset. Hæc , & alia id genus Eugenius Concilium Bononiam convocans expreſſit tum in diplomate diſsolutionis an. 1431 2 Idus Febr. ad Cardinalem Julianum Legatum ſuum miſso , cui initium fecit : *Poſtquam Divina Clementia* ; tum in diplomate altero ad univerſos Chriſtifideles inſcripto 15 Kalendas Januarii anno 1432 , quod incipit : *Quoniam alto* , ac legere eſt in append. 1 Concil. Baſile. Tom. 12 Concil. edit. Labbeanæ , & apud Auguſtinum Patricium hiſt. Concil. Baſileenſ. cap. 4.

Hæc haud habuerunt ſatis ſive Sigiſmundus Imperator , ſive Cardinalis Julianus , unde reſcribentes Eugenio auctores fuerunt, ſuadereque enixi ſunt , ut a propoſito diſſolvendi Concilium abſtineret , quin potius ad illud promovendum conſilium , operamque ſuam omnem conferret , ea de cauſſa præſertim , quod Concilium congregatum quum fuerit pro extirpanda hæreſi Bohemorum , & reformatione Eccleſiæ peragenda , ne hæreticis obtrectandi occaſio præberetur. Sed & Synodus die 21. Januarii anno 1432. datis encyclicis , quæ incipiunt *Zelus Domus Dei* , declaravit univerſis Chriſtifidelibus ſe in Spiritu S. legitime fuiſse congregatam, ac in ſacro Concilio Baſileenſi firmiter velle permanere, uſque dum hæreſis penitus extirpata , & reformationis perfectum negotium fuiſſet: juſſitque omnes Prælatos, alioſque, quorum ad Synodum generalem accedere intereſſet , ut ad Synodum Baſileenſem incunctanter accederent. Baſileenſi Synodo adhærere ſtatim viſus eſt Clerus Gallicanus juſſu Caroli VII. Avarici Biturigum congregatus ; nam Concilium Baſileenſe legitime conveniſſe de-

ſe declaravit, ejuſque celebrationem perutilem non modo, ſed penitus neceſſariam ad hæreſim præſertim Bohemicam exſcindendam. Rogavit proinde Regem, ut Eugenium deprecatum mitteret, ut celebrari, & continuari juberet Concilium Baſileenſe, datiſque litteris ad Imperatores, Duceſque Sabaudiæ, & Mediolani adhortaretur, ut Concilio operam ſuam accommodarent. Illud tum ipſe, tum illi interea caverent quam maxime, ne quidquam probri adverſus Pontificem a quovis attentaretur. Ad hæc Concilii ſeſſio 2. 15. Kalendas Martii anno 1432. celebrata eſt; in qua decretum eſt 1. Sacram Baſileenſem Synodum ſacris Conſtantienſi, & Senenſi generalibus Conciliis decernentibus, & auctoritate Apoſtolica interveniente fuiſse, & eſse debite, legitime, & rite initiatam, & congregatam. 2. Decreta Concilii Conſtant. innovans declaravit ipſam Synodum generalem poteſtatem immediate a Chriſto habere, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiam ſi Papalis, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris; atque his decretis non parentes, & cujuſcumque generalis Concilii decretis hacce de re editis, vel edendis gravibus pœnis mulctandos, cujuſcumque dignitatis exiſtant, etiam Papalis. 3. Ipſam Synodum pro hæreſum extirpatione, & reformatione Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris, nec non pace inter Chriſtianos procuranda legitime congregatam per nullum, quavis auctoritate, etiamſi Papali dignitate præſulgeat, diſſolvi, aut ad alium locum transferri, ſeu ad aliud tempus prorogari debuiſſe, aut potuiſſe, debere, aut poſſe abſque ejuſdem Synodi deliberatione, & conſenſu. 4. Patres, aut alias Concilii perſonas, quavis auctoritate etiam Papali, compelli non poſſe, ut a Concilio ſecedant, vel alio citari, aut evocari, etiam ad Curiam Romanam abſque Synodi deliberatione, & conſenſu. Quæ decreta ſeſs. 3. repetita, & confirmata fuere; atque a Synodo monitus Eugenius, ut prætenſam Synodi diſſolutionem revocaret, utque intra 3. menſes ad Concilium accederet ipſe, vel Legatos dirigeret, fore alioquin, ut Synodus procedat ſecundum quod juris fuerit divini pariter, & humani. Quam monitionem ad Cardinales extendit, in quos, niſi intra id ſpatii Synodo

nodo adſtiterint, ſe acturam ait. Hæc ſunt decreta illa, quæ à Pontificiæ poteſtatis oſoribus objectantur, ex quibus concludunt decreta Conſtant. Synodi ſeſs. 4, & 5. ad Baſileenſium ſenſum exacta vel ad tempus ſchiſmatis, vel ad Pontifices dubios, vel ad caſum hæreſis fore neutiquam reſtringenda.

Paulo poſt ſeſs. 5. ad Concilium advenere Eugenii IV. Nuncii Andreas Coloſsenſis, & Johannes Tarentinus Archiepiſcopi, Bertrandus Epiſcopus Magalonenſis, & Antonius de S. Vito S. Palatii cauſsarum Auditor, atque in ſolemni conventu admiſſi orationes luculentiſſimas habuere, quarum hæc ſumma. Andreas expoſitis duabus, quæ tum graſſabantur fœdis hæreſibus, Græcorum & Huſſitarum, Græcorum præcipue unioni adlaborandum eſse, de qua tanta ſpes affulgeret, dixit, id vero fieri non poſse, niſi Græcis Romanum Pontificem colendi exemplum a Baſileenſibus præberetur; Græcoſque difficile adducendos, ut debitos honores Pontifici redderent, quem a Latinis facile deſpicatui haberi perſpicerent: De Huſſitarum converſione ſatagendum quidem, ſed cavendum ne novellos errores nutrirent, dum veteres expurgare curabant. Igitur ſummo ſtudio agendum, ut Pontifici par honor, & debita obedientia præſtetur, quem unicum loco Dei, ait, in terris ſuſcipimus, ad quem honorem, & obedientiam illi præſtandam totius Eccleſiæ diuturna conſuetudo, veterum Conciliorum expreſſa auctoritas, & SS. Patrum egregiæ ſententiæ nos adhortantur, & adigunt. Eugenium Petri ſedem tenere, & fidem, atque ab ejus auctoritate Eccleſiaſticas leges robur ſuum accipere, omninoque obtinere. Johannes quoque Tarentinus Archiep. de auctoritate Pontificis adhuc uberius ediſseruit, inter alia dicens Eugenium verum, indubium, & unicum Chriſti Domini eſse Vicarium; ad quem ſpectat generales Synodos convocare non modo, ſed & ſua ſententia convocatas confirmare: propterea in irritum labi, quidquid præter ejus auctoritatem ſtatuitur, nec eſse Concilia, ſed conciliabula, ut colligitur ex diſt. 14. q. 1. cap. *Multis*. Mirari valde eſse, quod Baſileenſes Pontifici diem dicere præſumpſerint, cum diſt. 9. q. 3. cap. *Aliorum*; extra de elect. cap. *Significaſti*; 24. q. 1. cap. *Hæc eſt fides*, habeatur, quod prima Sedes a nemine judicari poteſt, ſed ipſa omnes judicat; quod ſi totus

tus Mundus ſentiret quidpiam contra Papam, Papæ ſententiæ potius foret ſtandum; quod ſoli Deo Romani Pontificis reſervatum eſt judicium &c. Graviter cum ipſis expoſtulat, quod contra libertatem, auctoritatem, & poteſtatem Romani Pontificis plura decreta procudiſſent; illos commiſiſse ajens, in cap. *Omnes* 22. diſt., ubi dicitur, quod qui Romanæ Eccleſiæ privilegium detrahit, in hæreſim labitur, fidem quippe violat, qui adverſus illam perpetrat, quæ mater fidei eſt: Concilii Conſtantienſis decretum *Frequens* de celebrat. Conciliorum non ita coarctare Pontificem, quin poſſit ex ſuprema ſua auctoritate ſuper loco, & tempore celebrandi Concilii diſpenſare. Interea Eugenio Concilii deſiderium eſse commune, æqualeque, imo & reformationis, ſed velle omnino eumdem celebrare Concilium in Italia graves ob cauſsas, eaque præterea, ac præſertim, ut Concilio ipſe adeſse perſona, & præeſse poſſit: Pontifici ergo parendum eſse concludit. Editæ ſunt duæ iſtæ orationes in append. prima Concilii Baſile. tom. 12. Concil. edit. Labbeanæ; quarum prima incipit: *Maximam*; ſecunda vero: *Humaniſſimam*: extantque etiam apud Harduinum tom. 8. pag. 1518, & 1530.

Eugenii Oratoribus reſpondit Synodus; quæ reſponſio incipit: *Cogitanti*, exſtatque poſt ejuſdem acta collecta a Labbeo tom. 12. inter epiſtolas Synodales, cujus hæc ſumma, prout intereſt prænoſcere, & inſtitutæ cauſsæ ratio expoſtulat. Coloſſenſi ergo reſpondit Synodus orans Pontificem, ne Spiritum S. contriſtaret, in quo ipſa congregata erat: caveretque, ne ſchiſma in Eccleſia faceret, quod ipſi non Synodo eſset tribuendum, ſicuti olim Papæ Johanni XXIII, non Concilio Conſtantienſi tributum fuit. (At longe alius caſus.) *Synodum ſanctitati ſuæ debitum reddidiſse*, ait, *reddat & ipſe Eugenius, quod debet univerſali Eccleſiæ recognoſcendo auctoritatem Concilii generalis, juxta decreta Conſtantienſis Synodi*. (Non ait ſua decreta: at neque illa ſupra Pontificem attollenda.) Tarentino reſpondit Synodus ſe quidem habere Romanum Pontificem Caput, & Primatem Eccleſiæ, Chriſti Vicarium, ſolumque vocatum in plenitudinem poteſtatis, alios vero in partem ſollicitudinis. At nihilominus ſe aſſerere ipſum Pontificem obedire teneri mandatis, & ſtatutis S. Synodi

nodi Baſileenſis, & alterius cujuſcumque generalis Concilii in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris, ſicuti declaratum fuit a Concilio Conſtantienſi. Eccleſiam ſolam, quam Synodus repræſentat, indefectibilem eſse (Eccleſiam, & Concilium a Pontifice disjungit, quo caſu falſum id omne, quod Eccleſiæ, & Concilio adſerit,) nullum alium tali gaudere indefectibilitatis privilegio; unde a Concilii poteſtate neminem eximi, etiam Pontificem; uti declaravit Synodus Conſtantienſis. (At Synodi Conſtantienſis mentem non eſt aſsecuta Baſileenſis, ut ex dictis conſtantiſſimum eſt; ſed nec idem caſus, parque ratio, nam in Conſtantienſi de dubiis Pontificibus res erat, in Baſileenſi agebatur de Pontifice indubio). Errare deinde Pontificem poſse, ſed imo erraſse Synodus ſubdit, at errare Eccleſiam, aut Concilium non poſse. (Gerræ plane gerræ: nam perſonam ut ſingularem gerens Papa errare quidem poteſt, non ut Magiſter eſt Eccleſiæ: Concilium vero a Pontifice diſcretum errori obnoxium eſse veterum plane Conciliorum exemplis edocta ignorare Synodus non debebat). Papæ quidem auctoritatem ſingulis quibuſque ſuperſtare, non autem ſimul congregatis omnibus, quin imo his profecto ſubeſse. (Elumbis ſane diſtinctio, nam nonniſi ex ſingulis ea collectio exurgit, qui ergo omnibus ſeorſim, omnibus collectim ſuperſtat: ſed & omnibus univerſim, ac collectim ſumptis Pontificem præeſse, ſcripturæ, & traditionis momentis oſtendimus). Ad illud vero objectum, quod ſi Papa congregare poteſt Concilium, poteſt & diſsolvere, reſpondit diſparem eſse rationem, nempe ante congregationem Concilium non eſse, at ut primum eſt congregatum, ſtatim Concilium Eccleſiam repræſentare, cujus proinde poteſtas major Pontifice ſit. (Næ inanis evaſio, diſtinctiuncula riſu excipienda; &, ut ajunt, petitio vana principii. Si congregat Papa, nonne Eccleſiam congregat diſperſam? Si in Eccleſiam diſperſam jus dicit, nonne juris dicundi in Eccleſiam congregatam poteſtate eſt præditus? Eccleſia enim diſperſa eadem plane, atque Eccleſia congregata eſt: ſed & Eccleſia congregata abſque Papa nonne acephala? Diviſa a Papa nonne ſchiſmatica? Nonne ergo ſicuti ſe Eccleſia non congregat, ita ſeſe non ſegregat,

gat, ſed a Capite omnino debet & congregari, & ſegregari, ut ſive congregata, ſive ſegregata uti corpus ſuo ſemper capiti adhæreſcat?) Ad illud quoque objectum, quod Concilia Romani Pontificis auctoritate fiunt, ab eaque robur accipiunt, reponit recipere quidem robur, ut congregentur, non ut congregata judicandi robur obtineant, imo ſtatuta Conciliorum a Romano Pontifice infringi non poſſe, vel auctoritate SS. Gregorii, Leonis M., Gelaſii I., Urbani, Zoſimi, Leonis confirmat. Apage obtrectatores luci nebulas offundentes! Quid clarius Concilia, quæ non firmarunt Pontifices, infirma evaſiſſe, nec poſſe dici bene ceſſam Synodum, quam Sedes Apoſtolica non comprobavit, ut ſcribit S. Gelaſius I. ad Epiſc. Dardaniæ? Sed quid abſurdius, ecquiſve illud patienter audiat, feratque, quod quum in Conciliis univerſorum Epiſcoporum ſuffragio decreta iniri, ferri, edique debeant, Pontificis ſummi poſtea ſententia ita poſtferatur, parvique fiat, ut in cauſſa eſſe nequeat, quominus Conciliorum decreta valeant, obligandique vim obtineant? Quorſum ita, inquam, Eccleſiaſticæ hierarchiæ ordo, ratio, & ſumma perturbatur, atque pervertitur? Sed quid hic extra rem, & locum obtruduntur illorum Pontificum teſtimonia? Quis in hiſtoria adeo hoſpes ignoret Concilia, aut Conciliorum decreta, quibus Romani Pontifices pluries intercesſere, ceſſiſſe in caſſum! At diſpar ratio decretorum, quibus Pontifices ſemel aſſenſum adjecerunt ſuum, ac valere voluerunt: iſtiuſmodi enim decreta ita firmata, ſi circa fidem (nam decreta alioqui circa diſciplinam etiam in Conciliis edita, & roborata, a Pontificibus pro Eccleſiarum neceſſitate, aut utilitate ſæpius immutata; aut in irritum miſsa nemo neſcit) iccirco ab ſe infirmari non poſse jure optimo dixerunt Pontifices præfati, quod fidei dogmata mutationi non ſubjacere optime noſsent. Nihilominus haſce Synodi Baſileenſis reſponſiones adeo infirmas tanti fecit Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. XV, & XVI. diſsert. 8. art. 3. ut dixerit: *Hæc Synodi Baſileenſis reſponſio ad Eugenii IV. Nuntios luculenter probat ſupremam Conciliorum generalium auctoritatem, cui alia quævis poteſtas, etiam Pontificia ſubdita ſit, & argumenta diluit, quæ poſtmodum adverſus dogma illud Eccleſiaſticum Johannes de Turrecremata, Cajetanus,*

nus, *Jacobatius*, *& Bellarminus objecerunt*. Næ homo in tranſverſum actus, auſus eſt aſserere dogma Eccleſiaſticum eſse, quod ſubinde in ſchol. 13, ut a virgula cenſoria vindicaret, a dogmate fidei vana diſtinctione ſecernit, ſententiam Pontificem indubium Concilio ſubjectum facientem; quum potius certiſſime tenendum ſit ex s. ſcriptura, & traditione, ita potius adſtrui Pontificis privilegia, ut illum a fide haud devium fieri ullo modo poſse, & Concilio generali poteſtate ſuperſtare omnino conſequatur.

In reliquis ſeſſionibus, a ſeſs. 6. nimirum uſque ad ſeſs. 10, id præſertim actum, ut repetitis vicibus moneretur Eugenius ad reſcindendam Concilii attentatam diſsolutionem, alioqui minis intentatis agendum a Synodo adverſus ipſum. Poſt ſeſs. 10, in Synodo admiſſi, & auditi ſunt Johannes Mella Epiſcopus Cerrvienſis, duoque Abbates Eugenii Legati Baſileenſibus exponentes, potuiſse Papam Concilium diſsolvere, & transferre; placere tamen concordiæ cauſsa aliquid de jure ſuo remittere, ac proinde adhortari, ut translationem Concilii Bononiam æquo animo ferrent: Eugenium decreta omnia contra Patres evulgata abrogaturum, modo & Patres reddita vice decreta in Pontificem edita abolerent. Interea vero Eugenius ad Sigiſmundi preces diploma incipiens *Ad ſanctam Petri Sedem* conſcripſerat, quo ceſsantibus diſsolvendi Concilii cauſſis, Concilium Baſileæ celebrari indulgebat, quod extat in append. 1. Labb. collect., quod diploma antequam Baſileenſi Synodo innoteſceret, Eugenii Nuntios mox laudatos audivit; quibus reſpondit (quæ reſponſio incipit *Speravit hactenus*, atque legitur inter reſp. Synodales apud Labbeum loc. cit.) Concilium ab Eugenio ſine conſenſu Patrum non poſse diſsolvi, Concilium vero cum conſilio equidem Papæ, vel præſidentium, non e contra, negotia Eccleſiæ concludere debere, addebat; nam intellexerat Pontificiis litteris Legatis illis ab Eugenio datis poteſtatem fieri expediendi omnia negotia cum Synodi conſilio, quæ clauſula gravem Synodo offenſionem creaverat. (At ne adeo ignari erant Baſileenſes ita in Conciliis factitatum, ut ſacro approbante Concilio decreta a Pontificibus, vel eorum Legatis promulgarentur?) Seſs. 11. explicatum de-

decretum *Frequens* Concilii Conſt., ac declaratum Concilium a Papa prorogari non poſſe, aut congregatum diſsolvi, aut transferri. Quod ſi facere tentaverit; & infra 4. menſes Eccleſiæ non fecerit ſatis, a Papali adminiſtratione ipſo facto eſset ſuſpenſus, atque Papatus adminiſtratio ad Concilium ipſo jure devolveretur: qui ſi hanc pœnam per duos menſes animo ſuſtinuerit obdurato, contra Eugenium proceſsurum ſe tum uſque ad Papatus privationem. Seſs. 12. die 3. Julii habita repetitis decretis ſeſs. 4, & 5. Concilii Conſt. rogatu Sigiſmundi Imper. inducias dierum 60. Eugenio conceſſit, intra quos niſi Concilii diſsolutionem obliteraret, & Concilio adhæreret, ex tum Synodus ipſum contumacem declarabat, & a Papatu ſuſpendebat. Interea Eugenius, quam Legati ſui a Concilio paſſi fuerant, repulſa percepta, eidemque qua Imperatore, & qua Cardinalibus ipſi addictis ſtimulos adjicientibus, data conſtitutione, quæ incipit *Ad ſanctam Petri Sedem* 16. Kalendas Martii anno 1433. in append. 1. tom. 12. Concil., Concilium legitime convocatum, & continuatum fuiſse, & continuari poſse ad hæreſes exſcindendas, & morum corruptelas extirpandas declaraverat, revocans ejuſdem translationem, & diſsolutionem: ea tamen lege, cum ut Concilium omnia, & ſingula contra perſonam, auctoritatem, & libertatem ipſius Eugenii decreta, attentata, & geſta pariter reſcinderet, tum ut a Concilio allegati præſides Johannes Mella, & duo Abbates admitterentur.

Verumtamen quum Baſileenſes decreta illa obliterare, & illos Legatos admittere detrectaſſent, contenderentque Pontificem Concilio pure, nullaque appoſita conditione tanquam Concilio ipſo inferiorem, adhærere debere, Eugenius duabus conſtitutionibus, tum una, quæ incipit *Inſcrutabilis* 9. Kalendas Auguſti anno 1433. edita, tum conſtit., quæ incipit *In arcano* Idib. Septembris eodem anno promulgatis decretum ſeſs. 12. contra ſe editum ſuprema poteſtate irritum, & inane pronunciavit, & Synodum iterum diſſolvit. Conſtitutione vero altera, quæ incipit *Deus novit* eodem die, & anno evulgata, (ſi tamen genuinus ejus eſt fœtus, nam eam ſibi fuiſſe ſuppoſitam declaravit poſtea in conſtitutione, quæ incipit *Dudum*,)

refellens quod a Baſileenſibus obtrectatum ſibi fuerat ob imperatum Legatis impoſitum, ut omnia cum Synodi conſilio decernerent, affirmavit Concilium Legatis decernentibus coaptari debere, non e contra, ita ut ſi Pontifex, vel ejus Legati aliquid decernerent, Synodus vero diverſum ſtatueret, in Pontificis, vel Legatorum potius, non in Synodi ſententia quieſcendum eſſet. *Quum*, inquit, *ſuper omnia Concilia habeat poteſtatem Papa; niſi forte quæ ſtatuenda forent, catholicam fidem reſpicerent; vel ſi non fierent, ſtatum univerſalis Eccleſiæ perturbarent, quia tunc Concilii ſententia eſſet prius attendenda. Verba igitur noſtrarum litterarum ſecundum juris formam interpretanda ſunt, ut quæ ad ſolum Concilium ſpectarent, quæ ſunt numero plurima, cum Concilio expediantur, & fient; alia vero juris tramitem imitentur: & hoc eſt, in quo potiſſime falluntur, qui Baſileæ conveniunt; nam credunt in ſingulis agendis eſſe judices ſupra Pontificem, ut eorum actiones demonſtrant, nam in ſingulis ſe nobis ſuperiores reputant, quod tamen aſſeverare eſt hæreticum, & profanum.*

Natalis loco indicato aliam animo præfert ſententiam, atque ab hac Eugenii conſtitutione *Deus novit* ſupremam Concilii poteſtatem nullatenus labefactatam contendit: tum quia, inquit, Bullam hanc, *Deus novit*, ſuam eſſe, aut ſe ſciente editam Eugenius negavit: tum quia illam nihilominus ad offenſionem omnem amovendam inficias ivit, & expunxit conſtitutione, quæ incipit *Dudum ſacrum*: tum quia hac in Bulla Concilii potius, quam Pontificis ſententiæ ſtandum eſſe docet, adeoque Concilium eſſe Pontifice ſuperius in controverſiis fidei, & in iis, quæ ſi non fierent, ſtatus univerſalis Eccleſiæ perturbaretur: hæc porro tria, ait Natalis, complectuntur capita, in quibus Pontifex Concilio ſubeſt ſecundum Concilii Conſtantienſis decreta, ſcilicet quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris. At perperam (verbo abſit injuria) his offundere tenebras vir doctus enititur. Eſto enim prælaudatam conſtit. *Deus novit* Pontifex ſuam non eſſe, ſed ſibi ſuppoſitam enuntiaverit, unde ex ea nihil nobis adſciſcere, nihil noſtram adjuvari ſententiam volumus: attamen eam Eugenius revocans, & reſcindens, reſcindere, & revocare pariter

ter non intendit propoſitionem illam in ea contentam; *Super omnia Concilia poteſtatem habet Papa*; ſed ea ratione tantum eamdem abrogavit, & abolevit, quatenus ex ea Concilium Baſileenſe diſſolutum denuntiabatur, atque ita conſtit. *Dudum*, qua præfatam obliterat, alias quoque duas conſtitutiones eamdem diſſolutionem ſancientes delet. Quod ſi ex revocatione conſtitutionis *Deus novit* revocatam inferre liceret illam perinde propoſitionem; *Super omnia Concilia &c.*, inferre eodem jure pronum eſſet ejuratas alias quoque propoſitiones in ea contentas, uti hanc: *Hoc ad Principes pertinet ſæculi Chriſtianos, ut eorum temporibus pacatam eſse velint Matrem Eccleſiam, unde ſunt ſpiritualiter nati*. Præterea Natalis aſſecutus non fuiſse videtur ſenſum verborum illorum: *Niſi forte quæ ſtatuenda forent &c.* & illorum: *Concilii ſententia &c.* non ſecus ac decretorum Concilii Conſtantienſis; nam ſenſus eſt tum Concilii ſententiam prius eſſe attendendam, quum agitur de rebus fidei jam definitis, vel de iis, quæ ſi non fierent, Eccleſiæ ſtatus perturbaretur, ſcilicet ab hæreticis, vel ſchimaticis Romani Pontificis decretis non obtemperantibus; nam definitiones fidei jam factas neque poteſt infirmare Pontifex. Quum vero agitur de reducendis hæreticis, aut compeſcendis ſchiſmaticis, Concilia utilia quam maxime, neceſſaria quin imo quandoque ultro citroque concedimus: nec ſi Concilii ſententia prius attendenda dicatur, ſignificari datur Concilium eſſe ſupra Pontificem, ſed dumtaxat vel attendenda jam definita in rebus fidei ab aliis Conciliis a Pontifice approbatis; vel ad hoc ut negotia adverſus hæreticos, & ſchiſmaticos rite peragantur, & perficiantur adhibendam quandoque in anteceſſum Concilii ſententiam, non ſecus ac Pontifex ipſe Cardinalium in cudendis conſtitutionibus adhibere conſilium ſolet. Hunc eſse profecto verborum illorum genuinum, germanumque intellectum, hallucinarique proinde quam maxime, qui aliorſum intorquet, liquido adparebit ex diplomate altero Eugenii ad Ducem Venetiarum infra allegando, ubi eadem verba refert Eugenius. Denique decreta Conſtantienſis Concilii reſtringi ad tempus ſchiſmatis, & caſum Pontificis dubii jam ad ſatietatem uſque demonſtravimus. Jam eò, unde digreſsa eſt, revertatur

oratio. Sub id temporis publici juris factæ ſunt ſub Eugenii nomine litteræ apologeticæ ad univerſos Chriſtifideles, quibus acta Synodi Baſileenſis contra Pontificis auctoritatem a Pontifice nunquam approbanda fore pronunciabantur. Apologiæ hujuſce auctor Johannes de Turrecremata creditus eſt: ſed in apologia hac nihil non ex purioribus Theologiæ chriſtianæ fontibus expreſſum; nihil non ex frequentiſſima in Eccleſia praxi, ac diſciplina excerptum.

Seſs. 13. in Eugenium ob tres illas conſtitutiones *Inſcrutabilis*; *In arcano*; *& Deus novit*, Synodus excanduit, jamque ipſi vadimonium conſtituere volebat: at rogante Duce Bavariæ Eugenio 30. dierum comperendinatus adhuc indultus eſt. Seſs. 14. pro jure Pontificis Sigiſmundus Imp. proloquutus a Synodo impetravit, ut induciæ Eugenio rurſus ad 90. dies darentur: ſeſs. 15. ſtatutum de celebrandis Synodis, & Conciliis Provincialibus editum eſt. Interea ad preces Oratorum Imperatoris, Regis Galliæ, ac Ducum Sabaudiæ, & Burgundiæ Eugenius pacis, & concordiæ cum Synodo ineundæ cauſsa conſtitutionem Romæ 18. Kalend. Januarii anno 1433. edidit, quæ incipit *Dudum ſacrum generale Baſileenſe Concilium &c.*, qua profitebatur ſacrum generale Baſileenſe Concilium per generalium Conſtantienſis, & Senenſis Conciliorum ſtatuta, ordinationeſque Martini V, ac ſuas pro extirpatione hæreſum, pace populi Chriſtiani, ac reformatione Eccleſiæ in Capite, & in membris legitime inchoatum, a tempore prædictæ inchoationis ſuæ legitime continuatum fuiſſe, & eſſe, proſecutionemque ſemper habuiſſe, continuari, ac proſecutionem habere debere ad prædicta, & pertinentia ad ea, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet. Quin imo præfatam diſſolutionem irritam pronunciabat, & tres Bullas ſuper diſſolutione Concilii Baſileenſis evulgatas inficiabatur, & infringebat, primam, quæ incipit *Inſcrutabilis* datam 9. Kalendas Auguſti anno 1433; ſecundam, quæ incipit *In arcano* datam Idib. Septembris ejuſdem anni; tertiam, quæ incipit *Deus novit* eodem die, & anno datam, quam non ſuam, ſed ſibi ſuppoſitam ajebat, ſeque ipſum generale Concilium Baſileenſe pure, ac ſimpliciter, & cum affectu, devotione, & favore proſequi aſſe-

aſſeverabat. Hanc conſtitutionem Archiepiſcopus Tarentinus, & Epiſcopus Cervienſis Eugenii Oratores Synodo obtulerunt, quæ a Synodo ſeſs. 16. Nonis Februarii anno 1434. celebrata lecta, approbata, & in acta relata eſt; atque ita peracta unio, & pax, nempe poſtquam nomine proprio, non vero Pontificis, ut expreſse perhibent acta, urgente Synodo ſpopondiſsent Legati Nicolaus Albergatus Cardinalis S. Crucis, Johannes Archiep. Tarentinus, Petrus Epiſcopus Patavinus, & Ludovicus Abbas S. Juſtinæ inter alia ſe Concilii decreta defenſuros, ac ſpeciatim illud Concilii Conſt. de ſubjectione Pontificum coactivæ poteſtati Conciliorum generalium in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatum, & reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris.

Obſerves hic obiter velim 1. Eugenium, ut appoſite animadvertit prælaudatus Cardinalis Turrecremata lib. 3. de Eccl. cap. 10, ea conſtitutione *Dudum* probaſſe quidem Concilii inchoationem, & continuationem, non vero decreta Concilii, ea maxime, quibus Pontifex Concilio obnoxius denuntiabatur; nec Pontificem abſque Concilii conſenſu poſse illud diſsolvere, quæ imo diſerte ſi non damnavit, id uni concordiæ ſtudio tribuendum, quo œconomia quadam uſus abſtinendum duxit a commovendis ulterius animis, ab exaſperatis hominibus ad incitas adigendis, atque ad extrema quæque rapiendis. Obſerves 2. Legatos Pontificis id juramenti præſtantes nil Concilio detuliſse, nil Eugenio detraxiſse: nam non a Legatis, ſed a Pontifice ipſo ſententia de ejuſdem poteſtate accipienda eſt. Verum potuere, quod crediderim, Legati ſarto, tectoque jure Pontificis in decreta Conſtantienſis Concilii jurare, eo ſcilicet ſenſu, quo edita ab illo ſunt, nempe in caſu Pontificis dubii, ac tempore ſchiſmatis. Sed & exinde argumentum extunditur ad oſtendendum Baſileenſes agnoviſse ab Eugenio probatam fuiſſe Synodum, non vero Synodi decreta; nam ſi a Pontifice ea decreta allegata conſtitutione approbata iviſſe agnoviſsent, non fuiſset cur in eadem juratum Legatos vellent, nec erat cur Legatos a Pontificis inſtructione aberraturos pertimeſcerent, aut vererentur. Obſerves 3. eo in diplomate *Dudum*, Bullas diſsolutionis revocaſse Eugenium, atque Concilium

cilium legitime inchoatum, atque continuatum declaraſse, ita tamen *Ut omnia, & ſingula contra auctoritatem noſtram*, ut ait, *facta, & geſta per dictum Concilium prius omnino tollantur, & in priſtinum ſtatum reducentur*; quod idem cautum expreſse voluit in litteris, quæ incipiunt *Cum vos* ad ſuos Legatos Bartholomæum Archiep. Spalat., & Chriſtophorum Epiſcop. Cervienſem miſſos Baſileam petitum revocationem eorum omnium, quæ contra ſuam perſonam, auctoritatem, & libertatem facta,& geſta fuerant, ut legere eſt apud Harduinum in collect. Concil. tom. 8. pag. 1587. ubi de Concilio Baſileenſi. Quo circa fraude, & ſubleſta fide agunt adverſarii, dum conſtitutionem *Dudum* referentes, hanc clauſulam diſſimulant, ac ſilentio ſupprimunt. Obſerves 4. quod, quum hæc Baſileenſibus præſcripta ab Eugenio conditio, a qua Concilii proſecutio omnino pendebat, non fuerit adimpleta; (neque enim decreta Papam Concilio ſubjicientia irrita, & caſsa voluere;) proinde conficere eſt, quod neque unquam ab Eugenio Concilium in priſtinum ſtatum fuerit reſtitutum, aut pro legitimo uſpiam habitum, neque proinde Concilii legitimi auctoritatem obtinuerit. Obſerves 5., quod etſi daremus illud legitimi loco ab Eugenio fuiſse poſitum, nunquam tamen daturi ſumus ab Eugenio approbata fuiſse decreta ſeſs. 2, 3, 11, & 12; ad has tamen, & ſeſs. 16. uſque dumtaxat Eugenii approbatio extenditur, quæ ſeſſio 16. ejus conſtitutionem *Dudum* præceſſit, qua conſtitutione declaratur Concilium eo uſque legitimum fuiſse: quæ enim poſtmodum ſeſſiones peractæ ſunt, ab Eugenio nuſquam probatæ leguntur. Quapropter acerrimi ultra modum Concilii Baſileenſis vindices; Pontificiæque poteſtatis oſores immerito Baſileenſe Concilium legitimum, ejuſque acta integra volunt uſque ad ſeſs. 29, nempe ad translationem uſque Concilii Ferrariam, Eugenii depoſitionem, & Felicis V. electionem, a quo tempore dumtaxat Concilium illud uti legitimum non probaverit univerſa Eccleſia; quippe, ut dixi, nuſquam Eccleſia Concilium a ſeſs. 16, & infra probaſse comperitur. Sed de hiſce poſtea, impræſentiarum, quod attinet, ſeſſionum reliquarum ſumma conficienda.

Seſs. 17. 6. Kalendas Maji anno 1434. Eugenii Legati admiſſi

miſſi in Concilio præſides, ſed abſque juriſdictione coactiva, & ſalvis modis procedendi eatenus in Concilio obſervatis, atque ea lege, ut Synodi acta Bulla, & ſigillo ejuſdem Synodi obſignarentur. Sed hac agendi ratione violata eſt altera ab Eugenio in conſtitutione *Dudum* præſcripta conditio, quod nempe *Præſidentes, & Legati a ſe deputati ad præfati Concilii præſidentiam cum effectu admitterentur*. Ex cujus conditionis non adimpletæ defectu illud item conſequitur præfata conſtitutione *Dudum* non fuiſſe uti legitimum declaratum Concilium, quum nonniſi ſub illa conditione, non ſecus ac ſub conditione ſupra laudata in obſerv. 3, & 4, Eugenius Concilio ſuum appoſuerit calculum. Seſs. 18, ſexto Kalendas Julii an. ejuſdem 1434. redintegrata ſunt decreta ſeſs. 4, & 5. Concilii Conſt., quæ jam ſeſſionibus 2, 3, 11, & 12, &c. refricarat Synodus. Ab hac ſeſſione uſque ad 23. nihil actum, quod noſtræ cauſsæ intercedat, niſi quod pleraque de electionibus, confirmationibus, annatis, & indulgentiis ſtatuta ſunt. Quæ quidem ſtatuta Eugenio quum ſummopere diſplicuiſsent, dimiſit ad Synodum Cardinales S. Crucis, & S. Petri ad Vincula, qui in ſeſs. 24. anno 1436. die 24. Maji celebrata minime ferenda eſſe demonſtrarent, quæ Synodus de illis rebus ſtatuiſset. Sed imo Eugenius ad Reges, & Principes decrevit Internuntios, ut temere geſta a Baſileenſibus ab initio Concilii ad id uſque temporis in oculis Gentium omnium conſtituerent, uti legere eſt in actis Navarricis, & in appendice collect. Binianæ tom. 4, & apud Pagium brev. hiſt. critic. in Eugenio IV. Seſs. 25. celebrata nonis Maji anno 1437. orta inter Baſileenſes diſſenſione de loco futuri Concilii pro Græcorum unione promovenda, uno, eodemque die duo oppoſita decreta edita ſunt, unum a Sedis Apoſtolicæ Legatis, & pleriſque Præſulibus illis adhærentibus, quo Florentia, aut Utinum deſignata ſunt, loca Græcis, & Eugenio commoda; pars reliqua Synodi duce Ludovico Cardinali Arelatenſi, numero quidem major, ſed, ut ait Auguſtinus Patricius capp. 42, 54, & 55, exceptis quibuſdam Prælatis, ex vili plebe conflata, ideſt ex Sacerdotibus ſecundi ordinis, decretum edidit alterum, quo ſtatuit Concilium Baſileæ, Avenione, aut in Sabaudia celebrandum iri. Electionem Florentiæ, aut Utini approbavit Eugenius,

nius, cujus electionis decretum, una cum Eugenii diplomate dato Bononiæ anno 1437. tertio Kalendas Julii exhibent Horatius Juſtinianus tom. 13. collect. Concil., & Raynaldus ad eumdem annum.

Eam ob rem indignati, ac in Eugenium magis, magiſque exaſperati Baſileenſes in ſeſs. 26. pridie Kalendas Auguſti celebrata, plurima, ac neſaria adverſus Sedem Apoſtolicam moliti ſunt; Pontificem in jus audaciſſime accerſiverunt, & decreto, quo ſe Pontificis impudenter præferebant auctoritati, ad diem 60. diem ſe Eugenio dicere enuntiarunt. At hoc decretum editum a viris furore abreptis, ſed & intercedentibus, & contra obnitentibus Johanne, & Juliano Cardinalibus, & Sedis Apoſtolicæ Legatis, perhibet Auguſtinus Patricius cap. 37. Sed & ſeſſ. 27. die 26. Septembris nova creatio Cardinalium ab Eugenio facta contra Synodi decretum abrogata eſt; atque litteras omnes, quibus celebrandi Concilii locus alter deſignaretur, a locis Baſileæ, Avenionis, & Sabaudiæ nauci, ſloccique habuerunt, feceruntque inſanientes homines illi. Quinimo ſeſſ. 28. elapſo jam 60. dierum ſpatio Eugenio ab illis condicto, ejuſdem Eugenii accuſata, & declarata auſu ſummo eſt contumacia. Quo decreto audito Regis Hiſpaniæ Oratores, ut refert Auguſtinus Patricius cap. 6, diſceſſere, eique ſe Regis ſui, Prælatorum, & Principum ſuæ Nationis nomine, conſenſum detrahere conteſtati ſunt, non ſecus ac decretis ſeſs. 26, & 27. interceſſiſſe eoſdem narrat. Sed & Sigiſmundus Imperator, qui poſtea, quod cum Oratoribus Venetis, qui cum Baſileenſibus colloquia frequenter habuerant, colloquutus & ipſe fuiſſet, ab Eugenio, ut a cenſuris ſolveretur, petiit, & facile obtinuit, ut referunt Raynaldus, & Pagius ad annum 1437, effrenos, efferatoſque in Eugenium homines vehementer exhorruit, & miſſo Petro Auguſtenſi Epiſcopo Baſileenſes acriter monuit, ut a novitatibus, & ſcandalis abſtinerent, ſibique tandem temperarent. Nec minor Henricum VI. Angliæ Regem ſtupor obtinuit, qui acerbiſſimis litteris Baſileenſes increpavit, *quod auderent Pontificem judicare*, aſſerens *Antichriſti tempora eos introducere*.

Quo die 28. ſeſſio habita eſt, nempe Kalendis Octobris,

non

non autem 14. Kalendas Octobris, ut vult Spondanus, uti legitur in actis Horatii Juſtiniani, anno 1437. Eugenius data conſtitutione, quæ incipit *Doctoris gentium*, Concilium Baſilea Ferrariam tranſtulit, locum Græcis gratum. Tantum abeſt, ut reſipuerint Baſileenſes, ut effronti potius, effuſoque præ ira animo cuncta ſuſdeque humana, ſacraque jura vertentes ſeſſ. 29. die 12. Octobris conſtitutionem *Doctoris gentium* irritam dixerunt, & reſponſione Synodali edita, quæ incipit *Eccleſiam ſuam*, Eugenium, niſi intra 4. menſes reſipiſceret, Bullam revocaret, Concilio faceret ſatis, pareretque, a Pontificatu ſuſpenſum pronunciarunt; datis quoque encyclicis, quæ incipiunt: *Compatiens*, univerſos Chriſtifideles admonuerunt, ne Eugenio, qui Concilio parere detrectabat, ipſi parerent. Turpem interea in errorem vel innocentes, atque a ſchiſmate abhorrentes pertrahebant, atque Baſileenſi Synagogæ adſciſcere pertentabant homines, quos veritati magis, quam mendacio, Eugenio, quam Synodo addictos eſſe oportebat, qui tamen in Eugenium prave affecti nihil non moliebantur, ut Synodi partes, ſtudiaque promoverent. Ii erant Æneas Silvius Piccolomineus, qui poſtea Pius II. facti pœnituit; Bartholomæus Capra Archiepiſcopus Mediolanenſis; Amedeus de Thalara Archiepiſcopus Lugdunenſis; Nicolaus Abbas Panormitanus; Thomas de Courſellis Canonicus Ambianenſis; Nicolaus Burgundio Ord. Prædicatorum; homines nempe, qui laudibus celebrandi forent a Pontificiæ poteſtatis nuperis obtrectatoribus. Ad Baſileenſium factionem imprudens acceſſit Alphonſus Rex Aragonum Eugenio ob Regnum Neapolitanum infenſus; Amedeus vero Dux Sabaudiæ operas ſuas, & quidem egregias, enixaſque, ut Eugenium rebellibus Baſileenſibus reconciliaret, interpoſuit.

Reliquas ſeſſiones uſque ad 45. 17. Kal. Junii an. 1443. poſtremo loco celebratam per fas, & nefas a factioſis hominibus continuatas non perſequar, in quibus quamvis pleraque pia, ac ſalutaria decreta fuerint, cuncta tamen conſpurcarunt in Eugenium intentata ſeſſ. 31. ſuſpenſio; in Synodum Ferrarienſem jactata ſeſſ. 32. ſententia; *Concilium ſupra Papam auctoritatem ita habere, ut huic veritati repugnans pertinaciter ſit cenſendus hæreticus* ſeſſ. 33. de-

cretum; in Eugenium ſeſſ.34. ſeptimo Kalendas Julii anno 1439. iniquiſſime intorta exauctorationis ſententia. Ab octo, vel novem dumtaxat Epiſcopis (quum tamen ad unius Epiſcopi depoſitionem duodecim Epiſcopos judices canonum jura exigant) iiſque præ indignationis æſtu impotentibus, nihilque nefarii præ ingenio præcipiti ad non audendum, attentandumque pronis, proclivibuſque, ceteris renitentibus, aut recedentibus, projectam in Eugenium (proh ſcelus!) exauctorationis ſententiam teſtatur Johannes de Turrecremata, quos & nominatim recenſet in reſponſ. ad Baſileenſ., quæ referente Spondano Ms. extat in bibliot. S. Victoris Pariſien.; ſcilicet Ludovicum Alemandum Cardinalem Arelat. (quem ſane virum ſanctitatis fama percelebrem, quem nimius reformandæ Romanæ Curiæ ardor in tranſverſum egit; atque a Clemente VII. Beatorum faſtis adſcriptum, facti pœnituiſſe oportet;) Ludovicum Patriarcham quondam Aquilejenſem Eugenio infenſum ob Patriarchatum occupatum a Venetis; Ludovicum de Palude Epiſcopum quondam Vencienſem Pontifici iratum, iccirco, quod Eccleſiam Maſſilienſem ambienti ſuffragatus non fuiſſet; Fridericum Baſileenſem hominem imperitum, atque litterarum expertem; Raymundum Talloni puri, putique nominis Tricaricenſem Epiſcopum; Gratianopolitanum, & Sabaudienſem homines neque in opinione meliori, neque ſanioris ingenii; duoſque alios a clauſtris transfugas deſignatos Epiſcopos. Nempe ab hujuſce furfuris hominibus tantum flagitium fuerat attentandum. S. Antoninus tit.22. cap.10. §. 4. Cardinali de Turrecremata concordans teſtatur fuiſſe inter hos factioſos, facinoroſoſque aliquot Epiſcopatu, & dignitatibus ab Eugenio in ingentium ſcelerum pœnam privatos. Dum hæc Baſileæ agerentur cum Deus ab alto immiſſa ſæviſſima peſte Baſileenſem Urbem depopulabatur, tum Eugenius Florentiæ conſtituit. *Moyſes vir Dei* promulgata anno 1439. pridie nonas Septemb. veritates, ut ajebant, a Baſileenſibus ſeſſ. 33. decretas damnavit. Quam Eugenii conſtitutionem inſani, effrenique illi ſeſſ. 38. diris cunctis devoverunt: qua in ſeſſione decretum quoque, ut 32. ex Prælatis, & aliis viris Eccleſiaſticis delecti, una cum Cardinali Arelatenſi alterum in locum Eugenii Pontificem

cem eligerent. Electorum horum nomina exhibet Pagius brev. hiſt. crit. in Concil. Ferrar., ſeu Florent. num. 158, a quibus demum in ſceleris complementum ſeſs. 39. decimo-quinto Kalend. Decemb. anno 1439. electus Amedeus Sabaudiæ Dux in ſeceſſu Ripallenſi religioſiſſimam vitam, chriſtianoque Principe dignam agens, qui ſibi Felicis V. nomen aſſumſit.

In obedientia Eugenii religioſiſſime permanſerunt Carolus VII. una cum Gallicana Eccleſia, ut ex actis conventus Bituricenſis liquet; una cum Anglicana Henricus VI. Angliæ Rex, ut conſtat ex litteris Eugenii ad eumdem datis Florentiæ anno 1440; una cum Academia Salmaticenſi, ut eſt apud Raynaldum ad cit. annum, Eccleſia Hiſpanica; Hungaria quoque, & Italia, præſertim vero Philippus Maria Vicecomes Dux Mediolanenſis, quamvis Felicis V. gener, ut refert Æneas Silvius tract. de ſitu, & moribus Germaniæ apud Pagium in breviar. hiſt. loc. citato. Felici vero Sabaudiam, Suitenſes, Baſileenſes, Argentinenſes, atque ex Saxonia Caminenſes obediſse refert laudatus Æneas Silvius. Felici obedientiam quoque præſtaſſe Eliſabetham Reginam Hungariæ; eidem pariter favorem impendiſſe Albertum Ducem Bajoariæ, ejuſque partes adiuvaſſe perinde Albertum alterum Auſtriæ Ducem perhibet, qui accuratam horum attexuit hiſtoriam, Auguſtinus Patricius. Regem Aragoniæ, & Siciliæ Alphonſum, Polonos, & Britones nec Eugenio, nec Felici, ſed Concilio Baſileenſi adhæſiſſe teſtantur Æneas Silvius, & Auguſtinus Patricius; Germaniam vero neutralitatem quamdam induiſse. Nam conventu Francofordiæ habito primum anno 1438, ut refert Auguſtinus Patricius cap. 73, ſtatuerunt electores, quod quum varia in dies edicta Pontificis, & Baſileenſium prodire cernerent, ſe decreta alterius partis adverſus alteram non admittere: ſe impenſe colere & Eugenium Pontificem, & Concilium Baſileenſe: interea tamen proteſtari ſe non diſcedere ab obedientia, & reverentia Sedis Apoſtolicæ. In conventu etiam Nurembergenſi actum a Germanis de concordia Pontificem inter, & Baſileenſes, ſed inani exitu. Novus conventus anno 1439. Moguntiæ habitus eſt, in quo Synodi Oratoribus petentibus, ut Synodi decreta ſuſciperentur, Principes, & Cæſaris Orato-

res inſtarunt ex adverſo, ut judicium contra Pontificem ſuſpenderent, ac permitterent Patres Concilium transferri. Rurſus Moguntiæ conventu alio Principum habito anno 1441. menſe Majo, deliberatum fuit pro pace Eccleſiæ congregandum aliud Concilium (quod placitum jam propoſitum fuerat a Carolo VII, & Gallis Proceribus in conventu Bituricenſi anno 1440. celebrato) alio in loco extra Baſileam, & Florentiam; ac poſtremo in conventu Francofordienſi anno 1442. una cum Friderico Imperatore a Principibus in eam itum eſt ſententiam, eſſe celebrandum aliud Concilium, interim in animorum ſuſpenſione Germanis manendum; mittendos eſse Nuncios ad Florentinos Patres, & ad Eugenium Pontificem (qua de re graviter conqueſti ſunt Baſileenſium Oratores, quod ad Felicem V. non miſiſsent quoque Legatos,) qui cunctorum nomine Eugenio, uti Romano Pontifici caput ſubmitterent; Cæſarem vero, ac Principes excuſarent, cur tandiu in neutris partibus hæſiſsent; deinde peterent, ut pro Eccleſiæ pace congregaret in Germania Concilium. Sed & Fridericus Cæſar, quum paulo poſt Baſileam ſe contuliſset, cum Felice egit, ita tamen, ut ei veluti Pontifici obedientiam neutiquam deferret, uti refert Auguſtinus Patricius cap. 131, & ſeqq.

Anno 1447. fatis functo Eugenio, eique ſuffecto Nicolao V, habito eodem anno conventu Lugdunenſi Carolus VII. Galliæ Rex Nicolaum colendum ſtatuit. Eidem conventui interfuere Sabaudiæ Ducis Ludovici Felicis V. filii, Baſileenſium, Principum, & Electorum Germaniæ, Angliæ, & Siciliæ Oratores, decretumque Amedeum Gebennæ commorantem adeundum, ut propoſitis certis pactis ad pacem ipſum adducerent, abdicandumque ſe Pontificatu. Anno eodem 1447. a Friderico Imperatore Principum, & Prælatorum conventu indicto apud Arciasburgium oppidum Diœceſis Moguntinæ, poſt aliquas diſceptationes de Concilio Baſileenſi, tandem eo modo inita concordia eſt, ut quædam quidem decreta Concilii Baſileenſis reciperentur, reliqua tamen omnino rejicerentur. Sed & Fridericus eo in conventu edicto evulgato, quod recitat Raynaldus ad eumdem annum, Germanos juſſit, ut abjecta demum acephalorum fa-

factione, cui Neutralium nomen indiderant, ejuratoque ſchiſmate Baſileenſium Nicolao obedirent, & obſequerentur. Anno ſequenti 1448. pacta conventa a ſuo Legato Johanne Cardinali Carvajale cum Germanis, quæ vocant concordata Germanica circa Beneficia Eccleſiaſtica, Nicolaus rata habuit diplomate dato Kalendis Aprilis anno 1448, quod extat tom. 1. Bullarii Romani, eſtque Nicolai V. conſtit. 1, ubi Typographi errore conſignatur anno 1447. Poſtremo anno 1449. Baſileenſes Lauſanam tranſlati qua precibus, & qua minis Principum, ac præſertim Caroli VII. Galliæ Regis adacti ſunt demum, ut ſchiſmate ejurato in Nicolaum V. jurarent. Felix pro eo, quo optime erga Eccleſiam non minus, quam erga Deum erat affectus animo, quique non inanis gloriæ cauſſa, quandoquidem generoſus potius mundi contemptor Principatum abjecerat, ſed ignorans ſibi a Baſileenſibus inferri vim paſſus fuerat, libere, ac libenter abdicavit ſe ſe die 7. Aprilis, ut ex tabulis abdicationis demonſtrat Raynaldus, non vero die 9, ut alii ſcripſere: quem Nicolaus V. Sabinenſem Cardinalem renuntiavit, Sedis Apoſtolicæ in Sabaudiæ Ducatu Legatum, ac Vicarium perpetuum declaravit, eidem primum in Eccleſia poſt Romanum Pontificem locum conceſſit, indulgens præterea ut habitum, & inſignia Papalia (demptis delatione Euchariſtiæ, Annulo Piſcatoris, Cruce in pedibus, & umbraculo) deferre poſſet. Quid plura? Ad frugem ſe recipientibus quotquot ſchiſmate fuerant implicati, veniam fecit non modo, ſed integra manere ipſis jura, perfrui beneficiis, gradibus ſtare, defungique officiis permiſit. Id totum Nicolaus pacis amator tribus conſtitutionibus una, eademque die 18. Junii anno 1449. perfecit. Legendi Æneas Silvius in hiſt. Concilii Baſile.; Auguſtinus Patricius in hiſt. Baſileen. Concil.; Gullielmus Paradinus lib. 3. Chron. Sabaudiæ; Lambertus Vanderburchius lib. 2. de Sabaudiæ Ducib. in Amedeo VIII; Cæſar Noſtradamus par. 7. hiſt. Provinciæ; Petrus Monodus Soc. Jeſu in lib. inſcripto *Amedeus Pacificus*; Raynaldus, Pagius loc. cit., & alii. Hæc ſumma actorum Concilii Baſileenſis, quanti noſtra hic intereſt.

Ex Concilio ergo Baſileenſi actum (ſed quam perperam, ex dictis, dicendiſque liquido patebit) de ſuprema Pontificum auctori-

ctoritate ejuſdem obtrectatores obganniunt. Scilicet 1. decreta ſeſſ. 4, & 5. Concilii Conſt. intelligenda volunt juxta ſenſum illis a Concilio Baſileenſi attributum; ita ut nedum in Pontifice dubio, ſed etiam in legitimo, & certo locum habeant. Ex illis vero decretis non ſecus, atque ex decretis Concilii ipſius Baſileenſis in ſeſſionibus 2,3,11,12,& 18. palam eſſe pronunciant Concilii generalis auctoritatem Pontificia præpollere. 2. Ab Eugenio IV. Synodum Baſileenſem fuiſſe ad ſeſſ. 16. uſque expreſſe confirmatam, adeoque ſeſſ. 2, 3, 11, & 12. probata decreta de Concilii auctoritate ſupra Papam. Imo ab Eugenio decreta Synodi Baſileenſis ad tempus uſque translationis ejus Ferrariam, adeoque uſque ad ſeſſ. 25. incluſive, fuiſſe approbata plerique pugnant. Id totum ut ſuadeant (uti inter alios Natalis hiſt. Eccl. ad ſæcul XV, & XVI. diſſert. 8; & Boſſuetius def. decl. part. 2. lib. 10.) enituntur ſuadere 1. Concilium Baſileenſe œcumenicum, & legitimum procul dubio fuiſſe ad tempus uſque, quo Ferrariam translatum fuit, quippe quod ab Eugenio approbatum fuerit. 2. Ab Eugenio rata, & legitima habita, & confirmata fuiſſe Baſileenſis Concilii cum exordium, tum continuationem ad uſque ſeſſ. 16. non modo, ſed etiam 25. incluſive ſeſſionem. 3. Sententiam de ſuperiori Concilii poteſtate, ac Pontificia præpote juxta decreta Conſtant., & Baſileenſ. Concilii propugnaſſe eos non modo, qui Felici V, & qui nec Felici, nec Eugenio fuerunt adſtricti, ſed qui Felici nunquam adhæſere, ſed jugiter Eugenio obſecuti ſunt, & obedivere. 4. Quin imo Synodum Baſileenſem etiam, poſtquam ab Eugenio declinavit, & in partes alienas deflexit, a ſchiſmatis labe purgare ſatagunt. Quorum præcipua argumenta ſuis locis referemus, & refellemus; pleraque alia plane elumbia floccifacientes prætermittimus; quibuſque poſtremo ut obviam eamus, ſequentes reſponſiones ſtatuimus. Igitur

℞. 1. Concilium Baſileenſe nec legitimum, nec œcumenicum reputandum fore, tum ob exiguum admodum numerum Epiſcoporum, tum ob denegatam approbationem ab Eugenio IV Pontifice Maximo. Exiguum admodum Epiſcoporum numerum, qui proinde Eccleſiæ univerſæ repræſentandæ non eſſet par, Concilio

lio Baſileenſi in exordio interfuiſſe id ſuadet 1, quod Concilii acta numerum Epiſcoporum non referant, ut Conciliorum moris eſt, quem ſane, ſi non ita exiguus fuiſſet, referre non omiſiſsent, ut ex Patrum numero Synodo præſtantiam conciliarent, tunc præſertim, quum erga Synodum non bene affectum Pontifex ſe præbere cœpiſset. Seſſionibus certe 2, & 3 ſeptem tantum, vel octo Epiſcopos adfuiſse acta ferunt. Eugenius in diplomate, quod incipit *Poſtquam Divina clementia* dato Romæ an. 1431. 2. Idus Februar. pro diſsolvendo Concilio vix inito, & ad Julianum Cardinalem, & præſidem inſcripto, & in diplomate ad univerſos Chriſtifideles dato 15. Kalendas Januarii, quod incipit *Quoniam alto*, perhibet Patres non ſupra decem Baſileam conveniſſe, quamvis tempus præſcriptum ſeptennii ante menſes octo jam elapſum eſſet, ideoque quod pauci admodum, tot tantarumque rerum agendarum moli impares penitus eſsent. Synodus quoque in reſponſione ſynodica data *6*. Idus Novembris an. 1440. faſsa eſt tempore primæ diſsolutionis Prælatos in Concilio numerum 14. non exceſſiſse; eamque numeri parvitatem Concilio objeciſse Eugenium. Plane ſi monumenta temporis illius diligenter expendantur, compertum ibit, ex Italis vix aliquos male feriatos Concilio adhæſiſse, ceteris Eugenio addictiſſimis: ex Hiſpanis, qui Johanni Regi Caſtellæ parebant, primis ſeſſionibus nullos adfuiſse; quum vero adfuerunt, non de Papa Concilio ſubjiciendo, ſed de unitate Eccleſiæ reſtitueda juxta Regis juſsa ſategiſse, fuiſseque ſollicitos, ut refert Rodericus Sanctius poſtea Epiſcopus Palentinus Baſileæ præſens in hiſt. Hiſpan. par. 4. cap. 35. Qui vero Aragoniæ Regi Alphonſo parebant, alternante vice, ideſt juxta quod Rex Papæ obſequens, vel adverſans iret ob diſſidium de Regno Neapolitano, modo Concilio, modo Eugenio affecti, modo pro Papæ, modo pro Concilii præſtantia pugnabant, uti inter alios feciſse Nicolaum de Tudiſco Abbatem vulgo Panormitanum dictum, narrat Ciaconius in breviar. geſtor. ejus inter vitas Pontif., ex quo plane nos in prolegomeno occaſionem nacti ſumus præpoſteram, juxtaque peſſimam vexandi rationem agendi, quam tenuit Panormitanus, de qua proinde denuo nunc dicere non præſtat. Ex Anglis quantum Henricum eorum Rex Eugenio ſe præbue-

buerit æquum, animumque optime affectum prætulerit, perſpectum eſt. Imo in lib. Antiquitat. Britannicar., quem egregiis notis illuſtravit Uſserius, ad annum 1431 narratur, quod quum an. 1430. Oratores Angli ad Eugenium, & Synodum Baſileenſem miſſi rediiſsent, Synodo Londini coacta agi cœptum eſt, utrum Concilio, an Eugenio adhærendum foret; in eaque deliberatum, Concilio abjecto Papæ eſſe omnino adhærendum. Ex Gallis illud ſcimus, quod Clerus Gallicanus juſſu Caroli VII. Avarici Biturigum an. 1431. congregatus Baſileenſe Concilium legitime conveniſſe declaravit, Regique eſt deprecatus, ut ſchiſmati occurreret, Oratoribuſque tum pro ſe, tum pro Eccleſia Gallicana ad Eugenium miſſis rogaret, inſtaret, urgeret, ut Concilium fineret celebrari, id tamen ſummopere cautum, ſacratumque ſemper voluit, ne quid a Concilio nefarie adverſus Summum Pontificem attentaretur. Quum vero a Concilio exauctoratum Eugenium, & Felicem ſuffectum Clerus ibi adhuc congregatus accepiſſet, declaravit ſtante gravi dubitatione, an congregatio Baſileenſis illis diebus ſufficienter repræſentaret Eccleſiam, proinde ſe una cum Rege in obedientia Eugenii manere, rogare interea Eugenium, ut Concilium generale convocaret. Ex quibus illud colligere eſt: ex Gallis paucos Concilio interſuiſſe, nam Bituricis conventum celebrabant: Gallis decreta Baſileenſia de ſuperioritate Concilii undique non fuiſſe probata, ut qui in Pontificem nihil attentari voluere: a Gallis graviter dubitatum de Concilii legitima auctoritate, nam non numero plures fuere Patres, quum Eugenium in jus vocaverunt, quam quum ſupra Eugenium Concilii auctoritatem extulerunt: Gallos peſpectum habuiſſe Pontificii juris eſſe convocare Concilium, id enim Eugenio ſupplicarunt, igitur pariter habuiſſe perſuaſum decretum Concilii, quo Pontificem diſſolvere, vel transferre Concilium non poſſe Baſileenſes ſtatuerant, infirmum fuiſſe; atque infirma perinde, quam quæ venirent in pretium, decreta de ſuprema Concilii poteſtate. Uno verbo Gallos probaſſe quidem Concilium, ac pleraque Concilii placita, non iis vero decretis aſſenſum præbuiſſe, quæ in Pontificiæ auctoritatis everſionem vergerent, ex actis Bituric. conventus oſtenditur. Ex Germanis ad Synodum alternatim unus, vel alter accedebat,

rece-

recedebatque, prout particularia ipſorum, aut ab Imperatore impoſita negotia, aut mandata, aut impendia, id exigebant. Ex Græcis demum nullus acceſſit, quumque advenere Pontifici, non Baſileenſibus adſtipulati ſunt. Igitur ſeſs. 2, & 3 decretis certe, ac ſaltem auctoritas deeſt, quum illis ſeſſionibus numerus ſufficiens Judicum fuerit deſideratus.

Poſt primam equidem cum Eugenio reconciliationem frequentior audire Baſileenſium Synodus cœpit, quandoquidem, ut acta ferunt, in ſeſs. 17, & 18, in qua poſteriori decreta ſeſs. 2, & 3 reſtaurata fuere, centum Præſules cum mitris conſediſse leguntur; at illi Præſules mitra redimiti non omnes erant Epiſcopi, quia plerique aderant Abbates geſtandæ mitræ prærogativa donati, quos libenter Concilium ad augendum numerum cum honore admittebat: exiguus ergo admodum erat vel in illis ſeſſionibus numerus Epiſcoporum. Eſto vero non adeo exiguus concederetur, exiguus tamen quammaxime æſtimandus eſt relate ad ceteros Eccleſiæ Epiſcopos abſentes, ac Concilio non adhærentes, imo adverſantes, ejuſque diris omnibus devoventes audaciam. Sed & ex illo exiguo numero, qui aderant, inter ſe non conveniebant, ſed, ut eorum, qui animo ſemel peſſime afficiuntur, moris eſt, omnia furore agentes contra ſe ſe pugnaciter decertabant. Ita enim diſſenſum præſertim obtinuiſse in ſeſs. 18 perhibent Æneas Silvius in hiſt. Concil. Baſil., Turrecremata in reſponſ. ad Baſileenſes habita in Concil. Florent., & in ſumma de Eccleſ. lib. 2. cap. 100; conſtat etiam ex Ludovico Alemando Cardinali Arelat. decretorum adverſus Pontificem acerrimo, ac præcipuo incentore in orat. habita contra Panormitanum, ubi ad jus dicendum in Concilio inferiores, nempe Preſbyteros admiſſos fuiſse ait, ne omnia Eugenii libidini permitterentur. Admittebantur vero, ait Cabaſsutius in not. Eccleſ. ſæcul. XV. ad Concil. Baſileenſe, ad Synodicas definitiones contra Conciliorum leges gradu quolibet inſigniti Sacerdotes, ut inopiæ Epiſcoporum miſerabilem defectum ſupplerent.

Idem Concilium quominus legitimi, & œcumenici loco habeatur, prohibet quoque Legatorum Pontificis nunc abſentia, nunc diſsenſus. Quandoquidem enim Concilio Pontificem indu-

Digitized by Google

bium, vel per ſe, vel per Legatos ita intereſse, ac præſidere oportet, ut Concilium obtineat, planum fit Concilium Baſileenſe tanquam legitimum non fore reputandum, ſi illi Eugenius, aut ejus Legati non interfuerint, aut ſi interceſserint. At id eſt indubium: nam ut ex ſumma actorum ſupra exhibita conſtat a prima Concilii diſsolutione Julianus Cardinalis Legatus, ac Præſes nomine Eugenii eſse deſiit, ac ſponte etiam præſidendi munus dimiſit ante ſeſs. 2, ut referunt acta, & Pius II. in Bulla retract. Decreta ſeſs. 2, 3, 11, & 12 adornata ſunt, dum nullus adeſset Legatus: quin imo nullus adhuc ab Eugenio miſsus fuerat, nulluſque ea ratione miſsus, quod Concilio adſtipulari Eugenius adhuc detrectaret. Sed imo poſt ſeſs. 12 advenientes Legati a Synodo ad conſeſsum, multoque minus ad præſidendi gradum, admiſſi non ſunt. Poſt ſeſs. 6 efflagitantibus enixe Patribus Cardinalis Julianus Præſidis munus reaſsumpſit equidem, id tamen non ex Eugenii auctoritate proceſſit; idque etiam fecit ea lege, ut ſibi liberum eſset, quum vellet, id munus dimittere; ſed ea ratione id quoque feciſse conjicitur, ut Concilio Pontificem ſubjugaret; quam tamen poſtea ſententiam, ut Æneas Silvius, ita & ipſe facti pœnitens abjecit, ut ſuo loco diximus. Seſs. 18 repetita plane fuere decreta de Concilii ſupra Papam poteſtate; at huic ſeſſioni Legati poſtmodum ab Eugenio miſſi, ac ſeſs. 17 a Concilio admiſſi, ſeſsioni, inquam, 18 non adſtitere, nam, ut ex dicendis patebit, Legatorum quidam tunc abſfuerunt; quidam non ut Legati, ſed ut ſingulares perſonæ, imo vim paſſi ſyngrapham adjecerunt, decretis vero Sedi Apoſtolicæ incommodis pro virili parte obſtitere, non ſecus atque Angli Oratores, ut ex epiſt. Regis Angliæ ad Eugenium, & Eugenii ad illum colligitur. Præterea Legati a Synodo ea lege, qua illos miſerat Pontifex, non fuerunt admiſſi, ſed ea potius conditione, ut auctoritate coactiva carerent, & in Concilii decreta jurarent, quod juramentum nomine tantummodo illos proprio præſtaſse diximus; qua agendi ratione plane Legati ſuo nomine potius, quam Eugenii in Concilio egiſse, & conſediſse videntur.

Quominus iterum a viro cordato, recteque inſtituto Concilium Baſileenſe legitimum reputetur, profecto ea ratio prohibet, quod

quod in ea libera ſuffragia non fuerint. Nec mirum, quandoquidem quum omnia ex furore quodam præcipiti agerentur in Romanum Pontificem, atque ab hominibus qua indoctis, qua multis criminibus prave implicatis, qua partium ſtudiis peſſime afflatis, qua nullo ad id caractere inſignitis, ſuffragia effunderentur, expeterentur, extorquerentur, non mirum, inquam, quod ſicuti pleraque ſuffragia ex defectu ſacri ordinis nulla erant, ita pleraque ex defectu libertatis eſſent illegitima. Teſtes locupletes, liquidoſque horum poſtulo Johannem a Turrecremata loc. cit. a factioſis hominibus decreta proceſſiſſe narrantem; Æneam Silvium in orat. habita anno 1452. ad Auſtrales, & in Bulla retract. referentem in Synodo Baſileenſi inter Epiſcopos ab ſe viſos coquos, & ſtabularios orbis negotia decernentes, atque ab ſe auditos multos doctiſſimos viros, ſanctitate etiam conſpicuos dicentes, *ſcire ſe Baſileenſes Spiritum S. non habere*; Cardinales vero Baſileæ conſiſtentes inimicitias in Eugenium geſſiſſe; Eugenium ipſum, qui in diplomate ad Archiepiſcopum Colonienſem 3. Idus Febr. anno 1431. dato ſcripſit, pleroſque adeſſe Synodo adactos, quibus nec auctoritas, nec libertas erat ſuffragia ferendi; & in Bulla translat. Concilii, quæ incipit *Doctoris gentium*, Baſileenſium quorumdam tyrannidem ob omnium oculos ponens, Johannem Archiepiſcopum, poſtquam minas, ac vim perpeſſus fuiſset, carceri mancipatum, ejuſque procuratorem injuſte probris vexatum, inhoneſteque per capillos ad carcerem raptum refert; poſtremo ambitionem, furorem, audaciam, fraudem, vim, atque violentiam in pſeudo Synodo invaluiſse, & prævaluiſse. Legitimæne, ac in Spiritu S. congregatæ Synodi hæc, cedo, indicia ſunt? Scimus iterum ex illius ævi hiſtoriis ex his, qui Concilii partes primas obtinebant, atque vehementius urgebant, peſſime affectos erga Pontificem fuiſſe. Ex Epiſcopis Mediolanenſem partes Philippi Vicecomitis Eugenio ſubinfenſi ſectantem; Lugdunenſem, alioſque Gallos pragmaticæ ſanctioni ſtudentiſſimos; Aquilejenſem, ob Patriarchatum a Venetis occupatum; Vencienſem, ob denegatum Epiſcopatum Maſſilienſem; alios vel ab Eugenio dignitatibus expoliatos, quod plurium criminum perſonam gererent; vel quia a Synodo ad gradus ſe promovendos ſperarent,

in Eugenium efferatos. Ex Cardinalibus Ludovicum Alemandum Arelatenſem zelo intempeſtivo, ac facile in tranſverſum abituro in Curiam Romanam exarſiſſe; Dominicum Capranicam ob denegatas ſibi infulas ab Eugenio, quas Martinus contulerat, adverſus Pontificem nullum non moviſse lapidem; Cardinalem S. Euſtachii ne dimittere cogeretur præfecturam Comitatuum Avenionenſis, & Venuſini a Synodo ſibi collatam, contra Eugenium turbandis rebus non parum ſtuduiſſe; Cardinalem Julianum excanduiſſe in Eugenium, a quo objurgatum ſe ferebat ægerrime, quod inſcio, & invito Pontifice tum cum hæreticis Bohemis, tum cum Sigiſmundo Imperatore ſe ſe commiſiſſet, ut proinde ſine dedecore re infecta reſilire a negotiatione inita non poſſet, contra ipſum propterea omnem ſuam Synodo operam commodaſſe. Sed & inter ipſos Baſileenſes ſine delectu ad ſuffragia admiſſos cujuſque ordinis presbyteros, imo & inter utroſque jurgia, contentiones, & ingentes animorum æſtus viguiſſe jam vidimus: unde Æneas Silvius in oratione ad Auſtrales jure dixit: *Quæ fiunt extra ordinem, intempeſtive, temere, tumultuarie, neque jus pariunt, neque vim conſuetudinis afferunt*; & Cardinalis Nicolaus Albergatus Beatorum faſtis dein adſcriptus, referente Sigonio in ejus vita cap. 13, quum audiſset, quæ in deſpicatum Apoſtolicæ Sedis Baſileenſes attentaſsent, & decreviſsent, zelo exarſit, aſperrime eorum audaciam objurgavit, atque ut in auctoritate Summi Pontificis permanerent, graviſſimis verbis admonuit: imo ex ipſiſmet jampridem Eugenio infenſis, infeſtiſque, uti Julianus Cardinalis &c. geſtorum a Synodo horrore perculſi, ſeque demum ad frugem recipientes, illam Satanæ ſynagogam animo deteſtati diris cunctis devoverunt. Quid plura? Gregorius ipſe Corrarius in orat. ad Sigiſmundum Imperat. pro Synodo Baſileen. Concilium cauſsa cecidiſse conſpiciens, *Ideo*, inquit, *mea ſemper fuit opinio ſummam rerum in Romano Pontifice reſidere...., qui in illa ſede collocantur, dejici nequeunt, etiamſi peſſimi eſsent, ſine maxima totius Eccleſiæ vexatione*.

Ex odio in Pontificem agebant Baſileæ Epiſcopi non modo, ſed ut agerent a ſæculi Poteſtatibus ſtimulis agitabantur: ita a Philippo Maria Viſecomite Mediolanenſium Duce in Eugenium

exa-

exaſperato, quod hic occupatas a Venetis urbes quaſdam, quas ille ſui juris contendebat, probaſset, teſte S. Antonino 3. part. tit. 22. cap. 11. §. 17.: ita ab Alphonſo Rege Aragoniæ, quod timeret Eugenium Renato potius Ludovici Andegavenſis fratri, quam ſibi tranſdediturum Neapolitanum Regnum, cui ipſe inhiabat, defuncta Johanna II., quæ Renatum ab ſe adoptatum hæredem teſtamento reliquerat. Eugenii partes Carolo Galliarum Regi, aliiſque Principibus non admodum acceptæ erant; neque eidem Pontifici ſatis primitus ſe æquum præbuerat Sigiſmundus Imperator: quorum Patrocinio ſuffulti Baſileenſes nihil in Eugenium non audebant. Quapropter jure optimo Sigiſmundus Imperator illudConcilium uti ſchiſmaticorum conventum habuit, cui quia aliquando communicaverat, ut a cenſuris, quas incurrerat, abſolveretur petiit, quem exaudivit Eugenius. Henricus Angliæ Rex idem eſt execratus, ab illo tempora Antichriſti induci dicens. Pius II. in Bulla retract. audiviſſe refert multos doctiſſimos, ac pientiſſimos viros dicentes *ſcire ſe Baſileenſes Spiritum S. non habere*. S. Antoninus loc. cit. cap. 10. §. 4. Concilium Baſileenſe Synodum *viribus caſsam*; *ſynagogam Satanæ*, *temerarium*, *ac præſumptuoſum* conventum nuncupat. S. Johannes a Capiſtrano lib. de Papæ, & Concil. auctor. par. 3. appellavit Synodum *Profanam*, *excommunicatam*, *interdictam*, *baſiliſcorum ſpeluncam*, *Dæmonum catervam*. Petrus Epiſcopus Meldenſis Caroli VII. ad Eugenium Orator apud Raynaldum ad annum 1441. *veſanam* inſcripſit. Concilium celebratum primo Ferrariæ in ſeſs. 2. habita die 15. Febr. anno 1438. præſidente Eugenio, & præſentibus 72. Epiſcopis Baſileenſes in ſchiſmate obfirmatos diris cunctis devovit, atque acta eorumdem abrogavit; Florentiæ poſtea celebratum in ſeſs. 27. habita anno 1439. pridie nonas Septembris decretum Ferrariæ die 15. Febr. editum adverſus Baſileenſes inſtaurans, decreta a Baſileenſibus vulgata damnavit, præter mentem Concilii Conſt. a Baſileenſibus interpretata fuiſse declarans, eademque appellavit *impia*, *ſcandaloſa*, *in manifeſtam Eccleſiæ ſciſsuram*, *ac omnis Eccleſiaſtici ordinis confuſionem* vergentia. Legenda conſtitutio ea in ſeſs. edita, quæ incipit *Moyſes*, in qua plane conſtitutione Baſileenſes nuncupat *perdi-*

tiſſi-

tiſſimos, ſcandalorum duces &c. ita ut ad Baſileenſe *latrocinium totius orbis Dæmonia confluxiſſe* viderentur. Diſplicent adverſarii s noſtris hujuſmodi commata, at potius ipſis diſplicendum fuerat tanta a Baſileenſibus, tantoque flagitio in Eugenium fuiſse attentata. Concilium denique Lateran. V., de quo infra, ſeſs. 11. Synodum Baſileenſem uti *Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, ac nullius auctoritatis* habuit, & exhorruit. Hæc qui tenet, qua tandem fieri ratione poterit, ut Concilium Baſileenſe legitimi, atque œcumenici loco accipiendum eſse exiſtimet? Ab eo decreta exornata fidem noſtram obligandi vim obtinere audeat dicere, ex eoque Pontificum ſupremæ auctoritati quam perperam, tam impudenter detrahente ullum argumentum extundere non erubeſcat? Hocce argumenti genus egregie pertractavit vir clariſs. Lucas Holſtenius, cui plane ſatis non fecit Natalis, cuique ut ſatisfaceret, plura congeſſit nec vera, nec recta.

Neque vero, quod ſecundo loco oſtendendum ſupereſt, quodque vehementiſſime adverſarii urgent, neque, inquam, Concilium Baſileenſe œcumenicum, & legitimum eſt reputandum ex eo, quod Eugenius Pontifex illi uti legitimo animum ſuum, & aſſenſum adjunxerit. Duo hic obtrudunt adverſarii, Natalis præſertim, & Boſſuetius 1. Synodum Baſileenſem ab Eugenio fuiſſe ad ſeſſionem uſque 16. expreſſe confirmatam, adeoque legitimam, atque ſeſſionis quoque 2, 3, 11, & 12 decreta de auctoritate Concilii ſupra Papam approbata: idque ſuadere nituntur. 1. Quia Eugenius Concilium Baſileenſe conſtit. *Dudum ſacrum*, generale, legitime inchoatum, & legitime continuatum pro extirpatione hæreſum, pro pace populi Chriſtiani, & pro reformatione Eccleſiæ in Capite, & in membris: illudque Concilium, atque in eo repræſentatam Eccleſiam univerſam pure, & ſimpliciter, & cum affectu, & omni devotione, & favore ſe proſsequi declaravit. Igitur Eugenius Concilii quoque decreta uſque ad ſeſs. 16. edita, ceu ab univerſali Concilio, & legitimo edita agnovit, & approbavit. 2. Quia eadem conſtit. *Dudum* tres Bullas *Inſcrutabilis*; *In Arcano*; *& Deus novit*, quibus tum Concilium diſſolverat, & tranſtulerat, tum quæcumque a Concilio Baſileæ poſt diſſolutionem geſta fuerant, & quidem ſpecia-

tim

tim ea, quæ ſtatuta de ſe, & contra ſe eſſent, atque expreſſe decreta ſeſs. 12. in irritum miſerat; tres, inquam, illas Bullas revocavit, retractavit, ac reſcidit, non ſecus ac quidquid ab ſe, vel ſuo nomine in præjudicium, aut derogationem prædicti ſacri Concilii Baſileenſis, ſeu contra ejus auctoritatem factum, & aſſertum fuiſset. Igitur ſacra, & integra eſse omnino voluit decreta omnia a Concilio Baſileenſi ad ſeſs. 16. uſque adornata. Ad hæc, ajunt, nulla alia præterea confirmatio Romani Pontificis ad Concilii œcumenici auctoritatem comprobandam neceſsaria eſt, quam ipſius cum Synodo conſenſio, ut colligitur ex S. Cyrillo Alex. in epiſt. ad Acacium Melitin. de Sixto III. ſcribente, quod Concilium Epheſinum una cum Epiſcopis confirmavit, & conſenſit; & epiſt. S. Leonis ad Synodum Chalcedon. 61, vel 87. in edit. Queſnelli: at Eugenius Concilio Baſileenſi conſenſit; igitur &c. Obtrudunt 2. decreta Synodi Baſileenſis ad tempus uſque translationis ejus a ſe factæ Ferrariam ab Eugenio fuiſſe admiſſa, adeoque nedum decreta ſeſs. 2, 3, 11, & 12, ſed etiam ſeſs. 18, in qua redintegrata fuere decreta Conſtantienſia ſeſs. 4, & 5, & Baſileen. ſeſs. 2, 3, 11, & 12; quandoquidem nonniſi ſeſs. 25. Eugenius conſtitutione *Doctoris gentium* Concilium Ferrariam tranſtulit, & Baſileæ diſſolvit. Id vero ſuadere non verentur ex litteris Eugenii ad Epiſcopos Leodienſem, & Bononienſem, & ad Johannem Carvajalem Cameræ Apoſtolicæ Auditorem, & Nicolaum Cuſanum Archidiac. Leodienſem Sedis Apoſtol. Nuncios in Germania datis Romæ 11. Kalendas Auguſt. an. 1446, quas deſcribit Raynaldus, quibus una cum Conſtantienſi Baſileenſe Concilium ab ejus initio uſque ad translationem Ferrariam cum omni reverentia, & devotione ſe admittere, colere, & amplecti profitetur. Quum tamen expreſſis verbis illis in litteris ajat Eugenius: *Abſque tamen præjudicio juris, dignitatis, & præeminentiæ ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ac poteſtatis ſibi, & in eadem canonice ſedenti in perſona B. Betri a Chriſto conceſsæ*. Quocirca

℞. 2. nihil ex Eugenii conſtitutionibus, litteris &c. exculpi poſſe, quo Concilio Baſileenſi, ejuſque decretis auctoritas vindicetur: quinimo ex Eugenii dictis, factiſque apertiſſime conficitur Concilii Baſileenſis auctoritatem, & decreta nedum ipſum non appro-

approbaſse, ſed imo reprobaſſe, ac reſpuiſſe. Atque 1. quidem obſerves velim (mirari enim etiam,atque etiam ſat eſt,iſta obtrudi a Pontificum obtrectatoribus, ſed incaute ſane, & inſcite) obſerves, inquam, velim, quod Synodus Baſileenſis inter fidei capita habuit Concilium Pontifici ſupereſse, ita enim regeritur in reſponſ. Synodali, quæ incipit *Rem graviſſimam*, & in reſponſ. Synodali data Principum Oratoribus anno 1439, quæ incipit: *Audiat veſtra Charitas*, ubi inter alia habetur: *Hic articulus*, ſcilicet de poteſtate Concilii ſupra Papam, *fidem concernit*, *qui ſine interitu ſalutis negligi non poteſt*: *malumus mori*, *quam tanto errori per ignaviam cedere*. At vero ex tota diſsertationis noſtræ ſerie palam eſt, quantum abs vero aberret procul, qui hunc articulum inter fidei articulos recenſeat: imo Eugenius in diplom. ad univerſos Chriſtifideles, & in diplomate ad Franciſcum Foſcarenum Venetorum Ducem apud Raynaldum ad an. 1433. prope de fide eſse adfirmavit Pontificem eſse ſupra Concilium, nam ait, *Contra ſentire non eſse procul ab hæreſi*, *velle ligare manus Vicarii Chriſti* &c. Integrum locum mox proferemus. A quam hic adverſariis hærere oportet: ſi enim de fide decreta Baſileenſia dicant, improbare debent dicta Eugenii: ſi dicta Eugenii explodunt, quid demum ex Eugenii decretis Baſileenſi Concilio auctoritatem conciliant? At rurſus ſi ex Eugenii decretis Baſileenſis Concilii auctoritatem non conſtabiliant, actum de eo Concilio agnoſcunt. At vero utrumque adſtruere auſus eſt Boſsuetius, qui primo loc. cit. lib. 10, cap. 3. poſtquam ex Eugenii diplomate (ſuppoſititio ſcilicet, quod incipit *Deus novit*, quam notam diſſimulavit Boſsuetius) verba hæc retuliſset, quibus Synodum Baſileenſem ſugillat: *Sacrilegum igitur a nobis poſtulant* (Baſileenſes) *& hæreticum*, *ut declarare velimus retroactis temporibus Baſileæ continue fuiſse Concilium*, *quum poſt noſtram diſſolutionem ſine noſtris præſidentibus regulare non facerent Concilium*, *quia eorum dicta*, *geſta*, *& facta omnia contra divina jura pariter*, *& humana perperam ſunt confecta*, ... *quæ adeo ſunt minus bene compoſita*, *ut etiamſi ab habentibus poteſtatem promulgata fuiſſent*, *eſsent irritatione*, *annullatione*, *& revocatione digniſſima*; poſtquam, inquam, hæc Eugenii verba retuliſset, ſubdit Boſſue-

njetius: *At hæc, Eugenio teſte annullatione, & revocatione digniſſima firmavit Eugenius*: (conſt. ſcilicet *Dudum ſacrum*) *hæc ab hæreſi non longæva Eugenius ſanxit: hæc ſacrilega, & hæretica, nempe retroactis temporibus Baſileæ fuiſſe Concilium, Eugenius amplexus eſt; atque in œcumenica Synodo Bulla edita declaravit*. Exhorreſcit oculus hæc in Boſsuetio legere: exhorreſcunt aures hæc a Boſsuetio audire. Non eſt ſane Eugenii mentem aſsecutus, & ſenſum: ex hiſce enim, & antecedentibus, quæ infra dabimus, aliiſque Eugenii effatis palam conficiemus mox Eugenium longe abfuiſse a confirmandis decretis Baſileenſibus ſeſs.2,3,11,12, & 18; atque rite modo colligimus abſque Eugenii auctoritate, & præſidentibus ab eo miſſis non potuiſse legitimum Concilium Baſileæ celebrari. Poſtea vero idem Boſsuetius eodem lib.10. cap.19. Concilii Conſt., & Baſileenſ. decretis, & Gerſonii doctrina ſuffultus inter fidei dogmata reponit,quod Concilium poteſtate Papæ ſupereſt. Nam, ut in tota diſsert. a nobis dicta omittamus, Gerſonius ſuus ille in pravos ſenſus, ac præpoſteros abiit; SS. Thomæ; & Bonaventuræ ſenſum, quos pro ſe allegat, non fuit aſsecutus, Gerſonius ipſe rurſus uti Theologicam quæſtionem propoſuit, atque etiam poſt Concilium Conſtantienſe ab aliis Theologis contrarium impune doceri faſsus eſt; atque una cum Gerſonio Jacobus de Paradiſo laudatus a Boſsuetio cap. 15. a Theologis plerisque etiam poſt Concilium Conſtantienſe uti hæreticos habitos fuiſse teſtatus eſt, qui Pontificem Concilio ſubjugarent.

Obſerves 2., quod ex confirmatione Concilii facta ab Eugenio invictiſſimum,atque ferme unicum depromunt adverſarii argumentum ad Concilii Baſileenſis adſtruendam auctoritatem: qui interea tamen negant contra Turrecrematam, Jacobatium, Bellarminum, & alios Pontificiæ auctoritatis aſſertores ex ea confirmatione probari Pontificem Concilio eſſe ſuperiorem; ſiquidem Concilio œcumenico independenter a Pontificis acceſſione, & aſſenſu auctoritatem veluti a Spiritu Sancto acceptam adſciſcunt. At oppido a veritate procul aberrant. Abſque Pontifice, uti Capite Concilium quum acephalum ſit, non eſt legitimum Concilium, nec in Spiritu Sancto congregatum, nec Eccleſiam univerſam repræſentans. Præterea Concilium Baſileenſe ſe non

indigere Pontificis approbatione edixit, ſed potius ſibi parendum a Pontifice: volunt ne adverſarii hanc propoſitionem ab Eugenio fuiſſe approbatam, & confirmatam? Poſtremo ſi Concilium illud approbari non indiguit, neque indigere ſe dixit, atque, etiamſi defuerit approbatio ' Concilium œcumenicum eſſe non deſieri, nec deſieri habere auctoritatem a Chriſto, & congregatum eſſe in Spiritu Sancto, ut adverſarii jactant; quorſum ergo Concilio illi ab Eugenii approbatione auctoritatem arceſcunt, ac robur adjiciunt? At ſi ſemel approbatum non fuiſſe, vel non fuiſse approbandum concedant, ſtatim reponimus: vah tale Concilium acephalum, ac illegitimum, quemadmodum pſeudo-Synodos Epheſinam, Quiniſextam, Ariminenſem &c.! Obſerves 3. quod Concilium Baſileenſe nequiviſſe Pontificem Concilium Baſilea diſſolvere, atque aliò transferre declaravit; atque quidem, ut opportune animadvertit Clariſſ. P. Orſius de auct. Rom. Pont. lib. 6, id ea ratione decrevit, quod ſi ſemel id facere Eugenio permiſiſſet Concilium, actum ſtatim fuiſſet de attentatis a Concilio in ipſum Pontificem, ſupereſſe enim Concilio Pontificem conſequens fuiſſet; at ſupra Papam ſe erigere Concilium ambiebat, nec in eum animadvertere valuiſſet amplius, quod moliebatur. At id, ſodes, veri eſt ne ſimile? Idne probatum Eugenio, placitumque? Sed quandoquidem Eugenius tandem Concilium revera Baſilea primo Ferrariam tranſtulit, proſtremo Florentiam; quæro, rite ne tranſtulit? Hæret hic rurſum adverſariis aqua. Si affirment; vicit ergo Eugenius, Concilio ivit ſuperior; idque probe cognovisse oportet Concilium; idque perinde cognoſcere oportet adverſarios, qui ultro citroque fatentur (& quare fateri non cogantur?) a tempore translationis Ferrariam factæ Concilium Baſileenſe œcumenicum, & legitimum amplius non audiviſſe. Si autem pernegent; ergo Concilium Florentinum illegitimum fuit: ergo legitimum adhuc fuit Baſileenſe poſt tam nefaria in Eugenium attentata: ergo ſicut diſsolvi, & transferri ab Eugenio nequivit, neque ab Eugenio approbari indiguit. Quæ affatim omnia adverſarii non admittent, ſi bonus, & ſanus eſt ſenſus.

Obſerves 4. quod de Concilii Florentini, atque etiam Latera-

teranenſis V. auctoritate ſibi admodum incommoda dubitant adverſarii, ea ratione, quod conventus Bituricenſis Concilium Baſileenſe pro legitimo habuerit, non item congregationem Ferrarienſem, & Regio edicto dato Turonibus die 23. Januarii anno 1437. Carolus VII. Regni Prælatis, ne Ferrariam ad Concilium ſe conferrent, prohibuerit; demum quod Carolus Cardinalis a Lotharingia in epiſt. ad Johannem Britonem ſecretarium ſuum Romæ agentem, ac cum Pio IV. communicanda, ſcripſerit in Gallia Concilium Baſileenſe admitti, Florentinum vero pro legitimo non haberi. Concilium quoque Lateranenſe V. fuiſſe œcumenicum ambigunt, quove demum loco an Generalis, an Provincialis magis illud habeant moroſiores homines ſuſpenſi hærent ea ratione, quod ex ſolis 89. Epiſcopis maximam partem Italis conſtarit; atque Eccleſia Gallicana, & Academia Pariſienſis œcumenici nomine illud minime inſcripſerint. Porro nihil adverſariis ſolemnius, ſacratiuſque, quam ſive opportune, ſive importune Gallicanæ Eccleſiæ opiniones oggerere, & opponere: id ab ipſis perperam, id præpoſtere fieri ſuo loco oſtendemus. Interea Concilia iſta in dubium revocant, iccirco, quod illis Gallicani Antiſtites non adfuerint: (etſi defuiſſe aliquos non negarint.) At vero id ne ſat eſt, ut Concilium iccirco œcumenicum non ſit, ejuſque Eccleſiæ defectum ſupplere Pontificis Romani præſentia non poſſit? Concilio Nicæno II. refragatum eſt olim Concilium Francofordienſe ex Germanis, & Gallis conflatum: fuit ne Francofordienſi Concilio potior conventus Bituricenſis auctoritas? At illud non obfuit, quominus Nicænum II. abſolutiſſime œcumenicum audiat, nec iſte igitur oberit, quominus Florentino, & Lateranenſi V. ſua ſtet auctoritas. Præterea Baſileenſe, quamvis ex longe minori Epiſcoporum numero coaluerit, eique perpauci ex Gallis, tunc Bituris congregatis, interfuerint, attamen œcumenicum, & legitimum ipſis eſt, eo potiſſimum, quod illud firmaverit Eugenius, & Concilium vero Florentinum, cui Latini, & Græci magno numero; & Lateranenſe, cui non exiguo numero Epiſcopi præſto fuere, quibuſque adfuit, & præfuit, quæque approbavit, & confimavit, cum Eugenius IV, tum Leo X., rentur tamen ne legitimi, & œcumenici habenda loco ſint:

Digitized by Google

Næ ſanctum, & legitimum eſt, quod volunt, profanum, ac ſpurium, quod nolunt. Sed de hocce argumento rurſus ſuo loco, quo hujuſce faſtidii delicatioris hominibus faciemus ſatis.

Obſerves 5., quod Concilium Baſileenſe declaravit (ita ſcilicet ſua ſummopere intererat) abſque Concilii conſenſu non poſſe a Pontifice Concilium ſemel coactum transferri, aut diſſolvi. Verum, cedo, ne hoc? Vero verius ajunt adverſarii, quia Concilium in Spiritu Sancto congregatum univerſam repræſentat Eccleſiam, poteſtatem habet a Chriſto, atque errare in fide nequit: unde Patres, ipſique Pontifices Conciliis ita congregatis non ſecus, ac ſacræ Scripturæ nihil non impendendum dixerunt obſequii; decreta ſiquidem in iis edita potius, quam Epiſcopis, Spiritui Sancto adjudicanda ſunt, juxta illud: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & Nobis* &c. Hæc frequenter in ore habentes vehementer oppido hallucinantur adverſarii, ſe ſeque irridendos profecto Theologo accurato propinant. Eccleſia ex membris, & capite coaleſcit, utque a Concilio rite, & legitime Eccleſia repræſentetur, ex Epiſcopis, & Romano Pontifice debet conflari: ſi ergo abſit Pontifex, vel conſenſum deneget, non Concilium eſt, non in Spiritu Sancto legitime congregatum, non indefectibile, non illud a Patribus, & Pontificibus honore, & obſequio omni exceptum. Ecce lapidem offenſionis, & petram ſcandali! Ergo ut Pontificis Concilio præſentia, aut probatio interveniat, neceſſe eſt: Pontificiæ ergo poteſtatis eſt Concilium ſicut indicere, & cogere, ſic diſſolvere, & transferre. Quandoquidem enim ſi Concilium invito, & contradicente Pontifice congregaretur, ex defectu Pontificiæ adhæſionis illegitimum evaderet; ita ſi Concilium invito, ac obnitente Pontifice continuatur, ex defectu aſſenſus ejuſdem Pontificis [qui diſsenſus exinde adparet, quod Pontifex Concilium traſtulerit, aut diſsolverit] acephalum, illegitimum, & caſſum continuo evadit. Non verum eſt igitur, quod Baſileenſes, quod adverſarii contendunt, a Papa Concilium diſſolvi, ac transferri non poſſe. Sed enim Eugenius hanc illorum propoſitionem probavit ne? non profecto; nam Concilium poſtea diſsolvit, & Ferrariam tranſtulit: hanc vero translationem adverſarii in Eugenio probant; nam illam poſt traslationem

Baſi-

Baſileenſe Concilium probare non audent; idem vero Concilium uſque ad translationem illam legitimum volunt, quia hactenus illud probaverat Eugenius. Igitur vel ipſorum ſententia ab Eugenii probatione, aut reprobatione integra Concilio Baſileenſi manet, aut concidit auctoritas. Quorſum ergo vel Eugenii probationem neceſſariam inficiantur, vel ab Eugenio probata indiſcriminatim Baſileenſia decreta pertendunt; quum eadem ab Eugenio probari nullo modo potuerint, quin adverſa ad invicem diceret, ageret, & probaret Pontifex, quin, & ſibi adverſantia a Baſileenſibus ſtatuta, decreta, & aſſerta dicantur?

Mirari igitur valde ſubit, quod adverſarii Coucilium Baſileenſe legitimum, & œcumenicum ea potiſſimum ratione agant, quæ ſi rei veritate conſtaret, hinc optimum ſane argumentum extunderent, quod illud Eugenius approbaverit conſtitut. *Ad S. Petri Sedem*, & conſt. *Dudum*, nec non litteris ad ſuos Nuncios in Germania. Probavit? ergo ſi non probavit, illegitimum plane ceſſit. (At non probavit, ut mox palam fiet.) At Baſileenſes, Conciliique Baſileenſis adſertores, & vindices Eugenii approbatione Concilium non indiguiſſe ajunt, ab Eugenio potius Concilio parendum fuiſſe: hanc propoſitionem putant ne Eugenio fuiſſe ſatis probatam? Si negant, cur decreta ſeſs. 2, 3, 11, 12, 18. probata ab Eugenio affirmant, quum a decretis illis nonniſi ea doctrina tradatur? (Sed improbavit conſtit. præſertim *Inſcrutabilis*, & *In arcano*, ut mox dicemus.) Si affirmant, quorſum ergo Concilium uti legitimum, ejuſdemque decreta ſeſs. 2, 3. &c. uti firma propugnant, eo potiſſimum, quod Eugenius ea probaverit, atque adeo ut tranſlato Ferrariam Concilio, quod ſcilicet Eugenii approbatio ſubtracta fuerit, tum legitimum eſſe deſierit, ac infirma ejus decreta evaſerint? Denique Concilium Baſileenſe præſertim poſt translationem non amplius Concilium fuiſſe appellandum, ſed potius conventiculum declaravit Leo X. in Concilio Later. V. ſeſs. 11. conſtit. *Paſtor æternus*, de qua infra. Ad hæc quid adverſarii? Hiſce igitur animadverſis agedum ſenſum Eugenii introſpiciamus, tentemuſque, ut aſſequamur.

Reſpondeo 3. Nihil, inquam, ex Eugenii dictis, aut ſcriptis, ac geſtis extundi poſſe, quo Concilio Baſileenſi, ejuſque decre-

tis

tis auctoritas vindicetur: quinimo ex dictis, ſcriptis, ac geſtis Eugenii oſtendere eſt nil minus approbaſſe illum, quam Baſileenſe Concilium: nil magis improbaſse, quam Concilii Baſileenſis in ſeſs. 2, 3, 11, 12, 18. adverſus Pontificis auctoritatem vulgata decreta. Macti animo id bono in lumine collocemus, ſubque oculos ſubjiciamus. Verum enim vero conſtitutionem *Dudum ſacrum* &c., qua Eugenius Concilium, quod jampridem ab ſe diſſolutum conſtit. *Inſcrutabilis*, & *In arcano* declaraverat, uti legitime inchoatum, & legitime continuatum poſtea denuntiavit, revocatis conſtitut. prælaudatis *Inſcrutabilis*, & *In arcano*, conſtitutionem, inquam, quæ incipit *Dudum ſacrum Baſileenſe Concilium* metu, vi, ac minis ab ipſo extortam fuiſse tradunt Johannes de Turrecremata lib. 2. de Eccleſ. cap. 100., Spondanus, & Raynaldus ad annum 1433., imo ex Calviniſtis ipſe met Jacobus Lenfantius hiſt. Concilii Baſil. lib. 17. num. 29. Nempe ærumnis, & morbo conficiebatur Eugenius: ſchiſma in Eccleſia conflatum iri conſpiciebat: Romæ Martini V. deceſſoris Nepotes in ipſum ſeditiones, & oppreſſiones moliebantur, conflatoque exercitu in Pontificem conjurabant: Romanum agrum depopulabatur, & armis divexabat Philippus M. Dux Mediolanenſis, ipſique Pontifici inſidias, & laqueos tetenderat, & paraverat. Alphonſus Rex Aragoniæ ei admodum erat infenſus, moleſtiasque inferebat. Sigiſmundus, Carolus VII., Burgundiæ, & Sabaudiæ Duces qua litteris, & qua Oratoribus, ut Baſileæ Concilium ſineret conſedere, & continuari, urgebant, & inſtabant. Veneti Oratores, imo & Cardinales minabantur, quod niſi a Concilii diſſolvendi conſilio decederet, & conſtitutiones diſſolutionis revocaret, ab ipſo ſolo relicto recederent. Ex Cardinalibus plurimi, ut ſupra diximus, inter quos Julianus, Arelatenſis, S. Euſtachii, Capranica &c. ipſi animo peſſime erant affecti, inque adverſas partes abierant. Academiæ Pariſienſis, Viennenſis, Colonienſis, Erfordienſis, Cracovienſis &c. adverſus ipſius auctoritatem conſilia Baſileenſibus præbebant, operamque ſuam omnem præſtabant, &c. Quid ageret his in anguſtiis conſtitutus optimus Pontifex? Id plane egit, quod cum Arrianis, & Conſtantio in cauſſa formulæ Sirmienſis egerat Liberius, a cujus imo culpa immunis extitit: quod cum

cum Græcis, ac Imperatore Juſtiniano in cauſſa trium Capitulorum egerat Vigilius: quod in cauſſa Inveſtiturarum cum Henrico V. Imp., & Germanis egerat Paſchalis II: quod in cauſſa Arrianorum cum Conſtantio egerant Patres Synodi Ariminenſis; ſcilicet egit, non ex ſententia, ſed ex metu, vi, & minis, ægerrime, moleſte, invite, imo inſcie egit, quod ita egiſse conjicitur quoque tum ex dictis, & ſcriptis mox laudandis, quibus quam alienus a decretis Baſilcenſibus fuerit Eugenius pateſcet; tum ex conſtitutione *Deus novit* ipſi ſuppoſita, ut quam ſuam non fuiſſe dixit Eugenius, & aliis litteris apologeticis, quibus Eugenii defenſio ab amicis ſuſcipiebatur, quibuſque affirmabatur laudatam conſtitutionem *Dudum* ab Eugenio morbo, & ærumnis ita confecto profectam, ut quid in ea contineretur plane, ac ſatis certior factus non fuerit. Ergo ita metu, vi, ac minis extorta, ſeu emanata ſententia nihili habenda eſt, nihilque ex ea extundendum: *Non eſt cenſenda*, inquiebat S. Athanaſius in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, *ejus ſententia; quam minæ, & terrores extorſerunt, ſed ea, quam protulit, quum liberos haberet affectus*. Verum ne videamur deſperatæ cauſſæ deſperatum fulcimentum adhibere, & infirmum patrocinium quærere, quo afflicto, fatiſcentique Pontifici opem feramus; magis autem ne Eugenium vindicantes in Eugenium peccemus, animi ejus fortitudinem ludibrio permittentes; maxime autem, quia etſi is œconomiæ cauſsa indulſerit aliquid, nihil tamen veritati detractum voluit, nec ſane debuit, quin imo acerrimum ſe vindicem præbuit; propterea

℞. 4. Eugenium Concilii diſſolutionem revocando, Concilium legitime inchoatum, & continuatum declarando nullatenus decreta Pontificis ſupremam poteſtatem deprimentia confirmaſſe. Nam 1. aliud eſt Concilium legitimum appellare, aliud eſt Concilii decreta approbare. Sed eſto aliqua approbarit, puta decreta adverſus errores Bohemorum; aliud ſane eſt aliqua, aliud omnia approbare: at omnia approbare nec debuit, nec potuit, nec voluit. Concilia ſane Conſtantinop. I, Chalcedonenſe, & Conſtantienſe legitimis adnumerata ſunt, nec tamen SS. Leo, Pelagius, Gregorius, Nicolaus I, & Leo IX. canonem 3. Concilii Conſtantinopolitani in Chalcedonenſi reſtauratum, quo poſt

Ro-

Romanum Pontificem Conſtantinopolitano Patriarchæ priores honoris partes tribuebantur, firmum voluerunt, imo potius infirmarunt, ut conſtat ex epiſt. S. Leonis 51. ad Anatolium Conſtantinopol. Epiſcopum, & 32. ad Pulcheriam Auguſtam; ex S. Gregorii lib. 6. epiſt. 31. ad Eulogium Alexand., & Nicolaum Antiochenum; ex S. Nicolai epiſt. ad Michaelem Imp., quæ incipit *Propoſueramus*; & ex S. Leonis IX. epiſt. 1, & 6. ad Michaelem Conſtantinop. Quamvis ab Innocentio III. in Concil. Later. IV. pacis cauſsa fuerit poſtmodum canon ille probatus, qui refertur cap. *Antiqua* de Privilegiis. Nec a Martino V. Conſtantienſia decreta omnia firmata fuere, ſed ea tantum, quæ conciliariter facta fuerant. Pari ratione ergo, & potiori Eugenius Baſileenſe Concilium legitimum potuit appellare, quin pronunciaret omnia illius decreta legitime facta fuiſse, ſeu conciliariter, & quamvis conciliariter facta fuiſsent, quod ſupra pernegavimus, potuit non approbare. 2. Eugenius Concilium Baſileenſe legitimum pronunciavit, atque ejuſdem diſsolutionem poſthabuit ea lege, & conditione gemina, tum ut ſui Legati ad Concilii præſidentiam admitterentur, tum ut acta omnia & attentata contra auctoritatem Sedis Apoſtolicæ a Concilio reſcinderentur. Ita teſtatur Johannes de Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 100. his verbis: *Data promiſſione a Synodo, & ſecuritate a Principibus, quod Apoſtolicæ Sedis honor, & Sanctitatis ſuæ illibatus ſervaretur, mutavit ſententiam, & voluit diſſolutionem factam pro bono pacis Eccleſiæ nullam habere, nec habuiſſe firmitatem, revocans illam, ac irritans*. Ita teſtantur acta ſeſſ. 12. referentia, quod in Synodo admiſſi, & auditi Eugenii Nuncii Johannes Mella, & duo Abbates Baſileenſibus expoſuere, potuiſse Papam Concilium diſsolvere, & transferre, placere tamen pacis cauſsa aliquid de jure ſuo relaxare, ac proinde decreta contra Patres promulgata abrogaturum Eugenium, dummodo Patres decreta Sedis Apoſtolicæ poteſtati contraria abolerent. Imo jam poſt ſeſs. 5. Andreas Coloſsenſis, & Johannes Tarentinus Eugenii Nuncii Eugenii nomine Synodo expoſuerant: Papam Concilium ſicut congregare, ſic transferre, & diſsolvere poſse: Papæ Concilium, non e converſo Concilio Papam eſse obnoxium, ut referunt acta. Præterea

rea

rea duabus conſtitutionibus *Inſcrutabilis*, & *In Arcano*, quibus Concilium diſsolverat, declaraverat plane decreta adverſus Pontificis auctoritatem edita irrita eſse, & nulla, ac ſibi poſtremam, ſuperioremque poteſtatem adſeruerat: putas ne vero, quum has Bullas revocavit, revocaſse ſententiam, ac doctrinam? Minime gentium, ſed revocavit dumtaxat quoad Concilii diſsolutionem, quam decernebant. Duas vero conſtitutiones edidit Eugenius alteram, quæ incipit: *Ad ſanctam Petri Sedem*, poſt ſeſs. 11. datam, alteram quæ incipit *Dudum ſacrum* datam poſt ſeſs. 15, quibus Concilium Baſileenſe legitime inchoatum, & legitime continuatum pronunciabatur; & Bullas diſsolutionis revocabat, ea tamen lege, & conditione gemina expreſsa, *tum ut omnia, & ſingula contra auctoritatem noſtram*, ut ait, *facta & geſta per dictum Concilium prius omnino tollantur, & in priſtinum ſtatum reducantur*; tum ut Legati ab eo ad Concilium deputati *ad præfati Concilii præſidentiam cum effectu admitterentur*, ut legitur tom. 8. collect. Concil. Harduini pag. 1587; eaque de re Archiepiſcopum rurſus Spalatenſem, & Epiſcopum Cervienſem Baſileam miſerat, petituros, ut Patres revocarent geſta, & facta adverſus Sedem Apoſtolicam, promiſſuros, ſi id præſtaſſent, Concilium ab Eugenio in priſtinum gradum reſtituendum, uti liquet ex litteris Eugenii ad ipſos loco indic. incipientibus *Cum vos ad petendum*. At vero duæ iſtæ conditiones, quum a Concilio adimpletæ non fuerint, proinde, nec Concilium tanquam legitimum, legitime inchoatum, & legitime continuatum; multo minus ejus decreta uti legitima, & valida habuiſſe Eugenius dicendus eſt. 3. Quamquam etſi concederemus ab Eugenio Concilium abſolutiſſime, ceu legitimum admiſſum, nuſquam tamen concedemus ab Eugenio decreta illa approbata fuiſse: idque ne concedamus multa nos cogunt.

Cogunt 1. mox laudatæ conſtitutiones, tum illæ, quibus Concilium diſſolvit, tum illæ, quibus Concilii diſſolutionem reſcidit, in quibus plane vel expreſſe revocabat, ac reſcindebat ipſe, vel explicate reſcindenda, ac revocanda volebat geſta omnia, & facta adverſus Sedem Apoſtolicam. Cogunt 2. apologiæ, epiſto-

læ, & Nuncii ad Baſileenſes ipſos, ad Principes, & univerſos Chriſtifideles ab Eugenio, vel Eugenii nomine nuncupatæ, & miſſi poſt ſeſs. 12, & poſt ſeſſ. 18, quibus nedum ſtatuta a Concilio de electionibus, confirmationibus, annatis, & indulgentiis reprobabat, ſed omnia temere facta, & geſta ab initio Concilii uſque ad ſeſſ. 18, exprobranda ſub oculos omnium gentium exponebat; ut omnes plane execrarentur Chriſtifideles, quæ plane non execrari non poterat Eugenius. Speciatim vero Eugenii epiſtolæ, qua ad Sigiſmundum Imp., qua ad Franciſcum Foſcarenum Venetorum Ducem, qua ad ſuos Legatos in Germaniam inſcriptæ. In ea, quæ ad Sigiſmundum, ſe precibus ejus motum, atque ut paci Eccleſiæ conſuleret, plurimum ſui juris remittere ſcripſerat, nec in Sedis Apoſtolicæ defendendis diutius privilegiis, dignitate, & poteſtate immotum permanſurum, ſcilicet ut Concilium Baſileæ continuaretur relaxando, ac Bullas diſſolutionis reſcindendo; confidere ſe tamen ſubjungebat, quod Imperatoris opera, & ope, Sedis Apoſtolicæ jura in priſtinum ſtatum, locumque reſtituenda forent. In ea vero, quam ad Venetorum Ducem apud Raynaldum ad annum 1433. dederat, hæc habebat: *Quum inſtitiſſet nobiſcum litteris, & Nunciis,* (Imperator Sigiſmundus) *ut Concilio illi hæreremus; omnino hoc recuſavimus: potius enim hanc Apoſtolicam dignitatem, & vitam inſuper poſuiſſemus, quam voluiſſemus eſſe cauſsam, & initium, ut Pontificalis dignitas, & Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſubmitteretur Concilio, contra omnes canonicas ſanctiones, quod nunquam antea neque aliquis noſtrorum prædeceſsorum fecit, neque ab ullo extitit requiſitum. Nam & ſi canon,* ſubdebat, *Conſtantienſis Concilii, qui incipit* Frequens, *ab ipſo Concilio editus, & a felic. record. Martino prædeceſsore noſtro non improbatus, locum mutare, vel tempus inceptionis Concilii prorogare nobis ſine conſenſu Concilii prohibere videatur, non tamen debet ſic abuſive interpretari, ut cauſsa imminente nobis etiam ſolis adempta fuerit circa loci mutationem, & temporis prorogationem diſpenſandi facultas; quum etiamſi a Martino editus extitiſset, ita non fuiſset, ſive eſse debuiſset prohibentis intentio, quæ ſucceſsoribus ſuis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari poſt ipſum, quinimo eadem poteſtate fun-*

functuris: & infertur prout eſt ſecundum omnia jura in hac parte Concilium inferius Summo Pontifice, Papamque ipſis priorem nequeunt ſolvere, vel ligare. Sed nos in his Concilio ſuperiores ipſum poſsemus pro libito regulare: nam hoc de jure notiſſimum eſt, quod poſſumus (valide ſemper, licite quoque cauſſa interveniente) *quæcumque ſtatuta, decreta, declarata, ſive ſancita per quoſcumque prædeceſsores noſtros, vel per quæcumque Concilia, dummodo in eis fidei fundamenta non exiſtant, ſive ex hoc univerſalis Eccleſiæ bonum principaliter non turbetur*; (juxta quæ verba interpretanda eſſe diximus ſupra adverſus Natalem, & Boſſuetium verba pſeudo-epigraphæ conſtitutionis, quæ incipit *Deus novit*:) *ut Vicarius Chriſti, & irreprehenſibiliter pro noſtro amovere, & corrigere libitu voluntatis*. Hæc Eugenius; cujus poſtremis verbis addita leguntur in ea conſtitutione *Deus novit* verba hæc: *Et contra ſentire non eſset longævum ab hæreſi, velle ligare manus Vicarii Jeſu Chriſti, & in terris Dei Legati, ſive ipſius geſta judicare, vel improbare, quod ſacrilegii crimen habet*: & poſt pauca: *Sacrilegum igitur a nobis poſtulant, & hæreticum &c.*, quæ ſequuntur verba ſupra obſerv. 1. dedimus. Quod ſi poſtmodum Eugenius votis Sigiſmundi ceſſit, Conciliumque legitimum declaravit; id feciſſe intelligendus eſt juxta hunc ſenſum, videlicet ea conditione, ac ſententia, ut Sedis Apoſtolicæ auctoritati non iret detractum, ac decreta illi detrahentia irrita, & nulla eſſent, ut ſæpe diximus. In epiſtola demum anno 1445. ad ſuos Legatos in Germania apud Fridericum Imperatorem, atque electores, qui pro confirmatione Concilii inſtabant, quia ita ita demum ſchiſma excindendum exiſtimabant, inter alia ſcripſit Eugenius: *Quum Romanorum Imperator, & S. Romani Imperii Electores per ſuos Nuncios nobis expoſuerint ad ſubortum ſchiſma extinguendum maxime convenire, ut auctoritas generalium Conciliorum manuteneatur, & conſervetur. Nos ipſorum Regis, & Electorum ſupplicationibus inclinati, ad imitationem SS. Pontificum, & prædeceſsorum noſtrorum, ſicut illi generalia Concilia venerari conſueverunt, ſic generalia Concilia Conſtantienſe, & Baſileenſe ab ejus initio uſque ad translationem per nos factam, abſque tamen præjudicio juris, dignitatis, & præminentiæ Sedis Apoſtolicæ, ac poteſtatis ſibi, & in ea*

in ea canonice ſedentibus conceſsæ , cum omni reverentia , & devotione ſuſcipimus , complectimur , & veneramur . Quibus quid expreſſius ad patefaciendam, quam Eugenius præferret ſententiam ; aperiundumque ab ea illum abſuiſse quam maxime , quam afflare ipſi adverſarios non pudet ?

Cogunt 3. Inſtructiones Legatis ſuis ab Eugenio traditæ , ab iis executioni mandandæ : eorumdem Legatorum proteſtationes , proteſtationes imo ipſius Eugenii . Enim vero Legatis ſuis ad Concilium Eugenius in mandatis dederat , ut caverent omnino , ne diſputationibus de Concilii , aut Pontificis ſuprema poteſtate ullo modo ſe implicarent : ne in decreta ſeſſ.4 , & 5. Concilii Conſtantienſis , num valida eſſent nec ne , inquirerent : cum inquirentibus, ac diſputantibus ne ſe committerent, ac miſcerent, iis imo contrairent, & reniterentur ; præpoſteras, ac inutiles quæſtiones haſce pronuncians , quum potius ipſe hacce in re juribus ſuis quodammodo cedere paratus eſset, ut bono pacis conſuleret . Legati vero Pontificis in Concilio Baſileenſi vel abſuerunt, quum ſeſs.2, 3, 11, & 12. decreta illa edita ſunt, ut diximus; vel contradixerunt , ut refert Turrecremata in reſponſ. ad Baſileenſes in Concilio Florentino , quum ſeſs. 18. eadem decreta inſtaurata ſunt , qui nempe eidem ſeſſioni intererant , nam ceteri , ſcilicet Cardinalis S. Crucis , Epiſcopus Tarentinus , & Abbas S. Juſtinæ , ut legitur in actis Mſs. Concilii , ei ſeſſioni 18. intereſse noluerunt . In conventu quoque Moguntino coram Imperii Electoribus , & Bituricenſi coram Carolo VII , ac Regni Prælatis , & Proceribus Eugenii Oratores ſupremam , eamque potiſſimam in Eccleſia poteſtatem unum penes Romanum Pontificem reſidere, quibus potuere viribus , propugnarunt : illum Eccleſiæ judicio , niſi in cauſſa hæreſis manifeſtæ , non ſubeſse , ſubjungentes in hæreſim incidere , qui adverſam ſententiam iniret . Non abſimilia Pontifici adſeruere Oratores quotquot ad Reges , & Principes miſſi , ut prava Baſileenſium attentata ſub omnium oculos ponerent, atque Petrus Meldenſis Caroli VII. Orator ad Eugenium in Concilio Florent. Sed & Eugenius ipſe , referente Turrecremata lib. 2. de Eccleſ. cap. 100 , licet Baſileenſes optarent , repetitiſque vicibus rogaſſent per Oratores , ut decretis ab ſe adornatis

natis demum adnueret, nunquam tamen adduci ſe paſsus eſt, ut optatum, rogatumque præberet aſsenſum. Quid imo, quod eodem Turrecremata teſte Eugenius in Concilio Florentino de progreſsu Concilii Baſileenſis ita præfatus eſt: *Nos quidem progreſſum Concilii approbavimus volentes, ut procederet, ut inceperat, non tamen approbavimus ejus decreta?* Poſtremo compertum omnibus erat Eugenium adverſus Baſileenſes graviter fuiſse ſtomachatum, quod poſt ſeſſ. 16. ſe ſe ſupra Pontificem extollerent; ubique querelas effudiſse, quod deſtinatos ab ſe Legatos omni vi coactiva nefarie exuiſsent; conqueſtum apud Chriſtifideles univerſos, quod ſuis decretis Pontificem obnoxium agere non erubuiſsent: *Quod*, ajebat, *non tam eſt erroneum, quam etiam ab omni doctrina Patrum totaliter alienum*. Poſthæc, quæſo te homo integer mentis, putas ne ab Eugenio Concilii Baſileenſis decreta confirmata fuiſse? Quid plura? Profecto Eugenio demum ex ſententia ſucceſſit, ut quod ab exordio præconceperat, tandem perfecerit, ſcilicet Concilium Baſilea diſsolvit, ac Ferrariam transtulit: ergo verbis non modo, ſed factis ſe Concilio ſuperiorem oſtendit, & egit. Eó uſque modo proceſſit oratio noſtra, ut oſtenderet longe abſuiſse Eugenium, ut Concilii Baſileenſis decreta probaret: jam ulterius operæ eſt pretium, ut oſtendamus Eugenium imo Concilii decreta improbaſse, infirmaſse, infregiſse. Itaque

℞. 5. Eugenium ſe Concilio ſuperiorem, ut mox innui, egiſse, & oſtendiſse non modo, quum illud motu proprio, ac de poteſtatis plenitudine, quamvis obſiſtentibus Baſileenſibus, atque nullo Baſileenſium expetito, vel expectato conſenſu, Ferrariam primo, ac poſtmodum Florentiam tranſtulit; verum etiam ſe ceu ſuperiorem oſtendiſse, & egiſse, quum illius decretis, quæ nec conferrent, nec expedirent, detraxit, eaque potiſſimum, quibus Pontificiæ Concilii præferebatur auctoritas, elevavit omnino, & elidit, repulit, & reprobavit. Porro adeo hacce in re comperta omnibus erat Eugenii ſententia, quod decretis illis iret adverſa, vimque omnem vellet ademptam, ut qui pro Eugenio ſtabant, ubique gentium Papam ſupra Concilium efferrent; unde Cardinalis Ludovicus Arelatenſis apud Æneam Silvium de actibus Baſileenſ.

ſileenſ. anno 1439. in oratione *pro octo fidei concluſionibus* adverſus Pontificis auctoritatem dixerat: *Quum Oratores Eugeniani ubique novam doctrinam prædicent, Romanum Pontificem ſuper univerſalem Eccleſiam extollentes* &c.; atque Panormitanus in conventu Bituricenſi, ut refert Auguſtinus Patricius loc. cit., ſermonem habens *de duabus Concluſionibus* Concilio ſupra Papam primas concedentibus, dixerat: *Notorium eſt primis duabus Concluſionibus Eugenium conſtantiſſime contraire*. Age modo idipſum invictiſſimo conficiatur argumento. Dum Concilium Florentiæ celebraretur, & Baſileæ interea conciliabulum obtineret, ſeſs. 33. tres propoſitiones tanquam fidei dogmata Baſileenſes definierant, quarum prima: *Veritas de poteſtate Concilii generalis univerſalem Eccleſiam repræſentantis ſupra Papam, & quemlibet alterum, declarata per Conſtantienſe, & hoc Baſileenſe generalia Concilia, eſt veritas fidei Catholicæ*. 2. *Veritas hæc, quod Papa Concilium generale Eccleſiam univerſam repræſentans actu legitime congregatum ſine ejus conſenſu nullatenus auctoritative poteſt diſſolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, eſt veritas fidei Catholicæ*. 3. *His veritatibus pertinaciter repugnans eſt cenſendus hæreticus*. Ad haſce tres propoſitiones Baſileenſium proſcribendas, quibus Pontifex Concilio ſubjiciebatur, atque quidem ex prave intellectis decretis Concilii Conſtantienſis, Eugenius IV. in Concilio Florentino ſeſſ. 27. edidit, & promulgavit anno 1440. conſtitutionem ſub data anno 1439, quæ incipit *Moyſes vir Dei* &c., qua inter alia Pontifex ait: *Quas propoſitiones juxta pravum Baſileenſium intellectum, velut S. Scripturæ, & SS. Patrum, & ipſius Conſtantienſis Concilii contrarium, tanquam impias, ſcandaloſas, nec non in manifeſtam Eccleſiæ ſciſſuram, ac omnis Eccleſiaſtici ordinis, & chriſtiani Principatus ſciſſionem cedentes, ipſo ſacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus*. Conſtitutionis iſtius, cujus integram lectionem exhibet nova Concil. editio Veneta tom. 18, nec non Harduini tom. 9. pag. 1004, meminere Cochlæus in hiſt. Huſſitarum lib. 9; Bzovius tom. 17. ad an. 1439. n. 35, & Horatius Juſtinianus in actis Concil. Florent. par. 3. Quid rogo hiſce expreſſius ad decretorum Concilii Conſtant. rectam intelligentiam, decre-

cretorum vero Baſileenſis Concilii irritationem? Qui hæc tenet, quam plane perſpicit decretis Concilii Conſtantienſis Pontificis indubii privilegia nullo fuiſſe læſa modo, aut labefactata, tam probe percipit Concilii Baſileenſis decreta nauci, floccique facienda, utpote quæ ab Eugenio adeo explicate expuncta fuere, atque exploſa. Quia vero eó uſque progreſſa noſtra eſt oratio, ut de Concilio Florentino ſermo occurreret, ex eo reliqua forent, quæ cauſſam noſtram fulciunt, perſequenda: quia tamen hic adverſariorum in omne ſe latus convertit induſtria, ut ab ſe hocce præjudicatæ cauſſæ amoveant incommodum, ipſis omnis intercludendus eſt evadendi locus; ideoque opportunum ducimus ſequenti §. expendenda relinquere, quæ ex Florentino adhuc manent pro Pontificum privilegiis argumenta, ut eadem una cum momentis ex Lateranenſi, Tridentino, pluribuſque aliis particularibus Conciliis excerptis, eadem orationis ſerie proſequamur.

Reponunt igitur, qui Pontificiæ poteſtati quoquo modo obtrectare non deſinunt, minime urgeri ſe ea conſtitutione, quia iccirco ab Eugenio proſcriptæ illæ propoſitiones fuere, quod hæreſeos nota inurerentur, qui adverſus illas ſentirent. Sed imo eam Eugenii conſtitutionem robore eſſe omnino deſtitutam præfidentiſſime ſubdunt; tum quia Nicolaus V. pace cum Baſileenſibus inita prorſus illam abolevit, & detrivit: tum quia eam Eugenius promulgavit, poſtquam a Concilio jam Græci diſceſſiſſent; tum quia eam Eugenii conſtitutionem Eccleſia Gallicana, & Germanica recipere renuit. At abs vero aberrant quam maxime. Ea enim conſtitutione propoſitiones illas, non quia ut fidei dogmata a Baſileenſibus aſſererentur, ac hæreſis inſimularentur, qui illis non aſſentirent, Eugenius proſcripſit, ſed illas damnavit juxta pravum Baſileenſium intellectum, ideſt, quia Concilii Conſtantienſis vero intellectui ibant adverſæ; quin imo adverſæ quoque erant S. Scripturæ, & Patrum traditioni; quia impiæ, ſcandaloſæ, & Eccleſiaſtici ordinis, ac Sedis Apoſtolicæ primatus ſubverſivæ; & Eccleſiæ pacem, & concordiam ſcindentes. Si vero adverſarii volunt iccirco proſcriptas illas propoſitiones, quia articulum fidei præferebant, & denuntiabant, qui juxta ipſoſmet articulis fidei adnumerari nec poteſt,

nec

nec debet, Deus bone! Eccur dein volunt eam conſtitutionem a Nicolao V. abolitam, abrogatamque? Næ ſemet armis ſuis, quibus Pontificiam impudenter auctoritatem impetunt, imprudenter transfigunt. Neque vero Nicolaus V. pacis cauſſa præfatam conſtitutionem ullo modo delevit, aut diminuit, cedo enim verbum unum, quo id voluerit Nicolaus, aut vim intulerit, proferant, ſed abolitas dumtaxat, abrogataſque dixit pœnas omnes ab Eugenio in Baſileenſes intortas, ac præteritorum amnyſtiam indulgens, integra manere iis priora jura juſſit, quibus alioqui pœnæ illæ incumbebant. Præterea inter propoſitiones pacis, quas cum Imperator, & Imperii Electores, tum Rex Galliæ, tam Nicolao V, quam Baſileenſibus, & Felici V. propoſuerant, ea præcipua, locoque priori ſemper habita eſt, ut omnia hinc inde conſcripta, ſtatuta, decreta, facta, promulgata abolerentur, etiamſi univerſalem Eccleſiam, & Conciliorum auctoritatem attingerent, uti videre eſt tom. 19. Concil. edit. Venetæ. Igitur nonniſi hac lege intercedente, ut decreta Pontificem infra Concilium deprimentia obliterarentur, Baſileenſibus Nicolaus pacem reſtituit, pœnas relaxavit, atque gradus redintegravit: non igitur conſtitutioni *Moyſes* vel jota hacce in re unum detractum voluit. Pudere vero profecto adverſarios debuerat, ut qui decreta ſeſſ. 2, 3. &c. Concilii Baſileenſis, quamvis vix, ac ne vix quidem decem interfuerint Epiſcopi, quin imo alii plerique adverſus decreta interceſſerint, rata, & integra volunt, tanquam a Concilio vere œcumenico edita, in quo reliquorum abſentium reſideret auctoritas, quia ſat fuerat, ipſorum ſententia, quod fuerint accerſiti, etſi adeſſe noluerint: nunc vero ob Græcorum diſceſſum Florentinum cauſſentur, vexentque Concilium. Enim vero nonne eodem modo ſe habet ſponte accedere nolle, ac ſponte velle diſcedere? Primum juxta ipſos præſtarunt Epiſcopi Baſileæ, poſtremum Græcos Florentiæ præſtaſſe dicimus; qui ſponte diſcedentes a Concilio reliquis, atque quidem tot Latinis Præſulibus, qui remanebant, partem reliquam peragendorum in Concilio concrediderunt. Impendio præterea magis, quod Concilio Florentino, quæ Baſileenſi defuerat, Eugenii præſentia defectum quemcumque ſupplens non defuerit: ut proinde a primo ad ultimum

mum invictiſſime ſtet ab Eugenio non modo, ſed etiam a Concilio Florentino dubio omni procul œcumenico propoſitiones illas Baſileenſis pſeudo-Synodi fuiſse proſcriptas. Poſtremum, quod ajunt ab Eccleſia Gallicana, & Germanica Bullam *Moyſes* non fuiſse acceptatam, id, inquam, dicere catholico viro indignum eſt. Leges ſuperiorum non a ſubditorum acceptatione vim obtinere, ſed ab una eorumdem ſuperiorum voluntate quis neſciat? Procul dubio plane, & præſertim id veriſſimum, ſi de legibus dogmaticis, ſeu ad dogma ſpectantibus agatur; qualis eſt conſtitutio illa *Moyſes*; ac potiſſimum denique, ſi leges illæ dogmaticæ a Pontifice una cum generali Concilio promulgatæ ſint. Pontifici vero Romano (addiderim Concilio Florentino) in rebus hujuſce generis non parere abſque piaculo Eccleſias particulares, Germanicam puta, aut Gallicanam, ſi quis aſſerere audeat, per me licet, audeat; attamen næ alienum a doctrina catholica, & abhorrens aſserit.

Ex his omnibus denique illud exurgit tanti non eſſe ea, quæ congerit, ut ſuaderet Natalis loc. cit. art. 7. Synodi Baſileenſis Patres, etiam poſtquam Eugenium IV. in jus vocaverunt, & gradu dejecerunt, illisque adſtrictos, a ſchiſmatis proprie dicti labe puros fuiſse, tanti, inquam, non eſse, ut facile noſtrum extorqueant aſsenſum, quamvis ingenui ii ſimus, eſseque in pretio habeamus, qui animum a præjudiciis liberum ad hujuſce quæſtionis examen adjunxerimus. Nempe ea ratione Natalis Baſileenſes facile a ſchiſmatis contagione immunes, & liberos deprædicat, tum quod dubio jure, & gravibus contra Eugenium præſumptionibus intercedentibus, Baſileenſes, quemadmodum olim Conſtantienſes ſe in Johannem animadvertere poſſe exiſtimarunt, non ſecus ſibi in Eugenium ſevera diſtringere ſententia integrum ſtare fas reputarint: unde Eugenio objicienti, quod ab Eccleſiæ Capite ſecedentes in Eccleſia ſciſsuram, & ſchiſma feciſsent, repoſuere ipſum potius ab Eccleſiæ corpore ſegregem feciſse ſe, quum pars a toto, non vice verſa totum a parte, ſegregari, quum ab invicem ſeparantur, dicenda ſit. Tum quod ſchiſmaticis ad Eccleſiam reducibus, certa ſchiſmatis ejurandi formula præſcripta eſt, quam exhibet cap. *Quoties* 2. p. decreti 1.

ti 1. q. 7. ex lib. 10. regeſti epiſt. 31. S. Gregorii M. exceptam; alteram quoque exhibent acta Concil. Later. III. ſub Alexandro III, qua ſchiſma Octaviani, Guidonis, & Johannis pſeudo-Pontificum ejuratur: at nihil hujuſmodi præſtatum eſt a Baſileenſibus, ipſorumque partes ſectantibus; ſed ipſos potius, & Nicolaum V. inter æquis pene, & honorificis conditionibus, & pactionibus transſactum eſt, uti in cauſſis dubiis, & obſcuris fieri ſolet, abolitis ſententiis omnibus, pœnis, & cenſuris ab Eugenio latis, atque ita, ac ſi nunquam latæ fuiſsent, diplomate dato, quod incipit *Tanto nos pacem*: quodque majori conſideratione dignum eſt, Baſileenſes Lauſanæ Concilium facientes ad Nicolai V. obedientiam ita acceſſere demum, ipſum in Pontificem, veluti ſi Sedes vacaret, eligendo, decretoque edito jubendo, ut ipſi ab omnibus Chriſtifidelibus pareretur. Quod quidem decretum tantum non reſpuit Nicolaus, ſed cum animi voluptate recepit, uti palam faciunt diplomata, *Ut pacis, & Tanto nos pacem*. Tum quod Baſileenſes cum pleriſque per orbem Eccleſiis, ac viciſſim cum Baſileenſibus pleræque orbis Eccleſiæ communione junctæ eſſent, quemadmodum Eccleſia Gallicana, quamvis Eugenium ſemper impenſe coluerit: abſit autem Gallicanam Eccleſiam, ac Carolum VII., qui pro ſchiſmate abolendo ita ſategegerat, ut Nicolaus ſe, & Eccleſiam ei debere plurimum profeſſus fuerit datis ad eumdem litteris anno 1447. quinto Idus Auguſti, fœdi ſchiſmatis macula aſpergere. Tum denique quod Baſileenſes, ſchiſmate ne afficiantur, prohibet Ludovici Alemandi Cardinalis Arelat., quo nullus adeo ex animo Baſileenſium partibus ſtuduerat, primaſque imo baſilice egerat, miraculis comprobata ſanctitas, quæ a plurimis ſcriptoribus, quos ſupra ad calcem ſummæ Concilii Baſileenſis retexuimus, fide dignis enarrantur, utque proinde ejuſdem memoria a Clemente VII. conſecrata fuerit, qui illum una cum Petro Cardinali Lucemburgo Beatorum catalogo adſcripſit diplomate dato die 9. Aprilis anno 1527, quod inſcribitur Præpoſito, & Canonicis Eccleſiæ Arelat., ac Priori, & Fratribus Domus Cæleſtinorum Avenionenſis, & incipit *Quum ſicut accepimus*. Idipſum quoque prohibet Amedei VIII, ſeu Felicis V. ſanctitatis opinio, quem & multis

poſt

poſt obitum miraculis effulsiſſe referunt ſupracitati ſcriptores, præſertim Philippus Bergomenſis in ſuppl. Chron. lib. 15, & P. Monodus in *Amedeo pacifico*.

Verumtamen hæc tanti, inquam non ſunt, ut Baſileenſes omnino a ſchiſmate actutum pronunciemus abſolutos. Si enim ſchiſma purum, putumque eſt juxta S. Thomam 22. q. 93. art. 1, Eccleſiæ unitatem ſcindere, illeque ſane voluntarie illam ſcindit, qui ab obedientia, diſcedit, quam legitimo Capiti debet Eccleſiæ; ſchiſmate proculdubio Baſileenſes fuiſſe infectos facillimum inferre illi eſt, qui eorum agendi rationem ex præmiſſa geſtorum ſeria perſpectam habeat, qua tam exiguus Epiſcoporum numerus, in invicem ſecum non conſentiens, ſed imo concertans, a Synodo recedentibus, aut ei reſiſtentibus Summo Pontifice, pleriſque orbis Epiſcopis, ac Principibus, eorumque Oratoribus, ac Nunciis, ſola invidia, ſimultate, ira, & odio actus Pontificem indubium ſede movit, & gradu dejecit. Quod ſi Nicolaus ejurandi ſchiſmatis Baſileenſibus negotium non faceſſivit, nec formam ullam præſcripſit, id pacis ergo œconomia quadam ſibi agendum putavit, ſatius habens, ſi ſchiſmate extincto ſegreges illi Sedi Apoſtolicæ ut parerent, adduci ſe demum paterentur, a quibus etiam ſe eligi paſſus quamvis ſit, eam tamen ſui electionem non probavit, ſed ſilentio preſſit, ſeu verius nullo in pretio habuit. Id totum ex lectione diplomatis, quod incipit *Ut pacis*, apud Hard. loc. indic., & alterius incip. *Tanto Nos pacem* apud eumdem Harduinum tom. 9. liquido adparet. Una cum Carolo VII. Rege Eccleſia Gallicana cum Baſileenſibus communione fuit conjuncta, eo maxime quod decreta eo in Concilio elaborata conventui Bituricenſi ſummopere arriſiſſent, adeo ut ex illis pragmaticam ſanctionem conflaverit; nihilominus tametſi a ſchiſmaticis Carolus VII, & Gallicana Eccleſia non abhorruerit, ſchiſmatis tamen probro affici nullo modo debent; nam Eugenio ſemper adhæſere, ac illi parendum ſibi fore religioſe ſemper duxerunt. Quamquam id non prætermiſerim, quod Petrus Epiſcopus Meldenſis Caroli VII. Orator ad Eugenium in Concilio Florentino habita oratione ſchiſmatis reos Baſileenſes ſatis egit; ut exinde conjicere ſit Gallos alios ſchiſmati quoque Baſileenſium defe-

defectionem deputaſſe. Cardinalem Arelatenſem Baſileenſis factionis Principem; & acerrimum propugnatorem, quem *multorum facinorum reum, ac perditionis filium* Eugenius appellavit, ut refert Raynaldus ad an. 1442. n. 9, inſigni profecto pœnitentia tam ingens crimen poſtea diluiſſe oportet, ut indicat Spondanus an. 1438, ingentibuſque lacrymis conflati ſchiſmatis culpam abſterſiſſe, ac tanta in Eugenium molimina, ſicut olim S. Cyprianus in S. Stephanum male geſta, virtutum operibus expiaſſe. Non abſimili, potiori imo ratione notam omnem ab ſe amoviſſe Felicem V. dicimus, & maculam diluiſſe ſingularibus pœnitentiæ, ac pietatis operibus adeo, ut ſignis, & prodigiis Deus ipſius ſanctitatem teſtatam voluerit; ut propterea immerenti plane injuriam inferat, qui infamiam ſchiſmatis affricet. Quamobrem nec fides adhibenda Flavio Blondo, qui dec. 3. lib. 10. ſcripſit Felicem ideo dominio ſe antea abdicaſſe, quod ab Arjolis audiviſſet ſupremi Pontificatus infulis ſe fore ornandum. Neque magis Raynaldo, qui tom. 17. annal. ad cit. annum Felicem dicere non erubuit præcipuum ſeditioſorum concitatorem, & ſigniferum ſchiſmatis. Quippe id de pientiſſimo Principe dicere prohibet tum pius animi affectus, quo uni inſerviendi Deo, rebuſque cæleſtibus vacandi gratia abdicato Principatu in ſolitudinem ſe recepit, quove electioni de ſe factæ diu obluctatus eſt, neque adquievit, niſi qoſtquam ſupremi in ſe Numinis iram extimuit; tum flagrans erga Religionem ſtudium, quo non abſque ingentibus ſumptibus crucesignatis adverſus Huſsitas ſacrum bellum agentibus ſuppetias tulit, ſtatimque atque audivit Genevam appuliſſe hominem, qui errores contra fidem diſseminaret, eò ipſe convolans apprehenſum hominem Eccleſiæ cohibendum, caſtigandumque tradidit, qua de re optime geſta ei per litteras gratulatus eſt Martinus V. anno 1429; tum ſumma in Eccleſiam devotio, qua rebus ſæcularibus prope diem valedicturus Ludovicum filium etiam, atque etiam adhortatus eſt, ut Eccleſiæ defenſorem, ac vindicem ſe exhiberet. Alienum præterea a ſchiſmate animum Felici jugiter inſediſſe, adeoque, ſi quid peccavit, ex ignorantia peccaſſe, non ex malitia, id ſuadet quod nuntio de ipſius obitu accepto Nicolaus litteris ad Ludovicum ejus filium

Sabau-

Sabaudiæ Ducem exaratis an. 1451. illum laudibus coboneſtavit, atque illius ob præclara merita apud Apoſtolicam Sedem jugiter ſub commendatione futuram auguſtam Sabaudiæ Domum ſcripſit. Poſtremo illud mihi, omniumque animo inſidere velim, quod Felix Pontificatu abdicato frequenter repetebat: *Nunquam ſe majoribus a Deo beneficiis cumulatum, quam quum humiliaverat: opibus, atque honoribus, veluti quibuſdam nebulis intellectum obtenebrari: unde ad Dei cognitionem non valet aſſurgere: arbores inſpiciendas, quæ quo profundiores in terram radices agunt, eo grandioribus ad cælum aſſurgunt ramis: quare hominem ad Deum tanto majori virtutum ornatu appropinquare, quanto majori demiſſione deprimitur*. Confer Monodum in *Amedeo pacifico*, ac Thomam le Blanc in epit. hiſt. Regiæ domus Sabaudiæ tom. 2. Quæ hactenus de celeberrima controverſia tam ingenti animorum æſtu exagitata circa Conſtantienſis, & Baſileenſis Concilii decreta diſputavimus, præter ea quam plurima, quæ ex Harduino, & Vonder Hart in diſputationem noſtram derivavimus, magnam partem accepta debemus, officiique loco referenda ducimus doctiſſimis viris Scheleſtratio, Pagio, Petitdidiero, Roncaliæ, & Orſio, quos duces ſectati ſumus. Agemodo reliqua, quæ e Conciliorum penu argumenta ad Pontificum vindicanda privilegia, adhuc ſuppetunt, breviori, qua fieri poterit, oratione percurramus, perſtringamus, producamus.

Ex Conciliis Florentino, Lateranenſi V, & Tridentino.

ARTICULUS V.

Ex Concilio Florentino.

§. I.

Sacro approbante Florentino Concilio Latinorum IX, generalium XVII. anno 1437. Baſilea Ferrariam translato, Ferrariæ vero anno 1438. inchoato, ac Florentiam denique poſt ſeſs. 16. transducto anno 1439. Eugenium conſtit. prælaudata, quæ incipit

pit *Moyſes vir Dei* anno 1440. pridie Nonas Septembris promulgata in ſeſs. 27., inter ſeſſiones Florentiæ habitas num. 11. tres propoſitiones a pſeudo Synodo Baſileenſi ſeſs. 33. adverſus Pontificis ſupremam poteſtatem editas tanquam impias, ſcandaloſas, ſchismaticas, & ſacræ Scripturæ, traditioni SS. Patrum, & ipſius met Concilii Conſtantienſis decretis rite intellectis contrarias damnaſſe, & reprobaſſe §. ſuperiori, ut omnia ad pſeudo-Synodum Baſileenſem ſpectantia uno ſermone abſolveremus, jam demonſtravimus. Reliquum nunc eſt, ut ex eodem Florentino Concilio, quæ ſuperſunt in hanc cauſſam, argumenta depromamus. Non equidem de Primatu Romani Pontificis, ſed de prærogativis eidem Primatui adnexis, de quibuſque agimus, Græcos inter, & Latinos in Concilio Florentino contentio exarſit, quas profecto quemadmodum a Baſileenſium pravis impetibus paulo ante egregie vindicavit Eugenius, ita paulo poſt a Græcorum ſchiſmaticorum obtrectationibus ſartas, ac tectas Latini ſervarunt; quin imo in eamdem cum Latinis ut concederent tandem ſententiam, Græcos ipſos adduxerunt. Igitur ſeſs. 7. Ferrariæ habita Pontificis juſſu diſputatione inita ex parte Latinorum de additione particulæ *Filioque* ad Symbolum, Andreas Rhodius Coloſſenſis Archiep. de Apoſtolicæ Sedis privilegiis hæc pronunciavit: *Quotieſcumque error aliquis emerſerit, Papæ incumbere neceſſitatem docendi populos catholicam veritatem, & totam Chriſti Catholicam Eccleſiam, & Patres omnes ſuſcepiſſe auctoritatem Romanæ Eccleſiæ, & ſequutos eſſe per omnia ejus doctrinam*. Julianus perinde Cardinalis recenſitam Rhodii aſſertionem S. Agathonis Papæ ſententia ex epiſt. in Synod. VI. perlecta confirmans, iſta ex illa intulit: *Quoties de fide aliqua oritur dubitatio Romanum Pontificem debere, ac teneri illam declarare, atque illo docente omnes Synodos, & Eccleſiam univerſam debere hujuſmodi veritatem ſequi*. Quibus ſane a Latinis duo Romani Pontificis privilegia, infallibilitas nimirum, & ſuprema auctoritas baſilice extra omnem dubitationis aleam conſtituebantur, adeo, ut nefas eſſet eadem vel in invidiam vocare, vel ire inficias.

Equidem ſeſs. 9, Beſſario Archiepiſcopus Nicænus ex parte Græcorum diſputator iis reſpondere aggreſſus, quæ a Rhodio, & Ju-

& Juliano fuerant enuntiata, poſtquam dictis de addenda particula *Filioque* offendiſſet, *De poteſtate autem*, ſubdit, *Occidentalis Eccleſiæ multa dicenda ſuppeterent, niſi aliud nobis eſset propoſitum. Et ſcimus quidem, quæ ſint jura, & prærogativæ Romanæ Eccleſiæ: nihilominus ſcimus etiam, prærogativæ ejus quos terminos habeant; noſſe tamen volumus reverentiam veſtram a nobis facultatem hanc* (addendi ſcilicet aliquid ſymbolo) *negari univerſæ Eccleſiæ, & Synodo vel etiam œcumenicæ, non tantum Romanæ Eccleſiæ. Quoniam igitur quantacumque polleat facultate Romana Eccleſia, minus tamen Synodo œcumenica, & univerſali Eccleſia: ſi nos id univerſali negamus Eccleſiæ, multo magis negabimus Romanæ. Negamus autem non ipſi a nobis, ſed arbitramur hoc Patrum decretis negatum.* (Videlicet Epheſinæ, & Chalcedonenſis Synodi.) Verum Beſſarionem ab ea poſtmodum reſiliiſſe ſententia, agnoviſſeque tandem Concilio generali Romanum Pontificem ſuperſtare, ex dicendis liquido patebit. Quamquam ſi is ab ea ſententia non receſſiſſet, nec ſuis, nec ſibi certe cohæſiſset, æqualiſque conſtitiſset. Non ſibi, nam Romano Pontifici aſserto in Eccleſiam primatu, ut qui S. Petri ſucceſsor, & Chriſti Domini Vicarius in terris ſit, eumdem aſserere, ſi conſequenter loqui velit, Concilio generali ſuperiorem, ac in fide infallibilem neceſse eſt: non ſuis, nam ex dictis de Conciliis generalibus Eccleſiæ Græcæ, & ex dicendis de traditione SS. Patrum ejuſdem Græcæ Eccleſiæ conſtantiſſimum, atque exploratiſſimum eſt, eritque a SS. Patribus Græcis perpetuo ea duo Romani Pontificis privilegia agnita fuiſse, & prædicata. Quamobrem quum Græci poſtea in Concilio Florentino, ipſeque Beſsario profeſſi ſunt ſe Pontifici Romano adſerere ea omnia privilegia, quæ antiquitus poſsediſsent, plane utrumque hoc quoque poteſtatis ſupremæ, & infallibilitatis privilegium ſaltem implicite faſſi ſunt.

Præterea ſeſſione 18. Florentiæ habita, quæ inter haſce ſeſs. ordine 2. eſt, & ſeqq. 19. uſque ad 24. diſputatum quum fuiſset adverſus Marcum Epheſinum a Johanne de Montenigro Ord. Prædic. de proceſſione Spiritus S. a Filio, inter alia, *Nos*, ait, *qui ſequimur Apoſtolicam Sedem, unam novimus cauſſam*

Fi-

Filii, ac Spiritus, Patrem; *nam ab initio prædicationis Apoſtolorum fides noſtra fulget ſole ſplendidius*: *ſermo enim Domini ad Principem Apoſtolorum Petrum*, Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, *non præteriit*, *non præteribit*. *Namque unicum fulcimentum*, *ac fundamentum omnibus Chriſtianorum Eccleſiis eſt Romana Eccleſia*; *quippe quæ germanam habet pietatem*, *clauditque*, *& obſtruit omne hæreticum os loquens in excelſo iniquitatem*. Itaque Johannes Romanæ Eccleſiæ, ſive ab ea indiſtinctæ Apoſtolicæ Sedis doctrinam Apoſtolorum Principi referendo acceptam, atque in argumentum inſuper Concilio coram auctoritatem aſſumendo, rem omnem demum adverſus inverecundum obtrectatorem illum ſe inviciſſime, omninoque confeciſſe confidit. Atque ita a Johanne approbante Synodo, applaudenteque eò demum res deducta eſt, ut Romani Pontificis in fide infallibilitas, potiorque poteſtas, quo utramque dicaciſſimus ſycophanta detrudere adnitebatur, loco poſita, & firmata, inque tuto fuerit collocata. Poſtquam vero Latinis Græci de Spiritus S. proceſſione a Filio conſenſiſſent, ſeſſ. 25. in Concilii ſerie n. 9. Joſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus jampridem morbo affectus prope diem ſe moriturum intelligens, propria manu ſchedulam conſcripſit, qua fidem ſuam hiſce verbis expoſuit: *Joſeph miſeratione Divina Archiep. Conſtantinopolis... Quoniam ad finem vitæ meæ perveni ſoluturus jam commune debitum*, *Dei gratia ſcribo*, *& ſubſcribo ſententiam meam aperte univerſitati meorum filiorum*. *Omnia igitur*, *quæ ſentit*, *& dogmatizat Catholica*, *& Apoſtolica Eccleſia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſenioris Romæ*, *ipſe quoque ſentio*, *& iis me acquieſcentem do*, *& dico*; *profiteorque quoque Beatiſſimum Patrem Patrum*, *& Maximum Pontificem*, *& Vicarium Domini noſtri Jeſu Chriſti antiquæ Romæ Papam ad certam omnium fidem*, *nec non purgatorium animarum*. Subſcriptum die 9. Junii anno 1439. Quibus quid aliud, dic ſodes, intelligi datur, intendiſſeque ille dicendus eſt, quam quod eadem equidem, quæ de Pontificis ſuprema poteſtate, infallibilitateque alte Latinis noſtris inſedebat, tum demum ſibi animo defixa eſſet ſententia, nullo deinde modo avellenda, inque eamdem perinde velle, & percupere, ut Græci ſui ultro, citroque con-

concederent, deque ea, utpote quæ ipſorum majoribus inſita, acceptaque jugiter fuerat, deinceps ſe deterreri nulla ſinerent ratione. Eadem in ſeſs. S. Bernardinus Senenſis etsi græci idiomatis ignarus, Spiritu S. tamen afflante repente e ſuggeſtu græce adeo ſapienter, affatimque Græcis ſermonem habuit de fide Eccleſiæ Romanæ, ut in admirationem rapti Græci non diu reluctandum duxerint fidei Romanæ Eccleſiæ conſociari. Legendi Surius, Wadingus, & Berninus tom. 4. ad ſæcul. XV. cap. *6*.

Poſtremo ſeſs. 27. poſtquam de illo dogmate, ac præcipuo, ſcilicet de proceſſione Spiritus S. utrinque conveniſset, de Romanæ Sedis privilegiis, aliiſque, quæ huc non ſpectant, dogmatibus actum eſt. Eccleſiæ ſuæ ſententiam Græci his verbis explicuerunt: *De primatu Papæ ſic eſt conſtitutum, ut quæcumque habebat ab initio, & ante ſchiſma privilegia, rurſus hæc ipſa habeat.* Biduo poſt Eugenium quum adiiſsent, Pontifex habens præ manibus ſcriptum circumplicatum illos ſic alloquutus eſt: *Nos Deo juvante conſentimus de omnibus, & una ſumus conſpiratione uniti. Reſtat adhuc modica dubitatio; utque antea diximus eam vobis ſcriptam damus*: Græcis vero rogantibus lecta eſt ſchedula, qua continebantur quatuor Pontificis poſtulata, primum (nam reliqua erant circa alia dogmata, Purgatorii &c.) auctoritatem Pontificiam ſpectabat, cujus majorem explicationem a Græcis expetebat, ſcilicet: *Ut Sedes Apoſtolica*, inquiens, *ſeu Vicarius Domini N. J. Chriſti ſummus Pontifex habeat ſua privilegia, & licuerit ei ſuo jure, quippe ut ſummo Pontifici adjicere, quod ſacro ſymbolo addidit*. Huic poſtulato ſe privatum reſponſum dare Græci (dicentes ſibi ab Imperatore reſpondendi facultatem nondum factam) dixerunt: *Dicimus primum poſtulatum eſse iniquiſſimum. Nam quomodo nobis affirmare liceat facultatem eſse Romanæ Eccleſiæ addendi, ſeu demendi abſque ſuis fratribus Patriarchis? Quapropter & ſi pium eſt, quod fuit additum, qui tamen hoc patrare auſus fuerit citra cognitionem ſynodicam culpa nequaquam vacabit*. Poſt hæc Johannes de Monte nigro ſemel, iterumque jubente Eugenio præclare de Romani Pontificis Primatu diſseruit, congeſtiſque ex utriuſque Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ traditione teſtimoniis oſtendit: *Quod ſit ſummus Pontifex, &*

Petri ſucceſsor, Chriſtique Vicarius; & judicet, ac regat Catholicam Eccleſiam tamquam Doctor, & Paſtor. His auditis poſt dies aliquot Græcorum Imperator juſſit afferri libros; Græci vero præſules, ac doctores præhabita diligenti in ſuarum Eccleſiarum traditionem, ac jura inquiſitione, tandem in eam abiere ſententiam Romani Pontificis, quibus de agebatur, privilegia dubio omni procul eſse admittenda, duobus dumtaxat exceptis, videlicet: *Ne convocet Synodum œcumenicam ſine Imperatore, & Patriarchis, ſi conveniant; quod ſi advocentur, & non veniant, ne propterea impedimento ſint, quominus Synodus fiat*. Alterum eſt: *Ut ſi quis putet ſe ab aliquo Patriarcharum pati injuriam, & veniat qui interpoſuit appellationem, ne Patriarchæ ipſi ſe ſe ſiſtant judicandos, ſed Papa mittat in Provinciam quamque Inquiſitores, & ibi per eos præſentibus negotiis in partibus, injuriam paſsus jus ſuum obtineat*.

Hæc quum ad Eugenium retuliſset Imperator, ille die 22. Julii ejuſdem anni 1439. reſpondit ſe velle integra omnia Eccleſiæ ſuæ privilegia manere, neque de iis particulam detrahi, velleque ad ſe fieri appellationes: nec non regendi, & paſcendi, univerſam Chriſti Eccleſiam, uti ovium Paſtori ſibi concreditam poteſtatem agnoſci: auctoritatem præterea ſibi eſse, & facultatem celebrandi Synodum œcumenicam, quum opus fuerit, & omnes Patriarchas parere ejus voluntati oportere. Ea de re habita eſt inter ſelectos ex utraque Eccleſia Theologos acerrima utrinque diſputatio, qua abſoluta Græci in domum Imperatoris ſecedentes collatis invicem conſiliis ſententiam ſuam de Romani Pontificis privilegiis ſcriptis mandarunt in hæc verba: *De primatu Papæ fatemur ipſum ſummum Pontificem, & procuratorem locum gerentem, ac Vicarium Chriſti, Paſtorem, & Doctorem omnium Chriſtianorum, regentem, & gubernantem Dei Eccleſiam, ſalvis privilegiis, & juribus Patriarcharum Orientis, & Conſtantinopolitanum quidem ſecundum eſse poſt Papam, deinde Alexandrinum, poſt hunc eſse Antiochenum, poſtremo Hieroſolymitanum*. Nihil vero ultra ſe ſcripturos ſubjunxere Græci. Eugenio probata declaratio eſt, ſtatimque unionis decretum a ſelectis ex utraque parte viris conſcriptum; editaque pridie Nonas

nas Julii anno 1439. conſtitutio eſt, quæ incipit *Lætentur Cæli*; qua inter alia, quæ hujus inſtituti ſunt, ita Eugenius fatur: *Item definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem ſucceſsorem eſse B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a D. N. J. Chriſto plenam poteſtatem traditam eſse, quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris canonibus continetur.* Hocce decretum cum Latini, tum Græci univerſi, uno dempto Marco Epheſino, (cujus peſſima opera paulo poſt effectum eſt, ut Græci ad priſtinum ingenium regreſſi, in ſchiſma, a quo paulo ante reſipuerant, turpiter relapſi ſint,) propria ſyngrapha appoſita prono animo, ulniſque ambabus ſunt amplexati. Porro ea conſtitutio aliis verbis prius efformata fuerat, ſcilicet in decreto de privilegiis Papæ dicebatur: *Quod Papa haberet privilegia ſua juxta determinationem S. Scripturæ, & dicta Sanctorum*: poſtremum hoc verbum *dicta ſanctorum* Imperatori non allibuerat, unde obtendebat: *An ſi quis ſanctorum in epiſtola honorat Papam, excipiet hoc pro privilegio?* Quamobrem ſignificavit Eugenio, ut aut hoc corrigeret, ſin ipſe re infecta rediret, ejuſque loco ſufficeret verba hæc: *juxta tenorem canonum*. Julianus Cardinalis cum Imperatori, tum Græcis perſuadere conatus eſt verba illa expungenda non eſse, quum ex dictis Sanctorum Symbolum quoque fidei compoſitum ſit, liturgia, & canones coaluerint, & ſine dictis ſanctorum nihil confectum. Græci denique præ habita deliberatione reſponderunt: habenda eſse a *Papa ſua privilegia juxta canones, & dicta Sanctorum, ſacramque Scripturam, & acta Synodorum*. Poſtridie vero decretum unionis emendatum, & juxta tenorem ſuperius expreſsum Imperatori, & Græcis Latini exhibuere, cui Græci univerſi utroque pollice ſubſcripſere: atque ita numeris ſuis abſolutum unionis negotium eſt.

Hiſce animadverſis duo exinde colligere eſt. 1. Equidem nihil ex Concilio Florentino detractum iviſse Romani Pontificis privilegiis, quibus de agitur. 2. Quin imo potius plurimum illis

privilegiis acceſſiſse. Quod igitur ad 1. ſpectat, fateor Græcos illa privilegia Pontifici denegaſse, attamen non conſentanee, rectaque conſecutione id ibant inficias. Siquidem ſemel aſserto Romani Pontificis tali primatu, videlicet quod ſit B. Petri ſucceſsor, verus Chriſti Vicarius, atque factam a Chriſto poteſtatem habens regendi, & gubernandi univerſam Eccleſiam; aſserere, ſi recta loqui vellent, ſibique in ſententia æquales eſse, omnino oportebat perinde Pontificem Eccleſiæ univerſæ poteſtate præſtare, neſciumque eſse in fide aut falli, aut fallere. Atque revera ita affirmaſse viſus eſt Joſephus Patriarcha, qui in confeſſione fidei ante obitum ſcripta profeſsus eſt ſe omnibus his, quæ tenet, & docet S. Romana Eccleſia, integre adquieſcere. Sed nec rectæ traditioni Græcæ Eccleſiæ inhærentes id inficiabantur. Quandoquidem, ut ex Conciliis Orientalis Eccleſiæ oſtendimus, atque uti ſuo loco, quum de traditione Eccleſiæ Orientalis ſermo inſtituetur, a SS. Patribus Græcis perpetuo Apoſtolicæ Sedi una cum primatu illa duo privilegia, veluti ejuſdem appendices, adjudicata ſunt, & aſserta. 2. Græci negantes potuiſse a Pontifice addici ſymbolo illam vocem *Filioque*, negarunt pariter eam additionem fieri potuiſſe a Concilio œcumenico, ac univerſa Eccleſia, ut ex reſponſione Beſſarionis ſatis pateſcit: ea ſcilicet ratione, (etſi non recta) ducti, quod ſemel a Synodo ſtatutum non poſſet amplius minui, addi, aut mutari: unde quum dixere Eugenio non licuiſſe eam particulam addere, & quum dixere id ei non licuiſſe abſque conſenſu Patriarcharum, aut cognitione Synodica, duo dixere ſe ſe invicem collidentia, ſcilicet non licuiſſe etiam id Synodo univerſali, & non licuiſſe Eugenio id abſque Synodi conſenſu: niſi id ea ratione dixerint, quod cenſerent a Pontifice non poſſe abrogari canones; quod idem cenſere debuiſſent etiam de Concilio: quod utrumque tamen ex parte quidem verum, ſcilicet quod canones circa fidem nec a Pontifice, nec a Concilio abrogari poſſint; at ex altera parte falſum, nempe quod a Concilio, multo magis a Pontifice abrogari nequeant (valide etiam ſine cauſsa, licite vero ex cauſsa) canones circa diſciplinam verſantes.

Quod ad 2. vero ſpectat, eſto ex Bulla *Lætentur* inferri nequeat

queat a Concilio Florentino expreſse fuiſse definitam hanc quæſtionem, uti docent Duvallius par. 4. de ſuprem. Pontif. poteſt. q.7., & Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 13; nihilominus ex eodem Concilio pleraque extundi pugno, quibus ea privilegia Romano Pontifici aſserenda ſint: Nam. 1. in Concilio Græcis Latini Rhodius, Julianus, Johannes &c. perpetuo credendum propoſuere cum Latinis Pontificem infallibilem eſse, atque ſuprema in Eccleſia poteſtate potiri: neque id unquam poſt diſputationes ea de rè habitas, poſt declarationes ab Eugenio a Græcis expoſtulatas, ac præſertim poſt editam conſtitutionem *Lætentur*, Græcos inficias ivifse legitur. Quinimo Joſephus eorum Patriarcha, ut ſupra diximus, expreſse ſcripſit ſe Romanæ Eccleſiæ doctrinæ adquieſcere. Gemina ſunt vero, & congruentia, quæ in reſponſ. ad Marcum Epheſin. repoſuit Joſephus Epiſc. Methonenſis: *In Romana*, inquiens, *Eccleſia nec infidelitas, nec turpe dogma unquam manſit.* Et infra. *A te emendari Romanam Eccleſiam nil opus erat: nam illa cunctarum eſt gubernatrix Eccleſiarum, & ægrotantibus Eccleſiis peritiſſime medetur, quum poteſtatem a Chriſto acceperit alias gubernandi, confirmandi, & corrigendi, non ut ipſa confirmetur ab aliis*: Et tu, *inquit ſalvator ad Petrum*, aliquando converſus confirma fratres tuos: *Non dixit confirmare a fratribus tuis, ſed confirma*. Similia in apolog. adverſus eumdem Marcum Epheſ. ſcripſit Gregorius Protoſincellus, ubi in laudem Pontificis prolatis ex SS. Chriſoſtomo, Theodoro Studita, Arcadio, & S. Cyrillo in III. Synodo, & Valentiniano in Synodo IV. egregiis, liquidiſque teſtimoniis, *Quum igitur*, ſubjungit, *facultas illi* (Papæ) *ſit exercendi judicium de fide, & ſacerdotibus, jure & Chriſtianorum omnium Doctor in definitione inſcribitur.* 2. Græci in Concilio poſt declarationes ab Eugenio expetitas duo tantummodo excipiebant privilegia, quibus utique frui Pontificem nollent, ſcilicet poteſtatem congregandi Concilia ſine Patriarchis, & appellationes ad Sedem Apoſtolicam, quæ duo quidem negata cum privilegiis ceteris Romani Pontificis componi facile poterant: nihilominus Eugenius eadem quoque agnoſci, ac ſibi omnimode adſeri voluit; ut proinde convenerint Græci Pontificem eſse Vicarium Chriſti, Paſtorem, & Doctorem omnium,

nium, ac Dei Eccleſiam gubernandi, & regendi plenam a Chriſto D. poteſtatem habere, ſalvis dumtaxat juſſis privilegiis Patriarcharum; ac proinde Eugenii poſtulatis illos feciſse ſatis, ejuſque voluntati ſe integros permiſiſse, unde nullum deinceps illis ſupra ea re negotium fuerit faceſſitum, liquido adparet. 3. Græci quemadmodum Latini conſtitutioni *Lætentur* ex animo acquieſcentes propriam ſyngrapham adjecere; at ea ſubſcriptione Latini duobus præfatis Pontificis privilegiis deferebant; idem ergo præſtitiſse quoque Græcos oportet. Sed & id conſtitutio illa præſeferebat; quippe eo ipſo, quod Romanum Pontificem Petri ſucceſsorem, Chriſti Vicarium, ac plenam poteſtatem habere regendi Eccleſiam univerſam definivit; id plane conſequitur, quod Pontifex infallibilitatis prærogativa, ſupremaque in Eccleſia poteſtate præfulgeat: atque quidem, *Quemadmodum*, ut ait conſtitutio, *etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris canonibus continetur*. A Conciliis autem, atque canonibus Pontifici Romano illa privilegia ſatis aſserta fuiſse plurimis uſque modo demonſtravimus, eaque etiam a Patribus Græcis luculenter vindicata planum infra faciemus.

Haud me fugit equidem particulam illam *quemadmodum etiam* legendam juberi hoc modo a Natali: *quemadmodum &*, quomodo eam legerunt Blondus Eugenii IV. Notarius lib. 3. decad. 10; Vigerius Ord. Minor. Cardinalis in dechachordo chorda 10; Johannes Fischerus Roffenſis Epiſc. in art. 25. adverſus Lutheranas aſsertiones; Echius lib. 2. de primat. S. Petri cap. 25; Albertus Pighius lib. 4. de Hier. Eccleſ. cap. ult.. At nihil intereſse nemo non videt, num legatur *quemadmodum etiam*, aut *quemadmodm et*: tò enim *et* Grammaticis frequenter idem eſt atque *etiam*. Niſi quod potius poſt Maimburgum, Launojum, &c. de Marca, Boſsuetius, Natalis, & Rollinus tom. 1. ſuæ docendi, ac ſtudendi methodi cap. 2. de ſtudio linguæ græcæ legendum volunt non *quemadmodum*, ſed *juxta eum modum, quo & in actis Conciliorum &c.*, quia nempe hic modus legendi græco textui reſpondet καθ' ὃν τρόπον: ſcilicet hac poſteriori lectione Romani Pontificis auctoritatem coarctatam autumant, ita ut ſenſus ſit a Chriſto accepiſſe illum poteſtatem quidem regendi Eccleſiam

ſiam, ſed juxta præſcriptum canonum, quibus Pontifex non ſit ſuperior. Næ ſubleſtæ fidei homines, atque ad fallendum compoſiti pro ea, qua pruriunt libidine quaquaverſus Romani Pontificis privilegia lædendi, ac labefactandi, ut fucum facerent, neque ab apinis hiſce, nugiſque grammaticis ſe abſtinere noverunt, ſatiſque habuere. Niſi quod medius fidius ſibi offendunt, ac maximopere hallucinantur.

Enim vero, ut illud prætercam verſionem illam poſteriorem gallicanæ linguæ potius, quam græcæ eſſe accommodam, quum græca lexica æque vertant καθ' ὃν τρόπον per *quemadmodum*, atque *juxta eum modum*, obſervo 1. Quod illa particula *quemadmodum etiam* nequaquam falſæ interpretationi, ac fraudulentæ textus græci peractæ ab Abrahamo Cretenſi attribuenda eſt, uti ei attribuunt laudati auctores; imo id non veriti, ut in dubitationem ſtudioſæ, fallaciſque illius interpretationis Latinos Patres Concilii Florentini adducerent: nam refert Silveſter Schyropulus unus Græcorum, qui in Concilio erga Latinos peſſime erat affectus, refert, inquam, in hiſt. Concil. Flor., quod tum a Pontifice, tum ab Imperatore, plurimiſque Patribus qua Latinis, & qua Græcis conſtitutionis *Lætentur* quinque exemplaria utrumque textum ſive græcum, ſive latinum exhibentia ſubſcripta fuere: num vero plura numero conſcripta, & ſubſcripta fuerint, non eſt notum: ut ut ſit, quinque optimæ notæ exemplaria hujuſce decreti etiam num ſervantur 1. in bibliot. Medicea, 2. in Caſtro S. Angeli; 3. in biblioth. Vaticana; 4. in Colbertina, nunc Regia; 5. in bibl. FF. Min. ſtrict. obſerv. conventus Feſulani; atque in his quinque exemplaribus textus latinus hanc exhibet lectionem, *quemadmodum etiam in geſtis &c.* Ergo ab Abrahamo Cretenſi ea interpretatio non eſt inlata.

Obſervo 2., quod quiſnam fuerit auctor Græcus actorum Concilii Florentini græce, & latine editorum hactenus latet eruditos; ſiquidem ex græcis exemplaribus unicum repertum eſt, quod lucem aſpexit ſine ſcriptoris nomine anno 1526. ſedente Clemente VII. typis Romæ excuſum, a Bartholomæo Abrahamo Cretenſi latine redditum, *Florentina Synodus œcumenica octava* inſcriptum; at emendatus eſt mendoſus titulus in verſione altera ejuſ-

ejuſdem græci codicis a Johanne Matthæo Cariophylo Cretenſi, quæ in Conciliis gener. ſub Paulo V. Romæ editis eſt impreſſa, atque in collect. Labbeana pariter exſtat. Leo Allatius in notis crit. ſuper hiſt. Concil. Flor. græce ſcriptam a Silveſtro Schyropulo, quam latinam fecit Robertus Creigthon anno 1660, ſuſpicatus eſt exercit. 5, quod ſcriptor græcus actorum Concilii Florentini fuerit Manuel Chryſocuce magnus Sacellarius; vel Theodorus Xanthopulus magnus Scevophilax. Laudes equidem Allatio ſint pro eo, quo veritatis ſtudio flagrabat in egregiis ſuis exercitationibus, utque adnotavit Labbeus, fides nec Schyropulo homini nihili habendo ignoto, ignobili, ſchiſmatico, hæretico, ſuiſque infenſo; nec Creigthono interpreti non abſimili morbo laboranti, viro in Eccleſiam catholicam effreni, rabieque efferata in Pontifices optimos efferveſcenti, & deblateranti, omnino adhibenda ſit; verum (pace ipſius ſit dictum) fallitur de Manuele, ut qui a Concilio aberat, & Beſſarioni in mandatis dederat, ut ſuo nomine ſubſcriberet. Divinando poſtea Theodoro id tribuit nulli veriſimillimæ innixus conjecturæ. Leviſſimæ non ſecus conjecturæ fidens Spondanus ad annum 1438. ſcriptorem illum græcum autumavit Matthæum Meleniceuſem, ut qui in act. ſeſs. 25. poſtremo loco ſe nominat. Sed hæc conjectura tanti non eſt, ut noſtrum extorqueat aſſenſum. Videſis Labbeum obſervat. de edit. Concilii Florent., & Pagium brev. hiſt. crit. Rom. Pontif. in Eugenio IV. Quiſquis igitur fuerit auctor ille Græcus editionis græco-latinæ actorum Concili Floren., id certum eſt illum turpiter hallucinatum errores propinare voluiſse: nam diſputatores enumerans cum ex Græca, tum ex Latina Eccleſia delectos, ſex ex Græcis ſelectos, ſeptem vero ex Latinis recenſet: ſcilicet ex Græcis Marcum Epheſinum, Iſidorum Ruthenum, Beſſarionem Nicænum, Theodorum Xanthopulum, Michaelem Balſamonem, & Georgium Gemiſtum: ex Latinis vero Nicolaum Cardin. Albergatum, Julianum Card. Cæſarinum, Andream Rhodium, Johannem Forojulienſem, & duos Monachos Theologiæ Magiſtros; qui fuere Johannes de Monte nigro Ord. Prædicat., & Petrus Perquerii Ord. Min., & Johannem de S. Thoma Ord. Eremit. S. Auguſt. At vero Andreas de S. Cruce Romanus, & Apoſtoli-

ſtolici Conſiſtorii advocatus Concilio Florentino præſens in ſuis diſſert. ſex tantum ex Latinis delectos narrat, atque ex eorum numero Cardinalem Albergatum excludit, qui plane tum temporis Nurimbergæ Legatum Eugenii agebat. Alium in errorem lapſus ſcriptor GræcusEpiſcopum Forojulienſem inter diſputatores recenſitum non Ludovicum, ſed Johannem nominat. At Johannes ab Epiſcopatu Forojulienſi ad Anconitanum die 6. Martii anno 1437, adeoque ante celebrationem primæ ſeſs. Concilii, translatus fuerat: eodemque pariter anno die 14. Junii a Sanguinenſi ad Forojulienſem Epiſcopatum translatus fuerat Ludovicus Ord. Min., ut refert Horatius Juſtinian. in notis ad 2. collat. actor. Concil. Flor., & poſt ipſum Pagius loc. citato. Utrumque hunc errorem ex ſcriptore illo Græco hauſit, & ſectatus eſt Natalis diſſert. 10. in hiſt. Eccl. ſæculi XVI. Sed & fieri facile potuit, uti frequens factum a Græcis neminem latet, ut ſcriptor Græcus fraude uſus, ſive Anglus interpres ad fallendum compoſitus, uti viris hujuſce furfuris familiare eſt, ad coarctandam Romani Pontificis auctoritatem pro tò *quemadmodum etiam*, tranſtulerit *juxta eum modum*, *quo &c.* Confer. clariſs. Allatium loco indicato.

Obſervo 3. difficile fieri potuiſſe, ut Eugenius, ac Latini, qui tunc temporis qua a Baſileenſibus, & qua a Græcis Romani Pontificis auctoritatem præſertim circa Concilia, & canones vindicare ſummis viribus enitebantur, id voluerint morem Græcis gerendi gratia, ut eadem Pontificis auctoritas tam arctis Conciliorum, & canonum limitibus comprehenſa iret. Senſus igitur naturalis, obvius, & litteralis laudatæ conſtitutionis eſt: quod Romanus Pontifex plenam poteſtatem habeat regendi, ac gubernandi univerſam Eccleſiam, hancque ipſi poteſtatem a Deo factam probari ex S. Scriptura,& dictis Sanctorum,ut ajebat primum decretum,& ſicut ait decretum reformatum, probari ex geſtis Conciliorum, & ſacrorum canonum, ſcilicet ex act.2. Concilii Epheſini;ex act.3. Concilii Chalcedonenſis; ex can.2. Synodi VIII;verbo, ex actis Conciliorum generalium univerſim, ut ſatis conſtat ex dictis, & ex jure canonico multis in locis ſæpius a nobis laudato. Unde alienum in ſenſum tò *Quemadmodum* intorquere

nihil eſt aliud, quam cavillari, & verborum contextui vim inferre. Ex quibus denique illud conſequitur, quod contendimus, ſcilicet ſi Pontifex in Eccleſiam univerſam plenam habet poteſtatem, in Concilia quoque, & canones, ille profecto ſupra Concilia ſuprema fruitur poteſtate, atque falli, & fallere omnino eſt neſcius: uti ex ſequentibus magis firmabitur, planiſſimumque fiet, ut propterea iis oculi cæcultent oportet, admodumque rudis animus inſit, qui nondum perſpecta, nondumque perſuaſa hujuſmodi habeant. Quapropter

Ex eodem Concilio Romani Pontificis auctoritas ſuprema eniteſcit; innoteſcitque magis, ac magis ſenſus conſtitutionis *Lætentur*. Nam, ut jam diximus, poſt Græcorum diſceſſum audito, quod a Baſileenſi pſeudo-Synodo decreta Pontificiæ poteſtati ſupremæ derogantia fuiſſent evulgata, Eugenius edita conſtitutione *Moyſes* ea decreta infirmavit, & infregit. Poſtea vero, ideſt circa anni 1439. exitum, appulſis Florentiam Armenis unionis conciliandæ gratia cum Romana Eccleſia, cui Jacobus a Primadiciis Ord. Min. jam ab aliquibus annis laborioſam, egregiamque operam præſtiterat, atque feliciter cum Armenis peracto unionis negotio, illis Eugenius publica in ſeſſione inſtructionis decretum dedit, quod incipit *Exultate Deo* anno 1439. die 22. Novembris, non vero die 10. Decembris, ut ſcribit Raynaldus: inter quæ illud Armenis Eugenius credendum propoſuit ſcilicet *Quidquid tenet, & docet S. Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia*; quod ultro, citroque Amenorum Oratores ſuo, & ſuorum nomine amplexati ſunt. Rurſus anno 1441. quum ad Florentinum Concilium acceſſiſſent quoque Jacobitarum Legati, quos illó adduxerat Albertus Sartianenſis Ord. Min., publica in ſeſſione coram Eugenio, Andreas Abbas Monaſterii S. Antonii in Ægypto totius Jacobitarum gentis, & Johannis eorum Patriarchæ Legatus ſyriaco idiomate religioſam orationem habuit, in qua ſupremam Romani Pontificis poteſtatem laudibus celebravit; deinde unionem perfici demum poſtulavit exhibito legationis ſuæ inſtrumento, quod ſic habebat: *Johannis humilis ſervus ſervorum Chriſti, Miniſter ſedis S. Marci, magnæ ſcilicet Alexandriæ, & totius Ægypti, Lybiæ, Æthiopiæ, Pentapoleos Occidentalis,*

talis, Africæ, totiuſque prædicationis Apoſtoli Marci, humilis, dico, in ſuis peccatis, petita prius venia, & abſolutione ab ipſo Domino, uſque ad terræ pavimentum coram te juſtiſſime, & ſanctiſſime Pater, inclino, perfectio Sacerdotii, Paſtor optime, honeſtatis, ac ſanctitatis Princeps, piiſſime ductor eorum, qui in via hujus peregrinationis incedunt, qui ſtudio, ac ſanctitate ceteris viam ſalutis oſtendis, Domine Eugeni Papa magnæ Urbis Romæ, omnium Eccleſiarum chriſtianorum Apoſtolice Paſtor, Principum Chriſti ſedium unice, venerande Patrum, ac Sacerdotum Princeps, & medice languentium animarum &c. legitur tom. 3. Concil. datum Chayren 12. Septembris anno 6940. ſecundum Græcos; ſecundum vero Jacobitas 1157. a tempore Martyrum, (ſcilicet perſecutionis Diocletianeæ) a computatione Incarnationis Dominicæ 1440. Anno vero ſequenti ab adventu Jacobitarum, ideſt 1442. (nam annus 1441. datus a decreto Eugenii pro hac unione nobis eſt 1442) Jacobitis tradita fuit inſtructio fidei ab Eugenio, qui inter alia ipſis recipiendæ tanquam œcumenicæ inter reliquas ſpeciatim Florentinæ Synodi auctor fuit, ſicuti quam propoſuerat Græcis, & Armenis; atque quæ tenet, & docet Romana Eccleſia credenda propoſuit. Quibus Andreas Legatus ſuo, & Jacobitarum nomine libens ſubſcripſit. Porro Auguſtinus Patricius in ſummario Concilii Baſile. teſtatur Bullam unionis Jacobitarum manu Eugenii, & Cardinalium ſubſcriptam ab ſe viſam una cum aliis actis ejuſdem Concilii Florent., quæ in Arce S. Angeli aſſervantur. Narrat etiam Horatius Juſtinianus in ſua edit. Concil. Florent. hoc decretum pro Jacobitis una cum decretis pro Græcis, & Armenis illi inſertis tranſumtum fuiſſe ex Mſs. codicibus Vaticanis; Bullario Rom., & ex originali Bulla in conventu FF. Min. ſtrict. obſerv. Feſulano prope Florentiam aſſervata.

Ad hæc Albertus Sartianenſis mox laudatus eodem anno Legatum Jacobitarum non modo, ſed etiam ſecum eó adduxerat Petrum Diaconum Oratoris munus obeuntem Conſtantini Zaræ Jacob Imperatoris Æthiopum, vulgo dicti Presbyteri Johannis. (Zara Jacob dicebatur Æthiopiæ Imperator, ut adnotat Horatius Juſtinianus apud Harduinum loco indicato; quod cogno-

men ſignificat filium, ſeu ſemen Jacob; quippe Imperatores illi ſe ex Jacob per Salomonem, & Reginam Sabam originem ducere gloriabantur.) Ut hunc Legatum in Concilio, quod majorem etiam auctoritatem ex loco obtineret, reciperet Eugenius, Concilium Florentia Romam poſt ſeſs.10, in ſerie Concilii ordine 30. anno 1442. tranſtulit, referente Auguſtino Patricio in ſuo ſummario act. Concil. Baſil. Romam ergo acceſſere etiam Abdalas Archiepiſcopus Edeſſæ Ignatii Patriarchæ Syrorum, totiuſque gentis nomine Legatus; cum Syris anno 1444. confecta unione in Concilio Laterani habito, Eugenius ipſis eam fidei regulam, quam Romana profitetur Eccleſia in ſeſſ. 1. Lateranenſi, atque 31. in ſerie ſeſſ. Concilii Flor. tradidit. Anno vero 1445. in generali congregatione apud S. Petrum 7. Nonas Auguſti celebrata Eugenius conſtitutionem edidit pro Chaldæis etiam, qui Neſtorii erroribus, & Maronitis, qui Macharii Antiocheni, ſeu Monophyſitarum, divinam ſcilicet dumtaxat voluntatem, & operationem in Chriſto aſſerentium, errore inquinati erant, quos prædicatione reduxerat Andreas Coloſſenſis ab Eugenio in Orientem miſſus; qua conſtitutione edocebantur, non ſecus ac Jacobitæ, Æthiopes, & Armeni inter alia Romanæ Eccleſiæ fidem tenendam, ac edocendam. Extant conſtitutiones hujuſmodi tom. 13. Concil.; & in collect. Harduini tom. 9. in actis ab Horatio Juſtiniano editis. Chaldæorum in Cypro agentium Metropolita Timotheus Tarſenſis Archiepiſcopus, & Iſaacus Eliæ Maronitarum Epiſcopi nuncius, ſuo, ſuorumque nomine in profeſſione fidei coram Eugenio Pontifice, ac congregatione generali emiſſa præclarum hiſce Pontificiis prærogativis, quibus de agimus, perhibuere argumentum. *Profiteor, voveo, atque promitto ...... Eugenio Papæ IV.... Quod ſemper manebo ſub obedientia tua, & ſucceſſorum tuorum, ac ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tanquam ſub unica Matre, & Capite omnium aliarum.... ſemper tenebo, confitebor, prædicabo, & docebo, quidquid tenet, confitetur, docet, & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia, & quidquid ipſa reprobat, anathematizat, damnat, reprobo, anathematizo, & damno*. Referuntur ab Eugenio in conſtit. *Benedictus ſit Deus*.

Nec eſt cur Natalis ajat Concilium, quod Florentiæ poſt Græ-

Græcorum diſceſſum manſit, ac Romam deinde translatum eſt, Concilii œcumenici auctoritate carere, utque careat in cauſſa extitiſſe Græcorum a Concilio receſſum. Nam ipſe Natalis Baſileenſe generale fuiſſe contendit etiam primis ſeſſionibus, quibus tamen vix decem interfuerant Epiſcopi, quia nempe omnes accerſiti fuerant, idque ſat fuiſſe ait, quamvis non interfuerint. At Græci nondum diſceſſerant, quum advenerunt Armeni, neque eos latebat alios expectatos tum Orientales, & cum omnibus de unione agendum fuiſſe, finiendumque pactum fœdus; quapropter ſi Concilio intereſſe amplius noluere, non exinde Concilio derogatum eſt. Quinimo Natalis fatetur a Græcis ante diſceſſum Summo Pontifici, ac Latinis Epiſcopis operis curam derelictam, ut unionis negotium cum ceteris Orientalibus abſolverent: *Unde & huic Armenorum unioni*, ait, *ac decreto de ea edito ſpiritu interfuiſſe Græci dici poſſunt*. Quorſum ergo obtrudit Synodum œcumenicam eſſe deſiiſſe poſt Græcorum diſceſſum, quum illi liberrime, ac ſponte diſceſſerint, ac poſt diſceſſum a Latinis cetera communi nomine peragenda dereliquerint? Adde, quod, ut ſupra innuimus, Eugenius Jacobitis, ut Synodo Florentinæ tamquam vere œcumenicæ caput ſubmitterent, ſeque animo devoverent, juſſit. Sed & tom. 1. actor. Concil. Trid. ſub Paulo III, quæ in arce S. Angeli aſſervantur, habetur; quod die 26. Februarii an. 1547, quum Epiſcopus Clodienſis in congregatione generali excitaſſet difficultatem de Bulla unionis Jacobitarum, quaſi ea non pertineret ad Concilium Florentinum, confirmaretque hoc ipſum ex data Bullæ 1441, quum Concilium explicuerit pridem anno 1439, quo conſignata eſt Bulla unionis Græcorum, Cardinalis a Monte, Marcellus nempe Cervinus, ut admonet Harduinus in notis part. 3. Concil. Florent. collect. Hor. Juſtin. dixit: Hallucinari eos, qui putant finem Concilii Florentini fuiſſe unionem Græcorum, quum longe poſt, tres ſcilicet fere annos perduraverit, uſque videlicet ad annum Domini 1442, quo anno 6. Kalendas Maji celebratâ ſeſſione Romam translatum fuit: patere id ex diverſis conſtitutionibus medio illo tempore editis, quæ in actis Concilii habentur, & annotantur in ſummario Concilii Baſileenſis per Auguſtinum Patricium Canonicum Senenſem. Ita refert Horatius Juſti-

Juſtinianus part. 3. act. Concil. Flor. Ad hæc Eugenius poſt Græcorum diſceſſum publice a Johanne de Turrecremata apologia adverſus Baſileenſes adornata enuntiari hæc voluit: *Concilium Conſtantienſe non fuiſſe æcumenicum, niſi poſt unionem trium Obedientiarum: Papam legitimum ſupremam habere in Eccleſia auctoritatem: Concilium univerſale non habere immediate a Chriſto poteſtatem: Conciliorum univerſalium auctoritatem, & decretorum firmitatem ab Apoſtolicæ Sedis auctoritate immediate pendere: Concilium ſupra Papam indubium nullam habere poteſtatem: Decretum Concilii Conſt., quo Papa Conciliis ſubjicitur, non fuiſſe univerſale, aut illud tantummodo tempus reſpexiſse: nunquam Concilium Conſtantienſe decreviſse Concilium eſse Papa legitimo ſuperius: Baſileenſium propoſitiones veluti hæreticas damnari potuiſse: Baſileenſium decreta nunquam ab Eugenio probata fuiſse: Conciliorum decreta neceſsario a Papa eſse confirmanda &c.* Hæc, inquam, Eugenii juſſione ediſſerebat Johannes de Turrecremata; id audiebant, legebantque Latini; neque tamen, non dicam Eugenio, ſed Turrecrematæ negotium ullum faceſſendum exiſtimarunt. Vero itaque verius eſt a Concilio Florentino Summi Pontificis ſupremam poteſtatem agnitam fuiſse, & aſsertam. Præſtat jam, ut ad reliqua ex Conciliis Later., & Trid. monumenta exquirenda convertatur ſermo.

Ex Concilio Lateranenſi V.

§. II.

Antequam Concilii Lateranenſis acta expendantur, operæ pretium duco acta pro auctoritate Pontificis vindicanda a Pio II. expendere. Maimburgus, Natalis, & Boſsuetius Pium II. dum conſtitutionem incip. *In Minoribus* edidit, humani aliquid paſsum eſse, ac peſſime revocaſse, quod optime aſseruerat, ſcilicet Papam Concilio eſse inferiorem, mutataque conditione illum ſententiam mutaſse, dixerunt. At illorum audacibus dictis, quæ adhibenda ſit fides, ex ſuperioribus, ac ſequentibus prudens, apatheſque lector dijudicet, & decernat. Antequam Pius II. renun-

nuntiatus eſset, quumque adhuc Æneas Silvius audiret, anno 1452. in oratione habita adverſus Auſtrales ſatis declaravit ſe priſtinæ ſuæ opinioni de Concilii ſupra Papam auctoritate jam ab eo tempore valedixiſse. Qua de re recolenda, quæ diximus in ℞. 5. ad decreta Concilii Baſileenſis. Pontifex vero renuntiatus indicto conventu Mantuano anno 1459, ut refert Gobelinus Perſona in commentariis Pii II. lib. 2, cui intererant Oratores Orientales ex Morea, ſeu Peloponeſo, Cypro, Rhodo, Lesbo, nonnulli etiam ex Aſia, Macedonia, Epiro, Boſnia, & Illyrico: ex Occidentalibus vero Oratores Friderici Imperatoris, Caroli VII. Galliæ, Henrici Angliæ, Caſimiri Poloniæ, Johannis Aragonum, Mathiæ Hungariæ, Ferdinandi Neapolis, Renati Siciliæ, Stephani Boſniæ Regum; Sabaudiæ, Burgundiæ, Bavariæ, Britanniæ, & Auſtriæ Ducum; tum Venetorum, Florentinorum, Mediolanenſium, Genuenſium, & aliorum, ad quem Præſulum quoque plurimi acceſserant, horum unanimi conſenſione, & voce concordi Bulla edita anno 1460. die 18. Januarii, quæ incipit *Execrabilis*, appellationes omnes a Pontifice ad futurum generale Concilium tanquam erroneas, & deteſtabiles una cum ſuis auctoribus damnavit, atque ita appellantes tanquam hæreſis fautores, & læſæ majeſtatis reos plectendos eſse decrevit. Quumque, hac conſtitutione poſthabita, Gregorius Heimburgius Sigiſmundi Auſtriæ Ducis Orator ejuſdem Sigiſmundi nomine, qui ob vexationes Nicolao Cuſano Cardinali inlatas, a Pio II. ſacris fuerat interdictus, diriſque cunctis devotus, ab hac Pontificis ſententia ad futurum Concilium adpellaſset, inſtrumento appellationis Florentiæ ad valvas Eccleſiæ affixo, Pius litteris ad Germanos datis vehementer in Heimburgium indignatus poſtquam dira multa, probraque dixiſset, ideo, quod prælaudatam conſtitutionem appellationes prohibentem minoris, nihilique feciſset, illum a divinorum conſortio demum abſcidit, pœniſque plectendum devovit, ſubegit, devinxit, quæ iis incumbunt, qui de religione, ac de majeſtate damnantur. Quibus ille diris inflictus in Bohemiam ad Huſſitas demum obiit. In Sigiſmundum quoque animadvertit Pontifex, qui a Pontifice ad Concilium auſus fuerat appellare, atque ipſius fautorem Tridentinum Epiſcopum gra-

gradu deturbavit. Mitius ſibi agendum putavit Pius cum Galliæ Rege, ac Regno; nam etſi juſsu Caroli VII. Johannes Dauvet procurator occaſione minarum, quas Pontifex in pragmaticam ſanctionem intentarat, ad Concilium provocaſset, nihil illi, aut Regi Pius ſuccenſendum duxit propterea, ſcilicet ne tantum Regnum in diſcrimen adduceret. Sub id temporis anno 1461. Dietherus Iſemburgenſis Archiepiſcopus Moguntinus, quia non perſolverat annatam, a Judicibus Curiæ Romanæ anathemate innodatus Sigiſmundi Auſtriaci exemplo ad futurum Concilium appellationem interpoſuit; ac indicto Germanorum conventu nihil non egit, ut Proceres in partes raperet, atque appellationi efficeret adhærentes. Nuncios ad conventum Moguntinum Rodulphum Decanum Wormatienſem, & Franciſcum Canonicum Toletanum miſit Pius; ubi publico in conventu Rodulphus Diethero inter alia hæc exprobravit, ut refert Gobelinus lib. 6: *Oro, a quo judice provocaſti? Ab eo certe, qui non habet in terra ſuperiorem; nam quis major Papa in terris? Quæ celſior auctoritas? Quæ ſublimior dignitas? Quæ poteſtas altior, quam Jeſu Chriſti Vicariatus* &c. Rodulphi oratione perſuaſus Conventus nihil eorum fecit, quæ Dietherus efflagitabat; qui & pudore ſuffuſus appellationem devovit, & damnavit; ſed paulo poſt ad ingenium relapſus a Pio II, quam promeruerat, geminam ſubivit pœnam; ſcilicet ſacris omnibus in Eccleſia interdictus, ſedeque ſua ingenti non abſque ignominia motus, ei ſuffecto Adolpho Naſsovienſi Comite, qui denique reſipiſcens abſolutionem quidem a Nuncio Pontificis accepit, ſed priſtino gradui non eſt reſtitutus.

Ad præclara hæc poſtquam tum libro inſcripto *De moribus Germanorum*, tum in conventu Mantuano gravibus verbis pragmaticam ſanctionem improbaſset, nihil non egit Pius, ut Ludovicum XI, qui ſub id temporis Carolo VII. patri in Regno Galliæ ſucceſserat, adduceret ad eamdem pragmaticam ſanctionem abrogandam, quam ut abrogaret graviſſimas ad Carolum VII. dederat litteras Eugenius, ut legere eſt apud Raynaldum ad annum 1439, qua inter alia decreta Concilii Baſileenſis, atque ea quoque Pontificiæ poteſtati adverſa comprehendebantur. Votis Pontificis optimi annuit Ludovicus, Pioque inſcriptis litteris

Tu-

Turonis die 27. Novembris anno 1461. pragmaticam ſanctionem delevit, iis potiſſimum permotus argumentis, quod pragmatica ſanctio effervescente ſchiſmate per ſeditionem condita fuiſset: auctoritatem Sedis Apoſtolicæ labefactaret, ejuſque juribus infeſta eſset, & incommoda: licentiæ Præſulum fræna laxaret: aliorum Regnorum cum Eccleſia conſenſioni abſona eſset: a minoris auctoritatis Præſulibus contra Apoſtolicæ dignitatis apicem, decuſque fuiſset procuſa. Haud tamen facile fuit pragmaticæ hujus uſum, qui jam a 23. annis invaluerat, aboleri; nam anno 1464. Pio II. vita functo, ſuprema Senatus Pariſienſis curia pragmaticam ſanctionem retinendam, ac vindicandam ſuſcepit, ac Ludovico Regi enixe ſuaſit; proteſtata interea Curia illa ſe nolle dignitati, & auctoritati Pontificis quidquam detrahere. Præterea Academia Pariſienſis auſu ſummo tam a Rege, quam a Pontifice ad futurum Concilium provocare non dubitavit; & poſt Ludovici fata Regni Ordines pragmaticam, ut integram, ſacramque juberet, a Carolo VIII. precibus infimis poſtularunt, de qua tamen rurſus infra, quum de Concilio Later. ſermo fiet, nam reliqua Pii II. egregia pro auctoritate Pontificis ſarta, tectaque cuſtodienda facinora proſequi impræſentiarum præſtat.

Concilio Florentino, qui adfuerant Græcorum Imperator, & Patriarcha ſuo non modo, ſed etiam totius Eccleſiæ Orientalis nomine, cujus procurationem gerebant, cum Occidentali Eccleſia de fidei dogmatibus convenerant, inter quæ de Romani Pontificis auctoritate. At decretum unionis in Concilio editum, cui Græci morem geſſerant, tres Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus amplecti principio detrectarant, qui poſtmodum facti pœnitentes conventu ſuorum Provincialium habito, moraque omni poſthabita, atque ſuſcepto pervolupe decreto Romano Pontifici ſe ſe integre permiſerunt, velleque illi impoſterum tamquam Chriſti Vicario obtemperare lata lege ſe obſtrinxerunt; atque ad ea enuntianda Legatum miſerunt Moyſen Archidiaconum Antiochenum. Hunc trium Patriarcharum Legatum anno 1460. Senis, ubi tum degebat, Pius loquentem excepit, Patriarcharum conſilium probavit, fidem, cui animos adjicerent, propoſuit, obedientiam, cui ex officio ſe mancipa-

rent, præſcripſit. Tantum autem abeſt, ut refragrati illi ſint, ut potius in verbo Pii ultro,citroque requieverint.Poſtremo idem Pontifex memor eorum, quæ juvenis, ac in minoribus agens verbis, & ſcriptis pro Concilio Baſileenſi propugnaverat, quamvis & jam pridem ſe verbis,& factis ea apud Eugenium Pontificem retractaſſe conſcius eſset; nihilominus ne quid inde offendiculi in Eccleſia Dei remaneret, &, ut ipſe inquit, ne aliquando inquiant aliqui: *Qui hæc ſcripſit in Beati tandem Petri Cathedra ſedit: ita ſcripſit Æneas, qui poſtea Summum Pontificatum adeptus Pius II. appellatus eſt, nec invenitur mutaſse propoſitum; qui eum elegerant, ab iis ſcripta ejus approbata videntur*; edita conſtit. *In Minoribus*, reſcidit, damnavit, & revocavit, quæ olim pro Synodo Baſileenſi adverſus Eugenium ſcripſerat. Diploma retractationis Romæ ſexto Kalendas Maji anno 1463. datum legitur tom. 1. Bullarii Rom.; in collect. Labbeana tom. 13, Harduini tom. 9, & apud Bzovium, & Raynaldum ad eum annum; datum vero fuit præſertim ad Univerſitatem Colonienſem, quia ad eamdem Univerſitatem dialogorum libellum quondam conſcripſerat pro Concilio Baſileenſi adverſus Pontificem. Recole dicta cum in prolegomeno ad Concilia Piſanum, Conſtant., & Baſileenſe; tum in reſp. 5. ad decreta ſeſs. 4, & 5. Concilii Conſt., piget enim actum agere. Jam ad Lateranenſe Concilium gradus faciundus.

Concilium Lateranenſe V, in ſerie Conciliorum Latinæ Eccleſiæ X, univerſalium autem XVIII., ſub Julio II. uſque ad ſeſſ. 5. incluſive an. 1512, ſub Leone X. uſque ad 12. celebratum præclara nobis argumenta pro Romani Pontificis ſuprema poteſtate aſſerenda præbet. Verum illud præmittere non abs re erit, quod Julium II. inter, & Ludovicum XII. Galliæ Regem infauſto diſſidio fervente, belloque inter Regem, & Pontificem flagrante, propterea quod Ducatu Mediolanenſi, & Comitatu Aſtenſi Regem expoliare Pontifex moliretur, Cardinales numero 9. a Julio ſeceſſione facta Piſanum conventum ſub generalis Concilii titulo indixerunt, & anno 1511. die 5. Novembris illo inconſulto, invitoque inchoarunt. In eo ſeſſ. 3. decreta Concilii Baſileenſis de ſuprema Concilii ſupra Pontificem poteſtate redintegrarunt, nem-

nempe ut exinde anſam, animumque caperent quodlibet flagitii pro exaſperato, ſævoque ingenio in Pontificem audendi, & attentandi. Mediolanum deinde translato conciliabulo an. 1512. ſeſſ. 8. die 21. Aprilis Julium II. contumaciæ tertio accuſatum ab omni Pontificatus adminiſtratione ſuſpendere impie pariter, & impudentiſſime auſi ſunt. Quibus peractis Lugdunum profugæ nihil prætereaſub Concilii nomine geſſere. Pro pſeudo-Synodo illa Piſana ſcripſit projecti pudoris homo Philippus Decius jurisconſultus Mediolanenſis: contra vero pro Summi Pontificis auctoritate ſupra Concilium ſcriptis pugnavit Thomas de Vio Cajetanus, poſtea Cardinalis, cujus librum confutandum ad Pariſienſem Academiam a Piſanæ pſeudo-Synodi Cardinalibus miſſum refellere reapſe adorſus eſt Jacobus Almainus Doctor Pariſienſis lib. de auct. Eccleſ.. Scripſit etiam pro Julio II. apologeticum contra Philippum Decium Angelus Vallifumbroſæ Monachus, cujus tamen opus parvi pendit Spondanus ad an. 1511. Supervacaneum eſt oſtendere, nam res ex ſe manifeſta eſt, Piſanum conventum pſeudo-Synodis eſſe adcenſendum; uti illum, cui Romani Pontificis aſſenſio deſiderata eſt, Præſulum adſiſtentia defuit, nam non ultra 14. Epiſcopi, & quidem ex Gallia duo, ex Ducatu Mediolanenſi reliqui, & hi quoque a Capite ſuo legitimo divulſi, interfuerunt; Principes demum, Præſules, Eccleſiæ, Academiæ, Pontifex interceſſere, qui Synodo Lateranenſi tanquam legitimæ adhærendum ſibi religioſe duxerunt, Piſano conventu penitus exploſo, & expuncto, cujus denique acta Concilium Lateranenſe ſeſſ. 2. devovit, & damnavit. Quinimo Cardinales illi ſegreges, in Julium II. contumaces, purpura ab eo exuti, ideoque a Pontificiis comitiis excluſi ad Leonis X, qui Julii II. hominem exuti locum impleverat, clementiam confugerunt, ac ſupplices veſte privata in Pontificio conſiſtorio deteſtati ſolemniter Piſanum conventum, uti ſpurium, ſeque reos faſſi veniam, ac priſtinam dignitatem reportaverunt. Quoniam vero illò proceſſit oratio tandem, ut de iis, qui Lateranenſi Concilio adhæſere, ſermo incideret, operæ pretium arbitror illos indicare, ut ex illorum numero generalis Concilii auctoritatem Concilio Lateranenſi V. acceſſiſſe liquido adpareat; atque revin-

cantur quotquot Concilio Lateranenſi V. ea ratione detractum volunt, quod generale non fuerit.

Concilio itaque Lateranenſi V. adſtipulati ſunt Ferdinandus Rex Aragonum, & Siciliæ, ſuo, & Johannæ Caſtellæ Reginæ, cujus ditionum adminiſtrator erat, nomine, Oratore miſſo Hieronymo de Vich, uti conſtat ex ſeſſ. 2; Maximilianus Imperator Oratore miſſo Matthæo Epiſcopo, & Principe Guelenſi, uti legitur ſeſſ. 3; Leonardus Lauredanus Dux Venetorum, & ſereniſſima Reſpublica Legato miſſo Franciſco Foſcaro, ut patet ex ſeſſ. 4; Sigiſmundus Rex Poloniæ, cujus litteræ ſeſſ. 7. referuntur; Emmanuel Rex Luſitaniæ; Sabaudiæ, Mediolani, & Montisferrati Duces; Brandeburgi, & Mantuæ Marchiones; Lucenſium, & Florentinorum Reſpublicæ, aliique Principes. Præterea Ludovicus XII. Galliarum Rex per Oratores ſuos Fridericum Cardinalem de Sanſeverino, Claudium de Seyſello Epiſcopum Maſſilienſem, & Ludovicum Forbin Piſano conventu ejurato pure, libere, ac ſimpliciter ſacroſancto Lateranenſi Concilio tamquam vero, unico, & legitimo adhærere ſe profeſſus eſt, uti legitur ſeſſ. 8. Ea quoque de re Epiſcopos quinque, Theologos duos, in jure Doctores binos ad Concilium direxit, qui ſuo, & totius Eccleſiæ Gallicanæ nomine Lateranenſi Concilio adſociarentur: ſed Maximiliano Sfortia Duce Mediolanenſium, in cujus dominium Galliarum Rex prætendebat, commeatum liberum denegante, in Cœnobio Ulcienſi Ord. S. Auguſt. Taurinenſis Diœceſis, quatuor pene menſium ſpatio ſubſtiterunt, quibus elapſis de ſalvo conductu recipiendo deſperantes coram ordinario Judice ejuſdem loci, Notariis Apoſtolicis, & viris ſpectatiſſimis proteſtationem edidere, quæ juridico inſtrumento excepta, atque expreſſa ad Leonem X. ab ipſis miſſa eſt, una cum litteris obſequii, & obſervantiæ refertiſſimis. Profitebantur porro erga Sedem Apoſtolicam hujuſmodi hactenus æquum ſibi animum inſediſse, ut ab illius unitate nunquam voluerint, minuſque in futurum velint ullo modo deſciſcere: ſed illius mandatis imo jugiter, ut par erat, parere. Ad hæc Piſano conventu abdicto, individue adhærere ſe, adhæſuroſque, quoad in vivis agerent, Lateranenſi Concilio pollicebantur, infimis interea

terea precibus ad ipſius Pontificis pedes provoluti poſtulantes a Leone X. abſolutionem a quacumque cenſura, & pœna, quas forſan occaſione dictæ congregationis Piſanæ incurriſſent, præſtito juramento de parendomandatis Eccleſiæ, & Sanctiſſimi Domini Leonis Papæ X: ita habetur ſeſs. 9. Poſtremo adhæſere Anglia, Dania, Norvegia, Scotia, &c. miſſis ampliſſimis legationibus, referente Raynaldo ad an. 1512. Quæ demum Pontificis adjecta præſentia defectum quemlibet affatim ſupplente, ad Concilium generale conficiendum, efficiendumque, ut ad œcumenici auctoritatem, locumque Concilium Lateranenſe V. aſſurgeret, & aſcenderet, ſiquidem nondum ſatisfuerunt, profecto neſcio quid tandem ſatis futurum ſit.

Ad trutinam modo ut revocemus, quæ ex Concilio Lateranenſi V. ad vindicandam ſupremam Pontificis auctoritatem afferri poſſunt, operæ eſt pretium afferre, quæ ſeſſ. 11. ſacro approbante Concilio ſtatuit Leo X: ſcilicet conſtitutionem, quæ incipit *Paſtor æternus*, quave pragmatica ſanctio abrogata fuit: ejus in locum pactis Bononiæ concordatis eumdem Leonem X. inter, & Franciſcum I, ſubſtitutis. In ea ergo egregia hæc inter alia habentur: *Nec illud movere debet, quod ſanctio ipſa, & in ea contenta in Baſileenſi Concilio edita, & ipſo Concilio inſtante a Bituricenſi congregatione recepta, & acceptata fuerunt: quum ea omnia poſt translationem ejuſdem Baſileenſis Conciliii per felic. mem. Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum factam, a Baſileenſi conciliabulo, ſeu potius conventicula, quæ præſertim poſt hujuſmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere poterint; quum etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tanquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum plenum jus, & poteſtatem habere, ne dum ex S. Scripturæ teſtimonio, dictis SS. Patrum, & aliorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſte conſtet, quorum aliqua referre placuit, reliqua vero, utpote notoria, ſilentio præterire. In Alexandrina enim Synodo Athanaſio ibidem exiſtente Felici Rom. Pontifici ab eadem Synodo ſcri-*

ſcriptum fuiſſe legimus: Nicænam Synodum ſtatuiſſe: non debere abſque Romani Pontificis auctoritate Concilia celebrari. Neque nos latet etiam Leonem (I.) Pontificem Epheſinam II. Synodum ad Chalcedonem tranſtuliſſe. Martinum etiam Papam V. Præſidentibus ſuis in Concilio Senenſi poteſtatem transferendi Concilium, nulla conſenſus ipſius Concilii mentione habita, dediſſe. Epheſinam quoque I. Synodum Cæleſtino; ac Chalcedonenſem eidem Leoni; ſextam Agathoni; ſeptimam Hadriano I; octavam Nicolao I, & Hadriano II. Romanis Pontificibus.... maximam reverentiam exhibuiſſe, eorumdemque Pontificum inſtitutionibus, & mandatis in ſacris Conciliis per eos editis, & factis reverenter, & humiliter obtemperaſſe. Unde Damaſus Papa, & cæteri Epiſcopi Romæ congregati ſcribentes de Concilio Ariminenſi Epiſcopis in Illyrico conſtitutis præjudicium aliquod per numerum Epiſcoporum Arimini congregatorum fieri non potuiſſe teſtantur; quandoquidem conſtet Romanum Pontificem, cujus ante omnia debebat ſpectari decretum, talibus non præbuiſſe conſenſum; eumdemque Leonem Pontificem univerſis Siciliæ Epiſcopis idem ſcribendum voluiſſe appareat: conſueveruntque antiquorum Conciliorum Patres pro eorum, quæ in ſuis Conciliis geſta fuerunt, corroboratione a Rom. Pontifice ſubſcriptionem, approbationemque humiliter petere, & obtinere; prout ex Nicæna, Epheſina, Chalced., ſexta, ſeptima... quod etiam noviſſime Conſtant. Patres feciſſe conſtat. Quam laudabilem conſuetudinem ſi Bituricenſes, & Baſileenſes ſecuti fuiſſent, hujuſmodi moleſtia procul dubio careremus. Hæc ille, quæ explicata, & dilucida, expreſſa, & decretoria adeo ſunt, ut gloſſemate, quo planiora fiant, ac perſuaſiora vel ingenio faſtidioſioribus, non indigeant. Legitur inter conſt. Leonis X. ſub num. 20. in Bullar. Rom., in eaque continentur pacta concordata Bononiæ cum Franciſco I, atque cauſſæ graviſſimæ recenſentur, quibus ad abrogandam pragmaticam ſanctionem, eidemque ſubroganda concordata Bononienſia Rex Galliarum, atque optimus Pontifex adducti fuerint: quamvis Senatus, & Univerſitas Pariſienſis illi conſtitutioni inſolenter intercedere, atque ab illa audaciſſimam interponere appellationem non fuerint veriti.

Ad hæc eadem ſeſſ. 11. conſtitutione edita, quæ incipit *Pri-*

Primitiva illa Eccleſia,paucis quidem, ſed præclaris Romanæ Eccleſiæ præ aliis prærogativas complexus eſt; quæ Eccleſiæ univerſæ graviſſima ſollicitudine diſtenta, ut nulli unquam deeſſet, ſed quibus præerat, omnibus prodeſſet, in omnem Eccleſiam curas ſuas dividens, aliaſque in partem ſollicitudinis advocans: *Parochias inſtituit; Diœceſes diſtinxit, Epiſcopos creavit, & Metropolitas præfecit, ut tanquam membra Capiti obſequentia cuncta ſecundum ejus voluntatem ſalubriter in Domino, & tanquam rivuli a perenni fonte, Romana videlicet Eccleſia derivantes, ne angulum quidem Dominici agri irrigatum dimitterent*. Prætermitto ſilentio Petri Maronitarum Patriarchæ,&Eliæ eorumdum Principis litteras obſequii, obedientiæque plenas Pontifici ſub id temporis redditas, nam de his alias opportunius. Accedit, quod ſeſſ.12, ac ultima abſoluta Leo conſtitutione edita, quæ incipit *Conſtituti* inter Bullas ipſius num.17. in Bullar. Rom., poſtquam Imperatorem, Reges, ac Principes Chriſtianos, quod & nos ſupra adnotavimus, eidem Concilio legitime in Spiritu Sancto congregato adſtipulatos fuiſſe perhibuiſſet, Concilii Lateranenſis geſta, & facta omnia, & ſingula, & litteras editas ſacro eodem approbante Concilio approbavit, & confirmavit, prohibens ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, ne abſque ſpeciali Apoſtolicæ Sedis licentia ea interpretari præſumerent. Quid demum, quod in Concilii ſeſs.12. præfuiſſe Pontificem; octodecim interfuiſſe Cardinales; tres Patriarchas Alexandrinum, Antiochenum, & Aquilejenſem; octoginta ſex Archiepiſcopos, & Epiſcopos; nec non Regum, Imperatoris, ac Principum Oratores referunt acta? Jam vero quis non adverſariis, quum de Concilio Conſtantienſi ageretur, conclamantibus actum de Pontificis poteſtate ſupra Concilium, vicem rependens, potiori jure pronunciet: abſolutiſſime tandem actum de poteſtate Concilii ſupra Pontificem? Quis, inquam, confidentiſſime cum Concilio pariter, & Pontifice non pronunciet: actum, baſilice actum?

Nihilominus (viden homines præjudicata opinione præoccupatos ad evadendum aditum per devia quælibet,& detorta quærere) Natalis loc. cit., Boſſuetius cap. 18. poſt Launojum, & Du-

Dupinum, eorumque ſymmiſtæ fruſtra hæc ex Lateranenſi Concilio, ſeu ex Leonis conſtitutione ab ultramontanis Theologis contra decreta Conciliorum Conſt., & Baſileenſis de ſuprema Conciliorum auctoritate objici obtendunt. Nam 1. inquiunt fatente Bellarmino lib. 2. de Concil. cap. 13, & poſt ipſum Duvallio 4. par. lib. de ſuprema Pontif. poteſtate q. 7, a nonnullis dubitatum eſt an hoc Lateranenſe Concilium fuerit vere generale. Et ſane Lateranenſe V, ſubtexunt, Gallicana Eccleſia, Pariſienſis Academia, virique ex Nationibus aliis plerique docti, probique œcumenici nomine non eſſe inſcribendum exiſtimant, utpote quod ex 85, dumtaxat Patribus magnam partem Italis conſtans, univerſæ Eccleſiæ repræſentandæ impar fuerit. Leo itaque cum ſua Lateranenſi Synodo Conciliorum generalium Conſtant., & Baſile. decreta abrogare, graduque detrudere nequivit. 2. Sed nec, ſubjungunt, abrogare voluiſſe exiſtimandus eſt: nam nec ante controverſia iſta ad examinis incudem, ſatis, ut oportuiſſet, ac rei magnitudo expoſtulaſſet, exacta eſt; nec rogatæ ſententiæ Patrum, ut fuiſſet par: unde ſententia illa: *Romanum Pontificem tanquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem* &c. habenda eſt uti propoſitio incidens, non ut principalis: non ut decretum, ſed ut decreti ratio. Nemo autem neſcit, inquiunt, falſis interdum rationibus Pontifices Maximos differendo uti poſſe. 3. Niſi conciliari ea ratione poſſit, pugnantia, ſubinferunt, ſenſit, ſcripſitque Leo X, quum hinc ſignificet non improbare ſe, quæ ante translationem a Synodo Baſileenſi decreta fuerant, decretum vero fuerat Pontificem Concilio eſſe inferiorem: inde vero affirmet Pontificem auctoritatem habere ſuper omnia Concilia.

Verumtamen adeo perſpicuus eſt conſtitutionis illius ſenſus, ut eum interpretari ſit intorquere; ſed & illum ita interpretari, ut ſupra adnotavimus, prohibuit Leo. Nam 1. mirum eſt, quod ii, qui quamvis tam exiguus, longeque minor Epiſcoporum numerus cum in Conſtantienſi ſeſſ. 4, & 5, tum in Baſileenſi maxime adfuerit, nihilominus generalia illa fuiſſe contendunt, nunc autem in dubium revocent, (non enim dubitarunt Bellarminus, & Duvallius, ſed aliorum dubitationem retulerunt)

lerunt) num Lateranenſe V. fuerit generale. Generale ſiquidem fuit convocatione, generale fuit congregatione, generale fuit confirmatione, & acceptatione. Quid amplius, ſodes, avent? Convocatione quidem, nam a Julio II. ad illud omnes undique Epiſcopi accerſiti fuerant: congregatione quoque, nam ipſi ultra Pontificem, quod præcipuum eſt, Patriarchas, & Epiſcopos, ferme centum adfuere per Oratores, & per Oratores pariter Imperator, Reges, & Principes ferme omnes, ut ſupra retulimus, adſtipulati ſunt: confirmatione demum, & acceptatione, nam illud confirmavit, atque quidem ſacro eodem approbante Concilio, Pontifex, illudque impoſterum ab Eccleſia obſervandum, locoque habendum ſuo juſſit, ejuſdemque decreta in Eccleſia obtinere liquet. Quid plura! Decretum ipſum abrogans pragmaticam ſanctionem in Eccleſia Gallicana omnino obtinet. Falſo vero dixiſſe illos ab Eccleſia Gallicana non eſſe receptum exinde, patet, tum quod Ludovicus XII. primum ſuo, & Eccleſiæ Gallicanæ nomine Concilio uti œcumenico adhærere per Oratores, & per inſtrumentum ab Oratoribus ad Leonem X. miſsum profeſſus fuerit, ut referunt acta, & Spondanus ad annum 1514: tum quod Franciſcus I. una cum Gallicana Eccleſia Bullam *Paſtor æternus*, qua pragmatica ſanctio abrogabatur, ei ſuffectis concordatis Bononienſibus, recepit, & executioni mandavit: unde refert Puteanus in hiſt. abrogationis pragm. ſanct., quod Antonius a Pratis Cancellarius miſsus ea de re ad Senatum Pariſienſem nuntiarit a Ludovico XII, & a Franciſco I. Concilium Lateranenſe fuiſse receptum. Equidem a Senatu Pariſienſi, & Pariſienſi ſchola adverſus prælaudatam conſtitutionem interpoſita appellatio eſt: ſed quis exinde riteque Eccleſiam Gallicanam non adhæſiſse Concilio Lateranenſi conficiat? 2. Veritati in aprico poſitæ vim inferre eſt, ajere a Leone non fuiſse abrogata Baſileenſia decreta. Tota in eo convertitur illa conſtitutio, ut abroget pragmaticam ſanctionem, quam ex Baſileenſibus decretis de poteſtate Concilii ſupra Papam conſarcinatam ait Pontifex, quibus nihil obſiſtentibus illam abrogat, eaque decreta nihili facienda affirmat, ſed a conventiculo potius edita fore cenſenda, *præſertim*, inquiens, *poſt tranſlationem*: quo adverbio *præſertim* noluit aſſerere ante

tranſlationem obtinuiſse, ſed non ita clare innotuiſse, quod ante tranſlationem non obtinerent: propterea dicere ſolent juriſperiti, quod hæc dictio *præſertim* caſum minus dubitabilem exprimit, & implicat magis dubitabilem. Quid ergo inde adſtruitur a Pontifice rata decreta Baſileenſia edita ante tranſlationem habita fuiſse? Verum enim vero nonne apertiſſime aſserit Leo ſacro approbante Concilio Pontificem ſuper omnia Concilia poteſtatem habere? Quorſum igitur quæritur tergiverſandi locus? Ratio cur pragmaticam abolevit illa fuit, quod potuerit abolere pariter decreta Baſileenſia; cur & hoc potuerit ratio adducta a Pontifice fuit, quod ſuper omnia Concilia potis ſit: ſi nutet, ſi falſa ſit ratio hæc, nonne totam nutare, ac corruere a fundamentis, quibus ſuperſtruitur, conſtitutionem oportet? Non item ratio illa decreti fuit, ſed decretum ipſum, ſcilicet declaravit apertiſſimis verbis convocandi, transferendi, & diſsolvendi Concilia juris eſse Pontificis, adeoque Pontificem ſupra omnia Concilia eſse potem: declaravit Concilia niſi a Pontifice confirmentur, robore omni carere, idque ex S. Scriptura, Patribus, & Conciliis confirmans, unde conſequitur id, quod prædixerat Pontificem ſuper omnia Concilia auctoritatem habere. Quare itaque ea propoſitio incidens dicitur, quæ proinde falſa eſſe poſſit, fueritque; quippini principalis, veraque perinde undequaque? 3. Ludunt, vero ludunt, dum conciliandum ſecum Leonem volunt, ut quem probaſſe contendunt decreta Baſileenſia ante tranſlationem edita, quippe nihil hujuſmodi vero abſimilius hactenus dicta ſatis confirmant. Piget enim, pudetque hiſce ficulneis reſponſionibus refellendis operam diutius navare, tamque bonas horas inſumere in haſce nugas, utilius aliis impendendas; quandoquidem nos ad Tridentini Concilii examen revocet tempus.

Ex

Ex Concilio Tridentino.

§. III.

CONcilium Tridentinum in Eccleſia Latina XI. generales inter Synodos undevigeſimum, ac poſtremum ſub Paulo III. Pontifice Maximo die 13. Decembris anno 1545. cœptum; ſub Julio III. continuatum; ſub Pio IV. die 4. Decembris anno 1563. abſolutum; cujus ſub Paulo ſeſs. 11. celebratæ ſunt, Tridenti ſcilicet 8, Bononiæ 3, quó translatum an. 1547, ob luem Tridenti graſſantem, Concilium fuerat; ſub Julio III, a quo Tridenti reſtitutum Concilium fuit an. 1551. Kalendis Maji, ſeſſiones 5. habitæ ſunt; poſt quas ſuſpenſum an. 1552. die 28. Aprilis ob bellorum tempeſtatem a Patribus ad biennium dumtaxat fuerat; quæ tamen ſuſpenſio ob ſimultates inter Chriſtianos Principes efferveſcentes decennio perduravit; ſub Pio IV. tandem, a quo anno 1560. Tridentum revocatum, ibi die 18. Januarii anno 1562. reſeratum eſt, ſeſſiones 9, omnes ſimul 25. numerum componentes fuere celebratæ; Concilium, inquam, Tridentinum Romani Pontificis ſupremam poteſtatem, ac in fide inerrantiam proculdubio agnovit, & prædicavit. Enim vero id 1. exordium Concilii ferme ipſius oſtendit: quandoquidem, quum Bononiam auctoritate Pontificis Legatis demandata Concilium translatum fuiſſet, ubi, Bononiæ ſcilicet, frequentioribus Patrum ſuffragiis tres ſeſſiones habitæ plane ſunt, Carolo V. Imperatori, & Hiſpanis Epiſcopis translatio non placuit, ut proinde Tridenti remanſerint, Oratores vero Cæſaris adverſus Bononienſem, ut vocabant, conventum proteſtati ſint; cujus diſſidii ratione ſuſpenſum Concilium eſt, & a Paulo III. Tridentini, & Bononienſes Patres Romam anno 1549. evocati fuere. Vides eam Paulum III. agendi rationem ita tenuiſse, ut ſe ſupra Concilium ſtare ſatis oſtenderet; nec Pauli mandatis, vel qui Tridenti ſe Concilium generale facere, nec qui Bononiæ revera faciebant, obſiſtendum ſibi fore, aut obſiſtere ſibi fas eſse rati ſunt, decretis Baſileenſis Concilii ſuffulti, atque confiſi; quod

ſcilicet Patrum conſenſus in anteceſsum exploratus nequaquam, neque expectatus fuiſset.

Paulo III. eo anno fatis functo Julius III. ejuſdem ſucceſsor Concilium Tridentum reduxit diplomate, quod incipit: *Quum ad tollenda* dato 8. Kalendas decembris an. 1550., quo in diplomate, quamvis Imperator adhiberi vocabulum *continuationis* optaret, quo ſcilicet ſignificaretur Concilium Tridenti cœptum, nec aliò translatum, ibidem continuatum jam ire, id tamen votis Cæſaris non ceſſit, ſed illud a Pontifice repudiatum vocabulum eſt, quod translationi legitimæ præjudicium inferre videretur, voxque proinde *reſumere*, *& proſequi* uſurpata: *Ad ipſum Concilium*, inquit Pontifex, *in eo*, *in quo nunc reperitur ſtatu*; *reſumendum*, *& proſequendum* &c. Quomodo plane Pontifex ſe a Patrum placito non pendere, ſed uni ſibi, prout res poſtularet, Eccleſiæque bono expediret, Concilium ſicut indicendi, ſic transferendi integrum manere jus oſtendit, atque ita ſeſſiones tres Bononiæ habitas ratas habuiſse; quæ revera uti a generali legitimo Concilio habitæ, ab Eccleſia admiſsæ ſunt. Idem Julius ob bellorum diſcrimina Concilii ſuſpenſionem decreverat nullo habito in anteceſsum Patrum conſenſu, ſed Legati œconomia quadam utendum eſse arbitrati Pontificium diploma in medium non protulere, ſed præhabito Pontificis aſsenſu id potius ſibi ſatagendum duxerunt, ut ipſa Synodus ſpartam iſtam per ſe ſuſciperet, atque ita ſuſpenſio ad duos annos decreta eſt. Pius IV. Julii ſucceſsor Concilium Tridentum revocavit diplomate dato Kalendis Decembris anno 1560., quod incipit: *Ad Eccleſiæ regimen*: *ſacrum*, inquiens, *œcumenium*, *& generale Concilium ex auctoritate ejuſdem Dei*, *& BB. Petri*, *& Pauli Apoſtolorum*, *qua nos quoque in terris fungimur*, *freti*, *& ſubnixi*, *in Civitate Tridentina* ... *indicimus*, *& ibi celebrandum ſublata ſuſpenſione quacumque ſtatuimus*, *atque decrevimus*. Hæc verba *ſublata ſuſpenſione*, difficultatem faceſſivere Germanis, Gallis, & Hiſpanis, adeò ut Granatenſis Archiepiſcopus, antequam Synodus aperiretur, ſuo, & Hiſpanorum Epiſcoporum nomine declarari poſtularit: an nova hæc Synodus eſset, an priſtinæ continuatio? Sed omnis ſublata difficultas eſt quatuor propoſitis, & acceptatis condi-

tio-

tionibus, nimirum: ut in aperienda Synodo nullum uſurparetur verbum continuationi contrarium: ut Synodus juxta Pontificii diplomatis tenorem aperiretur: ut continuaretur quum primum opportunitas obveniret: ut poſtremo Pontifex cuncta Synodi Tridentinæ acta, tum habita, tum habenda confirmaret. Plane his Pontifex demonſtravit ſe abſque Concilii ſententia poſse Synodum ſuſpendere; Synodum continuare; Synodum transferre: teneri quoque Synodum Pontificii mandati formam ſequi; juxta modum a Pontifice præſcriptum aperiri debere; poſtremo niſi Pontificis præeunte, vel accedente auctoritate nec formiter auſpicari, nec feliciter abſolvi; nec fore ut in Eccleſia fiat accepta.

Id ipſum, ſcilicet Pontificis ſuprema poteſtas ſupra Concilium oſtenditur 2. ex agendi ratione, quam Pontifex erga Carolum V. Imperatorem, & comitia Spirenſia tenuit. Illis in comitiis Spiræ anno 1544. habitis Lutheranis, ut eos ſibi, qui bello a Turcis, & Gallis graviter premebatur, devinciret, ſtudens Carolus V. libertatem Religionis, ſive Auguſtanæ confeſſionis ad uſque generalis Concilii tempus publico indulſerat edicto: quod quidem Concilium intra ſex menſes a Pontifice indici, & poſt annum celebrari Cæſar curaret: quod ſi obtineri non potuiſſet, in comitiis Imperii de ſumma rei tractaretur. Edictum hoc Spirenſe ſiquidem in religionis diſcrimen, & Sedis Apoſtolicæ dedecus vergeret, Paulus III. reprobavit, & repulit, Cæſaremque graviſſimis litteris, nec abſque minis, quas Cardinalis Pallavicinus *hiſt. Conc. Trid. lib. 5. cap. 6.* deſcribit, coarguit, violatæ religionis eum objurgans, eique objiciens, quod quum in rebus ad religionem ſpectantibus judicium Apoſtolicæ Sedi integrum deferendum ſit, nihilque ſtatuendum abſque Sedis Apoſtolicæ facultate, ipſe Concilium generale, vel nationale, aut comitia Lutheranis celebranda pro rebus religionis ſpondens id ageret, tamquam qui agere præſumeret abſque illius auctoritate, (Pontificis nempe) qui jure divino, & humano ſupremam poteſtatem habet cogendi Concilia; idque ſtatuendi, & decernendi, quod Eccleſiæ interſit, & expediat. Hiſce litteris nihil ad iram commotus Cæſar (tametſi verecundia ſuffuſus duxerit ſupprimendas, dolueritque, quum publici juris factas

factas Pontifice ſatagente intellexit), ratus imo Pontifici fore parendum, a decretis Spiræ editis receſſit, & reſilivit; atque anno 1546. in comitiis Ratiſponæ habitis majori operæ pretio cum Catholicis decrevit negotia religionis Tridentino Concilio, & Pontifici integre permittenda.

Partam ea obedientia, ac belli Smalcaldici victoria ex hæreticis Smalcaldæ confœderatis, ob quam a Paulo III. glorioſis *Maximi, & Fortiſſimi* nominibus publico in Cardinalium Senatu, & in litteris gratulatoriis cohoneſtatus fuerat, gloriam obſcuravit infauſto religionis, ſeu potius *inter religionis*, ut a quibuſdam denominatum fuit, ſeu potiſſimum *interitus Religionis*, ut quibusdam aliis illud dicere placuit, edicto, quod anno 1548, tempore nimirum intermiſſionis Concilii Tridentini promulgavit, cui *Interim* Caroli V. nomenclatio poſt hinc adhæſit. Concilium enim Tridentinum hinc continuatum ire deſperans, illinc ſibi gravia ab hæreticis timens, ubi tamen non erat timor, comitiis Auguſtæ Vindelicorum coactis, edictum, quod inſcripſit *Interim*, quoque 26. capita circa præcipua religionis, ſacramentorum, & ceremoniarum Eccleſiæ dogmata comprehendebantur, inter quæ Presbyteris matrimonii, Laicis vero communionis ſub utraque ſpecie veniam faciebat; quibus duobus exceptis, reliqua, inquit Spondanus ad an. 1548., poſſent dici Eccleſiæ Romanæ doctrinæ conſentanea, promulgavit, quo religio interim obſervanda, ſeu obſervanda interreligio præcipiebatur, uſque dum Concilii continuationis ſpes affulgeret, adeoque quid credendum foret decernebatur. Edictum illud illis in comitiis probavere tres ad id delecti viri Julius Pflugius Epiſcopus Naumburgenſis, Michael Heldingus Epiſcopus Sidonienſis, & Johannes Agricola homo Lutheranus, ſed qui Lutheri erroribus ſe valedicturum ſpoponderat; improbavit vero Bucerus iccirco, quia in edicto Pontifex honore, & loco habebatur. Quia vero eo in edicto Carolus auctoritatem ſibi arrogaverat de fidei, & diſciplinæ rebus decernendi, quod laicis non licet, manumque temere ad ſacra miſerat, non minori pene proinde execratione Cæſareum illud *Interim* a Catholicis exceptum eſt, quam Henoticon Zenonis, quam Ecthesis Heraclii, quam Typus Conſtantis. Cunctorum maxime a Paulo III. improbatum

batum eſt; de quo propterea Nunciorum opera graviſſime cum Imperatore expoſtulauit, non ultra tamen progreſsus, quandoquidem edictum illud, non niſi quamdam erga Lutheranos condeſcenſionem præſeferret, quæ nihil Pontificis auctoritati detraheret: velle vero laicum edictum recudere Pontifici honori, præſertim apud hæreticos tum temporis Pontificibus conviciandi occaſionem omnem avide arripientes, non cederet. Ita refert Pallavicinus lib. 11. hiſt. Concil. Trident. cap. 1.

Edicto ejuſmodi Catholici non modo, præſertim Robertus Cenalis Epiſcopus Abrincenſis, Franciſcus Romeus Magiſt. Gener. Ord. Prædic., Nicolaus Bobadilla Soc. Jeſ. apud Spondanum ad annum 1548.; ſed Hæretici quoque non pauci, inter quos Gaſpar Avila, Philippus Melanchton, Calvinus &c. acerbiſſime contradixerunt. Ex eo edicto ortæ hæreticorum ſectæ deinde ſunt, aliis illi adhærentibus, aliis vero abhorrentibus. Qui edictum amplexati, dicti ſunt Interimniſtici, ſeu Adiaphoriſtæ, ſeu Indifferentes, quorum primipili Philippus Melanchton, Paulus Eberus, Georgius Major, & Theologi Wirtembergenſes, denominati exinde Lutherani molles; qui tres in partes ſubinde diſciſſi ſunt. Nam alii dicti Cæſarei, qui *Interim* Cæſaris ex integro admiſerant, unde Luthero nonniſi quoad Clericorum matrimonia, & Laicorum communionem ſub utraque ſpecie adhæſere. Alii Lypſici ab urbe Lypſia, qui *Interim* ex parte retinuere, ex parte rejecere; unde ex Lutheri dogmatibus quædam ſacra, & integra jubebant, quædam vero ejurabant, & eliminabant. Qua de re Calvinus epiſtolas felle, & amaritudine, conviciiſque plenas Melanchtoni, & Paceo doctori Lypſienſi dedit, quæ in epiſt. Calvini ſerie 115., & 117. reperiuntur. Alii Francici, qui Marchionis Alberti Brandeburgenſis miniſtros agebant, ac pleraque corrigenda, ac commutanda in *Interim* Lypſico exiſtimarunt. Qui *Interim* vero adverſabantur, atque Lutheranis mollibus contraibant, Lutherani rigidi audierunt, quorum facile Princeps fuit Mathias Flaccus Illyricus, qui in partes tractos Nicolaum Gallum, & Amſdorfium brevi ſectæ ortum fecit, quæ una cum ſecta Interimniſtica Germaniæ ſinum miſerrime adhuc ſcindunt, ſciſſoſque in duas partes tenent Germaniæ Lutheranos.

Adi-

Adiſis Berninum in hiſt. hær. ad Sæcul. Eccleſ. XVI. cap.5.;idque obiter obſervatum eſto. Neque vero id tantummodo cum Imperatore ex ſuprema poteſtate egit Pontifex: ſed imo quamvis Cæſari,non ſecus ac Hiſpanis Concilii translatio Bononiam non arriſiſſet, ideoque una cum Hiſpanis Epiſcopis Tridenti remanentibus Cæſaris Oratores ejuſdem translationi obſtrepuiſſent obnixe, atque Concilio Bononienſi obviam obſtitiſsent,Paulus III. nihilominus translationem, quæ ſuo aſsenſu Legatis præſtito facta fuerat, legitimam voluit, & declaravit, ac reapſe tres ſeſſiones Bononiæ habitæ, nempe 9., 10., 11., ab Eccleſia uti legitimæ habitæ ſunt, illiſque tribus ſeſſionibus reliqui Occidentis Epiſcopi adhæſere. Quamvis ejus diſſidii occaſione prudens dijudicarit deinde Pontifex, ne Cæſarem in ſe commotum, ac ſubiratum in præceps ageret, Concilium ſuſpendere: quod Julius III. ejus ſucceſsor multis de cauſſis Tridentum demum reduxit conſtitutione, quæ incipit *Quum ad tollenda*. Tribus ſane illis in ſeſsionibus nihil de fide decretum eſt; id enim conſilii ſuſceperant Patres Bononiæ congregati, ut a rebus fidei decernendis ſuperſederent, ut Eccleſiæ fidem, & unitatem ab omni diſcrimine, quod ab Imperatore, & Hiſpanis Concilio Bononienſi adverſantibus impendebat, ſartam, tectamque ſervarent. Attamen tribus ſeſſionibus habitis id ſtatutum voluere Synodum Pontificis aſsenſu legitime fuiſse translatam; idque declaratum Pontifex voluit, ut mox innuimus, cujus Bullam facultatis transferendi Concilii Legatis datam, quæ incipit *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*, exhibent acta Concilii ſeſs. 7.

Eadem ſuprema Pontificis auctoritas 3. adſtruitur ex ea varia agendi ratione, quam tum Pontifices cum Legatis ad Synodum miſſis; tum Legati ipſi ex Pontificum juſſis cum Synodo frequenter adhibuere. Qua in re præclarum Pontificiæ auctoritatis argumentum nobis ſuppeditaret Hieronymi Cardinalis Aleandri colloquium in comitiis Wormatiæ anno 1521. in cauſſa Lutheri habitum, ſed quia de eo opportunior erit alibi locus, proinde alia proponimus. Primo quidem Concilio Tridentino Paulus III. Legatis miſſis hæc illis ſervari juſſit mandata: 1. Religionis articulos ante cetera eſſe agitandos; 2. In illis auctoribus parcendum, ſen-

ſententias proſcribendas: id autem cautum quammaxime, conſultumque, ne factorum quæſtionibus, & probationibus Synodus implicaretur, ac tempus inutiliter tereretur, ſed imo ea in re ut mitius ageretur, facta ſingulis adeundi, ac ſe purgandi facultate: 3. Proſcribendas non ſolum generales, ſed peculiares quoque propoſitiones, quæ dictis, & ſcriptis tunc circumferebantur, quibuſque novæ hæreſes ſuffulciebantur: 4. De reformatione morum, nec ante circa dogmata definitiones, ut quidam contendebant, nec ſimul cum ipſis, ut aliis quibuſdam bene viſum fuerat, agendum; quandoquidem morum reformatio minus præcipua, ac Concilii ſecundaria eſſet cauſsa: quamvis poſtea Patrum votis annuens utrumque ſimul negotium peragi indulſerit: 5. Audienda abſque gravitatione, quæ adverſus Romanam Curiam objicerentur, eaque de re Patrum conſilia, de quibus certiorem faciendum Rom. Pontificem, qui id conſilii de iis capiat, remediumque adhibeat, quod ſacratius, ſanius, e reque eſſe magis exiſtimarit: 6. Actis, inſtrumentis, litteris, ceteriſque ſcriptis Concilii nomine exarandis præfigendum trium Legatorum, tanquam Præſidum nomen, & Pontificis, cujus perſonam gerebant. Hiſce nempe inſtructionibus Pontifex Sedis Apoſtolicæ dignitati, ac ſupremæ auctoritati in Concilio ſummopere conſulere, & cavere ſategit.

Pontificis ſupremæ poteſtati impenſe pariter ſtuduiſſe Legatos argumento id eſt, quod primas agentes partes cuncta de mandato Pontificis proponebant, quæ a Patribus in deliberationem mittenda forent, ac decernenda. Equidem vero ſeſſ. 17, quæ prima ſub Pio IV. fuit, particula *proponentibus Legatis*, quæ decreto fuerat appoſita, contentiones animorum ingentes, Hiſpanorum præſertim, excitavit, illam particulam oppugnantium ea ratione, quod imminuta videretur Concilii libertas, a quove proinde abſterrerentur hæretici, illud haud liberum cauſſati. Verumtamen poſtquam Legati declararunt ea particula non adimi Epiſcopis libertatem ſententiam ferendi, ſignificari tamen, in omni bene morata Republica non omnium eſse proponere, ſed juris id eſse eorum, qui præſiderent; Epiſcoporum eſſe, quæ Eccleſiarum ſuarum intereſsent, in palam facere; Legatorum vero Pontifi-

cis vices gerentium ea proponere, quæ univerſalem Eccleſiam ſpectarent; proinde ea particula a Synodo cum totius decreti tenore approbata, quatuor dumtaxat Epiſcopis obſiſtentibus, retenta eſt, & Pio IV. accepta. Quinimo particulam illam *Salva auctoritate Sedis Apoſtolicæ* juxta Pontificis inſtructionem reformationis decretis adjectam Legati voluerunt, quæ reapſe iiſdem adjecta conſpicitur. Legendus Pallavicinus lib. 15.cap.16, & lib.16.cap.6. Non minor exarſit de Synodi titulo concertatio. Quum enim Epiſcoporum quidam ſingulis decretis Concilii titulum huncce: *Univerſalem Eccleſiam repræſentans*, addendum contenderent, a Conciliis Conſt., & Baſileenſi adhibitum, obſtiterunt Legati ea ratione 1. Quod titulus novus eſſet, nec niſi duobus illis novellis Conciliis uſu veniſſet: ideo vero a Conſtantienſi uſurpatum ajebant, quod Eccleſia diro ſchiſmate diſciſsa a ſolo Concilio integre repræſentaretur: ſed nec in Synodo Conſtantienſi illum titulum decretis cunctis appoſitum. 2. Quod Pontificum modeſtiam deceret Synodum imitatam ire, qui alios illuſtriores ſibi parcentes titulos, eo humili gloriantur, quo ſe *Servos ſervorum Dei* inſcribunt. Potiſſima tamen ratio, ob quam Legati illum titulum rejectum omnino voluerunt, ea fuit, quam Synodo coram ſubticuere, aperuere tamen Pontifici, ut conſtat ex litteris Cardinalis Farneſii die 5. Januarii an. 1546. datis, apud Pallavicinum lib. 6. cap. 2., ne ſcilicet quibuſdam maleferiatis, atque erga Pontificem male affectis Epiſcopis, irrequietiſque hominibus occaſio præberetur id ambiendi, quod Baſileenſium ambitioni olim arriſerat, atque a Conſtantienſi Concilio (at diverſo plane in caſu) fuerat arreptum, ſcilicet, ut adderentur inſuper particulæ illæ: *Quæ Synodus a Chriſto immediate poteſtatem habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur*: atque ita Pontificibus maximis invidiam conflarent. Ea ſane contentio non ita ſedata eſt, ut non identidem ad extrema uſque Concilii tempora redintegrata ſit: ſed Legatorum ſententia id obtinuit, ut adverſa nunquam obtinere potuerit: eo præſertim, quod ipſis Pontifex juſſerat, ne Epiſcopis ea in re morem unquam gererent, ut conſtat ex epiſt. Cardinalis Farneſii die 21. Januarii anno 1546.

Eadem ſuprema Romani Pontificis ſupra Synodum poteſtas 4. elucescit ex ea agendi peculiari ratione, quam cum Synodo Tridentina obſervavit Pontifex Pius IV. Duo ſiquidem decrevit in exordio ſui Pontificatus, ac 1. die 19. Novembris an. 1561, quod ſi tempore Concilii Sedem Apoſtolicam vacare contingeret, novi Pontificis electio integra ad collegium Cardinalium, nullo modo ad Concilum, ſpectaret, eo modo cautum volens, (nam a Gallis Oratoribus electionem in Concilio fieri exoptatum non neſciebat), ne exemplum Conſtantienſis Concilii in caſum alienum traheretur 2. Decreto altero die 5. Decembris ejuſdem anni declaravit in Concilio ſuffragiorum jus non obtinere, niſi eos, qui Concilio intereſſent; neque abſentium vota ſuppleri, aut per procuratores, aut per præſentes, juxta determinata jam pridem a Paulo III, ullo modo poſſent. Præterea, quum ſeſſ. 1. Concilii quæſtio mota fuiſſet, num Epiſcopi non modo, ſed etiam Abbates, & Prælati Regularium jure dicendi in Concilio ſententiam potes eſſent, eaque de re Epiſcoporum plurimi jus ferendi ſuffragii ſolis Epiſcopis aſſererent, Regularibus minime gentium, perſonamque acceptationis perſonarum Legatis imponerent, violatæque juriſdictionis Epiſcopalis quaſi reos illos traducere non vererentur; Johannes Maria de Monte Cardinalis Præneſtinus, qui poſtea ad ſummi Pontificatus apicem ſublimatus Julius III. audivit, Legatorum primus ſub Paulo III. hiſce nonnihil commotus Epiſcopos ita allocutus eſt: meminiſſe eos oportere illud Concilium, non Conſtantienſe, non Baſileenſe eſſe, in quibus Pontifex Maximus nullus interfuit, ſed Epiſcopi id ſibi arrogarunt, ut etiam alienum jus uſurparent: illud Concilium a Pontifice fuiſſe coactum, in eo Pontificem mediis Legatis præſidem eſse, Legatorum perſonis proinde maximam deberi obſervantiam, qua ſemel præſtita omnia rite proceſsura ſperabat, ſpondebatque: Regularium Generales illuc a Sede Apoſtolica miſsos cum privilegio ſuffragii, non deberi, non poſse ea facultate ſpoliari. Atque ita plane Regularibus id privilegii aſsertum, ipſis ſacratiſſime, ac religioſiſſime integrum ſervatum, juſsumque eſt. Adeundus inter alios clariſs. Catalanus, qui Regularibus pariter id privilegii multis, ac præſertim ex praxi, quæ cæteroqui cuilibet facile pa-

tet, veterum Conciliorum, quibus ſuffragati, ac ſubſcripti paſſim leguntur, vindicat. Porro Clemens VII, quamvis Concilium congregare non detractaret, ab eo tamen indicendo morabatur, Sedi Apoſtolicæ timens, ac cautum volens, ne Conſtantienſis, & Baſileenſis exempla nocerent. Quapropter id prius a Carolo V. promiſſum voluit, quod in Concilio a præjudicio omni Sedes Apoſtolica ſarta, & tecta ſervaretur, ejuſque privilegia integra manerent; quod ille promiſit, ſed nihil Pontifici timendum ſubjungens, ut cujus foret res a Concilio agendas, ac decernendas proponere; unde a quæſtione illa odii, & invidiæ plena abſtinere facile potuiſſet. Vide Pallavicinum lib. 3. cap. 5.

Ea poſtremo Romani Pontificis ſupra Concilium auctoritas planiſſima fit 5. ex Concilii ipſius geſtis. Enim vero poſt ſeſſionem 14., quum in Concilium admiſsi fuiſſent Ducis Wirtembergenſis, & Electoris Saxonis Oratores, ii die 24. Januarii an. 1552, ideſt pridie ſeſſ. 15., coram congregatione generali habita inter alia expoſtularunt obnixe, ut decreta Conciliorum Conſt., & Baſileenſis, quibus Pontifex Concilio ſubjectus decernebatur, a Tridentinis Patribus confirmarentur, & repeterentur; ac propterea a jurisjurandi religione, qua Pontifici obſtringebantur, abſolverentur quotquot, quamvis præfatorum decretorum virtute jam abſoluti cenſerentur. Hiſce videlicet Concilium in ſchiſmatis diſcrimen adducere ſubleſtæ fidei homines, ac Lutherana infecti labe moliebantur. Quibus reſpondere Legati inter alia pleraque 1. Quod quandoquidem Lutherus, ejuſque gregales a Concilio Conſtantienſi ſemper abhorruerant, ejuſdemque decreta tanquam ſacrilegii plena abominabantur, quippe quibus præcipui ipſius errores perculſi fuerant; extra locum, chorumque nunc eſſe, quod decreta ſeſs. 4, & 5. dubiæ admodum auctoritatis, nec a Martino V. confirmata, a quo decreta tantummodo in rebus fidei adverſus hæreticos probata fuerant, a Tridentinis Patribus, ut probata eſsent, efflagitatum vehementer irent. 2. Quod quandoquidem ab Oratoribus ipſis Concilium expoſcebatur, cui orbis Catholici univerſæ Nationes intereſsent, in exemplum, & patrocinium adducere Baſileenſe nec poterant, nec debebant, contra quod Concilium adeo celebre, adeoque numero-

meroſum ex gentibus undique congregatis, quale Ferrarienſe primum, ac Florentinum poſtliminio audierant, ab Eccleſia univerſa admiſſum, fuerat coactum, & ab eo Baſileenſis decreta abolita. Hiſce ora loquentium iniqua obſtruebantur. At reponebant cantilenam hæreticis non inſolentem, videlicet, quod quandoquidem in Concilio de reformatione Pontificis agendum foret, non oportere, ut Pontifex Judex eſſet, & pars in judicium vocata. Quibus id repoſuere Legati; quod eo populari, vitiique pleno argumenti genere ſemel poſito, id conſequi certiſſime, quod everſam funditus, ac peſſum ire neceſse foret omnem recte gubernandi rationem, monarchicam maxime, neque quidquam boni exinde extundi; quinimo exinde diro, novoque Schiſmati ortum fieri, viam ſtrui, malorumque ingentium colluviem exundantem expectari. Enim vero, ſubtexebant, ſi Concilium ſe ſupra Papam ſemel ſtatuiſset, dubio procul vicaria vice ſe ſupra Concilium Papa extuliſset, atque quid quæſo inde commodi? Quid non quinimo incommodi Eccleſiam laceſſituri non eſset extimeſcendum? Re ergo infecta abeuntibus illis, ſacrata religioſe Pontificibus cuſtodita auctoritas eſt, nec, ut hæreticis adblandirentur, Pontifici quidquam prorſus detrahendum Patres Tridentini duxerunt.

Ecce tibi aliud ex actis ejuſdem Concilii argumentum pro ſuperiori Pontificis auctoritate adſtruenda. Anno 1562. die 23. Novemb. generali in Cœtu Tridentino cum honore admiſsus Cardinalis a Lotharingia cum Gallicanis Epiſcopis, ac Theologis Tridentinum ad Concilium a Carolo IX miſsus, 34. poſtulata Regis nomine Legatis tradidit, quæ tamen Rex Concilii arbitrio, ac judicio ſubjiciebat, quæ referunt Pallavicinus lib. 19. cap. 11; Thuanus lib. 31. hiſt.; & Spondanus ad eum annum. Antequam vero ſeſſio 23. celebraretur, quæ die 23. Julii an. 1563. habita tandem fuit, in privatis Theologorum, & generalibus Patrum cœtibus diu, multum, acriterque diſceptatum eſt de tribus præſertim quæſtionibus 1. An Epiſcopi jure divino ſint inſtituti? 2. An jure divino ſuis in Eccleſiis reſidere teneantur? 3. Quibus verbis definienda foret Romani Pontificis auctoritas? Quoad 1. Hiſpani, Gallique Epiſcoporum inſtitutionem juris eſse divini propugnabant;

bant; Itali vero ea ſententia Romani Pontificis auctoritatem imminui falſo arbitrati, pro adverſa ſententia tanquam pro aris, & focis decertabant. Hiſpanorum ſententiam defendebat Petrus Soto; Italorum vero Didacus Lajnius, apud Pallavicinum lib. 18. cap. 15. Denique ſepoſita illa quæſtione, de qua variabant ſententiæ, elucubratus eſt, agente Cardinali Lotharingo, canon, quo neutri ſententiæ detractum ivit. Quoad 3., ideſt ſummi Pontificis auctoritatem, majores adnexæ ſunt moræ, graviuſque motum negotium eſt:quum enim canon 8.a Cardinali Lotharingo procuſus fuiſset,&propoſitus,quo declarabantur quidem,ſed diminute, Romani Pontificis prærogativæ,Pius IV,quo cum omnia communicanda mittebantur,Legatis per Cardinalem Borromæum die 9.Januarii reſcripſit, neceſsarium videri, ut adderentur canoni verba ex Florentini Concilii definitione deprompta, quibus Romanus Pontifex univerſalis Eccleſiæ Paſtor, & Rector denominabatur; atque hanc formam canonis Tridentum miſit: *Anathema ſit, ſiquis dixerit B. Petrum per inſtitutionem Chriſti non fuiſſe primum inter Apoſtolos, & ejus Vicarium in terra; vel neceſſe non eſſe, ut ſit in Eccleſia unus Pontifex Petri ſucceſſor, eique æqualis in auctoritate regiminis; atque in Romana Sede legitimos ejus ſucceſſores ad hoc uſque tempus non habuiſse jus principatus in Eccleſia, nec fuiſse Patres, Paſtores, & Doctores omnium Chriſtianorum, nec fuiſse ipſis traditam a D. N. J. Chriſto plenam poteſtatem paſcendi, regendi, & gubernandi Eccleſiam univerſalem.* Hæc verba canoni a Lotharingo efformato Pii IV. ſententia adjecta, ſyllabatim pene exſcripta a Concilio Florentino fuerant; nihilominus verbis illis præſertim poſtremis, ſummo Pontifici traditam fuiſse plenam poteſtatem paſcendi, regendi, & gubernandi Eccleſiam univerſalem, acerrimo animorum æſtu contradixerunt Galli,qui loco verborum illorum *Eccleſiam univerſalem*, ſubſtitui iſta volebant: *Omnes fideles, & omnes Eccleſias.* Quin Galliæ Regis Oratores, ac præſertim D. de Lanſac interceſsere, ne verbum ullum decreto ei canoni insereretur, quo diſsenſio pareretur, ac in alias partes Eccleſia Gallicana pertraheretur. Præterea D. Ferrier Oratorum alter (homo Calviniana hæreſi a capite ad talos aſperſus) ſubdidit, a Gallicana Eccleſia

velu-

veluti dogma fidei in Concilio Conſtantienſi definitum teneri, & credi Concilium eſse ſupra Papam: in mandatis ſe quidem a Rege habere, ne hancce controverſiam exagitarent, at interea ne quidquam decerni permitterent, quod Eccleſiæ Gallicanæ doctrinæ repugnaret. Quam perperam doctrinam hancce ferme inter fidei dogmata reputarint, & Concilio Conſtantienſi acceptam retulerint, ſatis, ſuperque, aut ego fallor, demonſtratum eſt. Quam perinde falſo, & perverſe eamdem doctrinam Eccleſiæ Gallicanæ affricuerint, ſuo, ſi Superis placet, opportune loco demonſtrabitur.

Gallos Oratores excepit Legatorum Pontificis primus Hercules Gonſaga Cardinalis Mantuanus, nihilque unquam repoſuit impedimenti Concilii præſidibus adfuturum, quo minus in decretis, & canonibus id apponerent, quo ſuprema Romani Pontificis auctoritas planiſſima fieret, graduque ſuo poneretur: quod ſi Oratores in id incumberent, ut pro aris, & focis opinionem ſuam defenderent, Legati ex adverſo veritatem tueri, ut par eſt, pro virili parte ſatagerent, nec deſiſterent: vero autem verius eſse, quod Pontifex Concilio ſuperior ſit. Ne id conſilii Oratores capeſserent, ut contrariam ſententiam in tractationem adducerent, neque a Synodo eam ſententiam decernendam expoſtularent, aut expectarent; quoniam Legati ſententiam de Pontificis ſupra Concilium poteſtate adeo veram, certamque eſse credebant, ut potius vitam ipſam cum ſanguine profundendam ducerent, paratique eſsent, quam ut id ſinerent, quod illa in dubitationem revocaretur. Hiſce Cardinalis Seripandus ſuperaddidit ad D. Ferrier ſermone converſo: argumentum e Concilio Conſtantienſi erutum ſoliditate carere: ea tempeſtate Eccleſiam caruiſse indubio Pontifice, unde ſchiſmati compeſcendo id potuiſse decerni, atque operæ pretium fuiſse, ut a Concilio, ſe ſupra Papam dubium eſse, decerneretur: impræſentiarum de Pontifice omni procul dubio legitimo agi, ac proinde nunquam ſe ſe abſtenturos ab adhibendis, qua in capitibus, qua in canonibus ea verba, quibus de Romani Pontificis ſuprema poteſtate vera doctrina exprimeretur, explicareturque. Quam quidem Legatorum reſponſionem, eorumdemque animorum reſiſtentiam Pontifex acceptam habuit, præconiisque excepit.

Ad

Ad hæc Pallavicinus lib. 19. cap. 16., auctor eſt, & poſt ipſum Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul XV, & XVI. diſsert. 12. de Synodo Trid. art. 13., quod Cardinalis Lotharingus verba illa *Univerſalem Eccleſiam* canoni 8. adjicienda non eſſe conteſtatus eſt, neque ab ſe admitti poſſe abſque famæ diſpendio, damnationis periculo, & regni perturbatione: quod nunquam ſe adduci pateretur, ut Pontifici primas ſupra Concilium aſsereret & concederet: pro Sedis Apoſtolicæ auctoritate totum ſe profuſurum ſanguinem, ſalvis tantum juribus veritatis, & conſcientiæ officio, quam Eccleſiæ auctoritati, & definitioni ſemper erat ſubjecturus. Hacce de re fuiſse conſcriptam a Cardinali ad Britonem ſecretarium ſuum Romæ agentem, ac cum Pio IV. communicandam epiſtolam, qua rogabat, ut Pontifex verba illa prætermitti, aut mutari permitteret. Hanc epiſtolam, quam Pallavicinus inter ſcripturas Cardinalis Seripandi extare ait, quamque exhibet Puteanus, interpolatam veroſimiliter fuiſſe in eo, quod epiſtola ait, ſe in Academia Pariſienſi enutritum, a qua Concilio ſupra Pontificem ſit poteſtas: ab ſe admitti Concilia Conſt., & Baſileenſe, non ita, eodemque gradu Florentinum haberi; hæc, inquam, epiſtolæ illi aſſuta fuiſse conjicere eſt: tum quod ad rem non pertinerent, aut facerent, niſi quod potius illis exacerbandum Pontificis animum iri optime prænoviſset; neque exiſtimandum, quod voluiſset facile, quum ab eo precibus infimis peteret, ut mitius, & œconomia agendum Pontifex juberet, ut ſcilicet verbis illis decreti parcendum diceret, ne in diſcrimen Galli ſui adducerentur: tum quod in ea affirmat Concilium Florentinum in Galliis receptum non eſse. Quam apertam falſitatem a Cardinali ampliſſimo affirmari potuiſse dicat nemo, quum Catholicis ubique univerſis Concilium illud ultro, citroque probatum fuerit. Puteanus ad marginem illius epiſtolæ adnotavit Cardinalem Agenti ſuo imperaſse, ut quæ Concilii ſuperioritatem ſpectabant, Pontifici non perlegeret. Exinde conjicere eſt pœnituiſse illum eorum, quæ animo ſubirato ſcripſerat, ac corrigenda duxiſse, a ſua imo diſceſſiſse ſententia: tum quod non omnes Gallos ita repugnare noverat Cardinalis, quum eodem in Concilio, eademque jam controverſia excitata, Nicolaus

Mail-

Maillard Decanus Sorbonæ, ac Theologorum Pariſienſium primus in Concilio oratione habita Pontificem pronunciaverit *Paſtorem*, *Rectorem*, *Gubernatorem Eccleſiæ Romanæ*, id eſt *univerſalis*, ut refert, & oſtendit Pallavicinus lib. 20. cap. 2.. Quid vero quod idem Cardinalis cum de canonibus circa Epiſcopos, tum de canone circa Pontificem colloquio cum Legatis habito dixerat eam eſse temporum iniquitatem, quæ exigeret, ut ſive in decretis, ſive in canonibus auctoritas Pontificis conſtabiliretur; ſe imo operam navaturum, ut canon de Pontificis auctoritate juxta formam ipſam a Pio IV. procuſus, ſcilicet cum additamento verborum Concilii Florentini, ab omnibus admitteretur? Quid præterea quod quum Oratoribus Gallis repoſuiſſent Legati ſe de ea particula canonis 8. acturos cum Cardinali Lotharingo, abnuerunt Oratores, Lotharingum imo in ſuſpicionem adducentes eum apud Reginam datis litteris a Domino de Inſula Oratorum Galliæ uno traduxerunt, ut hominem, de quo ſubdubitandum eſset, ei ſubleſtæ fidei, regiamque juſſionem violare facilem perſonam imponentes? Quid plura? quandoquidem, ut pateſcit ex epiſt. Sebaſtiani Gualterii Epiſcopi Viterbienſis ad Cardinalem Borromæum die 28. Junii anno 1563. data., quam refert Pallavicinus lib. 21. cap. 5., Lotharingus pro tuenda, ac defendenda Sedis Apoſtolicæ auctoritate illis diebus exertis viribus diſseruerat cum Epiſcopo Metenſi, aliiſque Gallis Præſulibus in eamdem obloquentibus, eos admonens, quod ſi Pontificis poteſtati detrahere vellent, beneficiis a Pontifice acceptis antea ſe abdicarent; atque ſibi quidem in fide ſuſpectum ire quemcumque, qui a Pontificis poteſtate in alienam abiret ſententiam. Ad hæc tandem ſub Concilii exitum inter feſtiva, & fauſta, quæ Pio IV. conclamata fuere juxta morem priſcorum Conciliorum, quæque ſane fauſta elucubraverat Cardinalis Lotharingus, Pius IV. nominatus eſt *Sanctæ*, *&* *univerſalis Eccleſiæ Pontifex*. Videſis Pallavicinum lib. 24. cap. 8. Quocirca perperam ex ea Lotharingi epiſtola arguunt nonnulli apud Tournellium de locis Theolog. in Concil. Florent. a Gallis Florentinum Concilium fuiſse rejectum, minoriſque factum.

E re nata interea argumentum iſtud nanciſci juvat, atque

in rem noſtram inſtruere, & inſtaurare. Eatenus a Cardinali Lotharingo ejuſmodi excogitatum quæſitum eſt, effugiumque arreptum, ut Concilio Florentino detraheret, illud œcumenici gradu dejiceret, dejiciendumque ex Gallicanæ Eccleſiæ ſententia denuntiaret, quia ejuſdem Concilii decreto incipiente *Sanctam Apoſtolicam Sedem*; ſive fidei definitione ab Eugenio eo in Concilio edita, eodemque a Concilio ſingulorum ſyngrapha ſubſignata, quam legere eſt in Bulla incip. *Lætentur Cæli*, explicate adeo, ac expreſse ſummi Pontificis ſupra Concilium poteſtatem efferri perſpexerat, ut ei alter ad evadendum non ſuppeteret aditus. Atqui Natalis Alexander hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. XV., & XVI. diſsert. 10. Cardinalem Lotharingum ſe Florentino Concilio parum æquum præbentem excipiens, eidemque de Gallicana Eccleſia minus æqui, bonique loquenti obviam occurrens Concilium Florentinum legitimi, œcumenicique loco proculdubio fore, habendum, atque a Gallicana Eccleſia, ut par erat, fuiſſe jugiter habitum, affirmat, affatimque efficit: *Hæc*, inquiens ibidem, *de Florentina Synodo magni Cardinalis verba Gallicanis Theologis neceſſitatem non imponunt eam pariter ex Conciliorum generalium numero expungendi, quum revera Gallicana Eccleſia Florentinæ Synodo nuſquam interceſserit; nec Græcorum unioni, & definitioni fidei in ea editæ adverſata ſit, imo eam definitionem perpetuo venerata*. Congeſtiſque plurimis, quibus Cardinalis periocham exploderet, propoſitionemque ſuam conficeret, tandem concludit: *Ex his œcumenici Concilii notionibus, tum ex Patribus, & Conciliis ipſis; tum ex Theologis ſcholaſticis depromptis facile colligitur Florentinam Synodum œcumenicam eſse, ac dici debere*. Bene, baſilice, recte, vere, optimeque id omne omnino: at exinde atate intelligas tandem exopto eos, qui adverſa fronte contra Pontifices pugnant, eo velint, nolint, devenire demum debere, ut andabatarum more inter ſe, & ſecum met aſperrime pugnent. Non prætermittendum hic tandem, quod appoſite refert Pallavicinus lib. 20. cap. 12., videlicet, quod anno 1563. Petrus Sotus Ord. Prædicat. illuſtris in Concilio Theologus morti proximus die 17. Aprilis epiſtolam ad Pium IV. dedit, qua vivens, moriensque conteſtabatur ſe affirmare Pontificem

cem

cem omnibus Conciliis eſse ſuperiorem, neque ullo modo ab illis in judicium poſtulari poſse: efflagirare tamen enixe Pontificem, ut definiendum curaret Epiſcoporum inſtitutionem juris eſſe divini.

Neque vero ex Gallis dumtaxat Præſulibus, & Doctoribus Pontificis Romani ſupremam poteſtatem inficias non omnes ibanr, ſed Itali, Hiſpani, Germanique univerſim eam Pontifici poteſtatem ultro, citroque aſſerebant; nec modo ut eidem illam aſſererent exerte ſatagebant Legati, ſed & ne id ſibi juris, honorisque invideretur advigilabat Pontifex; qui proinde Nunciis acceptis de re optime a Legatis geſta, Legatis reſcribi a Cardinali Borromæo die 14. Februarii anno 1563. curavit, jubens, ut dum agendum foret de Pontificis auctoritate, formulis non parceretur, quæ olim priſcis Conciliis, ac recens Florentino, nec non veteribus Eccleſiæ Patribus frequentes, ſolemneſque fuerunt, quaſque ne ipſi quidem hæretici Pontifici denegandas antumabant: quandoquidem Elector Brandeburgenſis frequens datis ad ipſum litreris ab eo titulo *Rectoris, & Gubernatoris univerſalis Eccleſiæ* non abſtinuerat. Legendus Pallavicinus lib. 20. cap. 3. Nihilominus perſiſtentibus in ſententia Gallis, Oratoribus Regis inrercedentibus, quum in ſchiſmatis diſcrimen Synodum adduci timeretur, Legati id conſilii inierunt, perhibente Pallavicino lib. 21. cap. 4., a Cardinali Borromæo Pontificis mentem edocti, ut canoni 8. de Pontificis auctoritate illa ſaltem verba ex Concilio Lugdunenſi II. deſumpta, quod a Baſileenſi laudatum fuerat, adderentur: *Univerſalis Eccleſiæ Paſtoris*; & loco particulæ *Oves Chriſti* ſubſtitueretur vox collectiva *Gregem Domini*. Et ſane univerſalis Eccleſiæ regimen, ajebant, in Pontifice agnoviſſe Concilium Lugdunenſe II. non modo, ſed & in vetuſtiſſimis diplomatibus apparere præſentem conſuetudinem appellandi Romanum Pontificem *Epiſcopum Eccleſiæ Catholicæ*, quod idem eſt, atque Eccleſiæ univerſalis. Verumtamen addebant ex indulgentia Pontificis, ne cum alieni animi duritia decertaretur, poſſe loco dictarum vocum has poni: *Regere univerſum Domini gregem*, quo pacto loquitur Innocentius IV. cap. 5. de ſchiſmaticis lib. 6. Decretalium; aut etiam poſſe ibi relinqui ſimplicem vo-

cem *Eccleſiæ Dei*, omiſſa *univerſalis*, aut loco *Eccleſiæ univerſalis* ſubſtitui verba: *Omnes fideles*, *& omnes Eccleſias*.

Verumtamen Galli adhuc moroſiores, quam par eſſet, hunc etiam loquendi modum rejecerunt, contendentes, ut Pontifex *Rector Eccleſiæ Catholicæ* potius diceretur. Quæ vox quamvis idem valeret, a nonnullis tamen tamquam dubia repudiabatur, quod nomen *Catholici* uſu etiam veniſſet ad ſignificandum fidelem, quo ſenſu in Concilio Carthaginenſi ab Epiſcopis ſingularibus uſurpatum legitur: *Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit*: quod ut confirmarent obſervandum monebant legi in S. Cypriano, quod quum ab hæreſi reduces in Eccleſiam ille reciperet, non ſolum eos jubebat confiteri Cornelium Pontificem eſſe *Paſtorem Eccleſiæ Catholicæ*, ſed idem jubebat hoc non contentus, ut adderetur, *ideſt univerſalis*. Quapropter ad tollendam ambiguitatem omnem Legati volebant adhiberi vocabulum *Univerſalem*, quomodo adhibitum fuerat a Concilio Lugdunenſi: ſubjungentes, quod ſi utraque voce idem ſignificari Galli arbitrabantur, cur utramlibet æque non admitterent, ſed conceſſa voce *Catholicam* negarent vocem *Univerſalem*? Alii hoc concordiæ medium proponebant, ut diceretur *Totius Eccleſiæ Catholicæ*; alii vero cenſebant, ut quamvis abſque addito vox illa *Eccleſiæ* acciperetur, uti extat in ſymbolo, atque uti uſurpatur a Pontificibus in ſubſcriptionibus, ſatis id eſſet, idemque ſignificatum iret. Pontifex vero dum quadam die ſacrum faceret, ea diſputatione fervente, obſervavit, juſſitque ſignificari Legatis cunctos Sacerdotes in tribus orationibus, quas pro Romano Pontifice ad altare fundunt, ter iterare Deum voluiſse, ut Pius præſit ipſi Eccleſiæ, adeoque id ſibi ab ullo fidelium negari nequire. Poſt multas demum concertationes Ferdinando Cæſare ſuadente, ac precibus impetrante Pius IV. in anteceſsum id cautum jubens, ne alia quæpiam vox mutaretur ex uſurpatis a Concilio Florentino, qua mutatione Pontificis auctoritati vulnus inferretur, ſatius eſſe, conſultius, & tutius duxit, ſi ab ejuſmodi diſputatione abſtineretur, ſatis ſibi futurum, ſi nec de ſua, nec de Concilii auctoritate quidquam exprimeretur, atque ea præſides agerent, quæ magis in Dei obſequium, & Ec-

& Eccleſiæ bonum ceſſura exiſtimarent. Itaque canon de Romamano Pontifice iis verbis, quibus nunc legitur, procuſus eſt.

In rem inſuper noſtram perhibet Pallavicinus lib.24. cap. 10 inter oppoſitionum capita, quæ in medium produxit de Ferrier Gallorum Orator, quominus Concilium Tridentinum, ac præſertim hæ duæ poſtremæ ſeſſiones in Gallia reciperentur, ea fuiſſe præcipua: ſive quod Pontifex nuncupatus fuiſſet *Epiſcopus Eccleſiæ univerſalis*: ſive quod alia nonnulla decreta fuiſſent, e quibus neceſsario Pontificem Concilio ſuperſtare contra doctrinam Sorbonæ conficeretur. Quinimo narrat ibidem ille, quod Paulus Suavis Pontificiæ auctoritatis hoſtis infenſiſſimus præfidentiſſime ſcripſerit, & affirmarit a Concilii non modo majori parte agnitam, ut obſervat lib. 21. cap. 13, ſed a Concilio ipſo Tridentino declaratam procul dubio fuiſſe Pontificis ſupra Concilia poteſtatem. Hoc nos non dicimus, dicimus tamen ex his omnibus id effici, a Concilii Tridentini potiori parte tantum abfuiſse, ut in dubitationem adduceretur, quod potius, [ſi Gallos excipias] Pontificem Concilio præſtare ultro, citroque aſſertum, & conceſsum ſit: neque tamen Gallos conſequenter egiſse, ac loquutos fuiſse, ut animadvertimus. Quia vero ſolemne extitit Concilio Tridentino ſolas exortas hæreſes configere, ita ut vel privatis Theologorum catholicorum opinionibus parcendum duxerit; Pio IV. etiam adnuente, id genus quæſtionis non fuit ultimo, ac decretorie finitum, atque diremptum. Quamvis ſummopere cautum voluerint Legati, ne quidquam Concilio concederent, ex quo Pontificum ſupremæ poteſtati detractum vel minimum videri poſset; unde *Continuationis* nomen uſurpandum voluerunt, nomen vero *Univerſalem Eccleſiam repræſentantis* a Concilio adhiberi noluere; ſæpiusque diſſertis verbis affirmarunt Concilium Pontifici ſubeſſe, idque tam verum ab ſe credi, ut vel ſanguinem profundere eſſent parati. Proinde non erat cur Natalis diſſert 8. de Concilio Baſil. art. 4. num. 17. gloriaretur, quod in Tridentino canon ille de Pontificis auctoritate ſuſpreſſus fuerit, neque antiquæ [quam falſo id dicat oſtendemus] Eccleſiæ Gallicanæ ſententiæ de auctoritatate Concilii generalis ſupra Pontificem fuerit ullatenus derogatum. Id enim unum eum memoria recolelere

lere velim quod id, quod Gallicani in Tridentino dicere abnuerunt, dicere non gravatus, nec refragatus eſt Clerus Gallicanus in comitiis anno 1626. habitis: *Quum ſpecialis*, inquiens, *Spiritus Sancti aſſiſtentia ſit neceſſaria, ut quis tanti momenti gubernio, quale eſt Eccleſiæ univerſalis, præſit; Patres voluere in omnibus ſuarum Diœceſum precibus ſpecialiter pro S. Patre, qui in S. Petri cathedra ſedebit, orandum eſſe* &c.

Poſtremo Romani Pontificis potior Concilio poteſtas conficitur ex aliis Concilii geſtis. Enim vero ſeſſ. 3. religioni duxit S. Synodus fidei ſymbolum, quo utitur S. Romana Eccleſia, profiteri, atque omnibus Chriſtifidelibus uſurpandum præſcribere tanquam teſſeram, qua Catholici Romani dicimur, & ſumus, atque ab hæreticis univerſis diſtinguimur, & ſecernimur. *Symbolum fidei*, inquit, *quo S. Romana Eccleſia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Chriſti profitentur, neceſſario conveniunt, ac fundamentum firmum, & unicum, contra quod portæ inferi nunquam prævalebunt, totidem verbis, quibus in omnibus Eccleſiis legitur, exprimendum eſſe cenſuit*. Seſſ. 21. rogante Ferdinando Imperatore Caroli V. ſucceſsore, ut ad Bohemos ad fidem Eccleſiæ feliciter, & facile reducendos benigne, a Concilio calicis uſus indulgeretur, ea res a Concilio in examen vocata eſt. In varias generali in conventu ea de re Patres abiisse ſententias refert Pallavicinus lib. 18. cap.4. A Concilio Baſileenſi conceſſus iis fuerat calicis uſus, ejuſdemque conceſſionem enixe a Tridentino efflagitabant Ferdinandi Oratores: Patrum numerus eo in conventu numerum 166. componebat, qui in 8. diverſas ſciſsi ſunt opiniones; ex quibus 14. rem maturius deliberandam cenſebant; 29. calicis conceſſioni adnuebant; 38. illi refragabantur; 24. rem Pontificis judicio deliberandam permittebant; 31. concedendum quidem calicem, at ea conditione, ut conceſſio iſthæc non ab Epiſcopis, ſed a Pontifice indulgeretur; 10. negandum calicem opinabantur, attamen opinionem ſuam Pontificis judicio ſubjiciebant; 19. conceſſionem ſoli Bohemiæ, & Hungariæ obſtringendam volebant; 1. anceps hærebat. Res tandem ſeſſ. 22. in ſummo Pontifice repoſita eſt, conditumque decretum auctore Hercule Gonſaga Cardinali Mantuano quale

quale extat in actis Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 11. Decretum ita efformatum, antequam publica in ſeſſione promulgaretur, in cetu generali perlectum fuerat, poſtulatæque Patrum ſententiæ. Decreto Patres 38. diſſenſerunt ea præſertim ratione, quod id Synodo injurioſum eſſet; verum 98. decreto conſenſum præbuere, ut refert Pallavicinus lib. 18. cap. 8. Quamobrem decretum in ſolemni ſeſſione 22. promulgatum eſt.

Præterea ſeſſ. 6. cap. 1. de reform. major pœna in contumaces Præſules, qui per annum non reſederint, decernenda Romano Pontifici derelicta eſt, *Qui ſuæ*, ait, *ſupremæ ſedis auctoritate animadvertere .... poterit, ſicut in Domino noverit expedire*. Seſs. 7. negotium reformationis, & reſidentiæ proſequens decretis clauſulam illam præmittendam duxit cap. 1. *Salva ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate*: & cap. 6. quum uniones beneficiorum poſt 40. annos, niſi legitimas ob cauſſas coram Ordinario fierent, infirmaſſet prorſus, ac infregiſset, *Niſi aliter*, ſubjunxit, *a Sede Apoſtolica declaratum fuerit*. Ad hæc ſeſs. 14. cap. 7. de caſuum reſervatione agens, *Merito*, inquit, *Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita cauſſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare*: & cap. 3. de ſacram. extremæ unctionis eum unum ritum, uſumque abſque ullo prorſus erroris periculo obſervandum præcepit, quem obſervat *Eccleſia Romana aliarum omnium Mater, & Magiſtra*. Quorum gemina regeſſit ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſsæ cap. 8. Seſſ. 24. cap. 1. de reform. electiones Romani Pontificis judicio commiſit; *Quem*, ait, *ſollicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio habere*. Quid quod Synodus eadem ſeſs. cap. 5. de cauſſis criminalibus Epiſcoporum agens, minores quidem a Concilio provinciali cognoſci, & dirimi præcepit, majores vero ab uno Pontifice cognoſcendas fore, ac dirimendas profeſſa eſt, quas ſiquidem contigerit extra Romanam Curiam committi, committendas Metropolitis, & Epiſcopis a Pontifice eligendis, & deſignandis edixit, ab iis vero ſolam facti inſtructionem, ac proceſſum confici extemplo ad Pontificem transmittendum, uni Pontifici ſuprema definitiva ſententia reſervata? Quid plura! Seſs. eadem cap. 12. hac optima ratione fidei, unitatique catholicæ con-

conſultum, omninoque cautum voluit, ut qui ad gradus, dignitateſque in Eccleſia conſcendere vellent, voti religione, & ſacramento ſpeciatim Romano Pontifici ſe devincirent, fidemque ſuam peculiariter deſponderent: *Teneantur*, inquit, *orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac jurent*.

Poſt hæc ſeſs. 25. cap. 1. *Cardinalium conſilio*, ait, *apud SS. Romanum Pontificem univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nititur*: & cap. 21. de reform. tantum abfuit, ut Synodus ad Pontificem reformationem extendere auſa ſit, ut potius nedum Romanæ Eccleſiæ reformationem Pontifici integram, ſacramque juſserit, ſed etiam his verbis decreverit: *Poſtremo S. Synodus omnia, & ſingula, ſub quibuſcumque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina, tam ſub felic. record. Paulo III, ac Julio III, quam ſub Beatiſſimo Pio IV. Pontificibus maximis in hoc ſacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat ita decreta fuiſse, ut in his ſalva ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ, & ſit, & eſse intelligatur*. Quæ verba peſſime profecto interpretatus eſt Natalis, dum citata diſsert. de Synodo Trid. art. 16. ait, *Quæ verba Synodi reverentiam erga Sedem Apoſtolicam exprimunt, non jus ipſi novum, aut poteſtatem abrogandi decreta Spiritu Dei condita attribuunt*. Adeo namque aperta ſunt verba Synodi, ut nonniſi tenebras iis offundere, ac legentibus fucum facere ſiniſtra illa interpretatione tentare ſit. Quamvis ſano intellectu dici poſſit a Synodo Pontifici jus novum non fuiſse attributum, quod ſcilicet id juris divina inſtitutione Pontifici competat, quod Synodus probe agnovit. Facit & huc, quod cap. 3. ejuſdem ſeſs. librorum indicem Pontificis auctoritate confici, & evulgari; catechiſmum chriſtifidelibus ex ejuſdem aſsenſu præſcribi, ac proponi; Miſſale denique, ac Breviarium inter ſacra adhiberi demandavit. Poſtremo Tridentini Patres proculdubio in Romano Pontifice ſupremam poteſtatem faſſi ſunt, dum Pontificis poteſtate Concilium agnovere convocatum, ut pateſcit ex Bulla indictionis Pauli III., quæ incipit, *Initio noſtri*; tranſlatum, ut patet ex Bulla facultatis transferendi Concilii poſt ſeſs. 7. Pauli III., quæ incipit, *Regimini univerſalis Eccleſiæ*, & ex decreto Concilii die 11. Mar-

Martii an. 1547., reſumptum, ut pateſcit ex Bulla Julii III., quæ incipit *Quum ad tollenda*, & decreto Concilii Kalendis Maji an. 1551. ſeſſ. 11. edito; ſuſpenſum, ut liquet ex decreto ſuſpenſionis Concilii ſeſſ. 16. die 28. Aprilis an. 1552. evulgato; continuatum, ut conſtat ex Bulla Pii IV., quæ incipit *Ad Eccleſiæ regimen*, & ex decreto Concilii ſeſſ. 17. die 18. Januarii an. 1562 edito; ac demum finitum, & confirmandum fuiſſe, ut pateſcit ex decreto Concilii ſeſſ. 25. die 4. Decembris an. 1563. excuſo, & Bulla Pii IV., quæ incipit *Benedictus Deus*. Næ ergo vehementer errant, qui Tridentinos Patres ab agnoſcenda Pontificis ſuprema poteſtate alienos volunt.

Pro Concilii Tridentini coronide non piget, nec abs re erit animadvertere præſertim adverſus quoſdam male feriatos, moroſoſque homines, qui de Tridentino Concilio male cenſentem Eccleſiam Gallicanam aſſerere non erubeſcunt, Concilium illud ultro, citroque ab univerſa Eccleſia, Gallicana nequidem excepta, nedum quoad decreta fidei, ſed quoad etiam decreta diſciplinæ fuiſſe ſuſceptum. Id multis oſtendit Natalis diſſert. cit. art. 16., ex quo perinde, atque ex Harduino tom. 10, & 11. quædam hic delibare non detrectamus. Ergo Concilium Tridentinum 1. excepit Eccleſia Romana, ut conſtat ex Bullis laudatis Pii IV. 2. Eccleſia Mediolanenſis in Concilio I. provinciali ſub Sancto Carolo Borromæo anno 1565. par. 1. cap. 1. 3. Eccleſia Hiſpanica, Mexicana, & Sicula, ut conſtat tum ex Concilio Toletano anno 1565. præſide Chriſtophoro Rogio de Sandoval Epiſcopo Cordubenſi; tum ex Synodo Mexicana anno 1585. præſide Petro Moya de Contreras Archiep.; tum ex edicto Philippi Regis die 2. Julii anno 1564. dato. 4. Eccleſia Luſitana, ut conſtat ex litteris Sebaſtiani Regis ad Pium IV. die 2. Octobris anno 1564. 5. Eccleſia Polonica in Regni comitiis anno 1564. celebratis agente Sigiſmundo Rege, ut refert Pallavicinus lib. 24. cap. 13. 6. Eccleſia Germanica, maxime Auſtriaca in Synodis Auguſtana ab Othone Cardinali Truſeſio celebrata anno 1567., & Salisburgenſi anno 1569. 7. Eccleſia Veneta, ut conſtat ex Moroſino lib. 8. hiſt. Venetæ referente inter ſacra ſolemnia in Baſilica S. Marci juſſu Senatus Veneti promulgatum illud fuiſſe; &

Eccleſia Aquilejenſis in Synodo anno 1596 præſide Franciſco Barbaro Patriarcha Aquilejenſi habita.

Ex Gallicanis Eccleſiis Concilium Tridentinum excepere 8. Eccleſia Rhemenſis tum in Concilio provinciali anno 1564. præſide Carolo Cardinali Lotharingo Archiep. Rhemenſi, ſtatuto 25 tum in altero Concilio Rhemenſi anno 1583. præſide Ludovico Cardinali a Guiſia Archiep. celebrato. 9. Eccleſia Cameracenſis in provinciali Concilio præſide Maximiliano a Bergis Archiep., & Duce Cameracenſi anno 1565. habito. 10. Eccleſia Mechlinenſis in Synodo provinciali anno 1570. præſide Martino Rythorio Epiſcopo Iprenſi loco, & nomine Antonii Cardinalis Granvelani Mechlinenſis Archiep. celebrata. 11. Eccleſia Rothomagenſis in Concilio provinciali coacto anno 1581. præſide Carolo Cardinali Borbonio Sedis Apoſtolicæ Legato, & ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo. 12. Eccleſia Burdegalenſis in Synodo provinciali anno 1583. habita præſide Antonio Prevotio Sanſaco Archiepiſcopo. 13. Eccleſia Turonenſis in Synodo provinciali anno 1583. habita præſide Simone a Maille Archiepiſcopo. 14. Eccleſia Andegavenſis in Synodo coacta anno, quo ſupra, & præſide eodem Simone a Maille, qui ea de re epiſtolam dedit ad Gregorium XIII., & Tridentini promulgationem ab Henrico III. Rege enixe poſtulavit ſuo, & Synodi nomine. 15. Eccleſia Bituricenſis anno 1584. præſide Reginaldo de Beaulne Archiepiſcopo Bituricenſi, & Aquitaniæ Primate. 16. Eccleſia Acquenſis in Concilio provinciali anno 1585. habito præſide Alexandro Coignaco Archiepiſcopo, qui & Regi Chriſtianiſſimo pro Tridentini Concilii promulgatione ſupplicandum decrevit. 17. Eccleſia Toloſana in Synodo provinciali anno 1590. congregata præſide Franciſco Cardinali a Jojoſa Archiepiſcopo. 18. Eccleſia Avenionenſis in Synodo provinciali anno 1594. celebrata præſide Franciſco Maria Archiepiſcopo. 19. Eccleſia Narbonenſis in Synodo provinciali anno 1609. præſide Ludovico de Vervins Archiep., & Primate. 20.

Eccleſia omnis Gallicana frequentiſſime in Comitiis generalibus congregata Concilium Tridentinum quoad diſciplinam recepit non modo, ſed etiam preces pro illius promulgatione

eni-

enixas Regibus Chriſtianiſſimis porrexit. Ita ſupplicatum a Clero in comitiis Bleſenſibus Henrico III.; ita in comitiis Meloduni habitis anno 1579. perorante Arnaldo de Pontac Epiſcopo Vaſatenſi apud Regem: ita in conventu Pariſienſi anno 1585. perorante Claudio de Angennes Epiſcopo Noviodunenſi: ita in conventu Pariſienſi anno 1586. perorante Petro de Villars Archiepiſcopo Viennenſi. Ita ſupplicatum Henrico Magno anno 1596. perorante Claudio de Angennes de Rambovillet Epiſcopo Cenomanenſi: ita anno 1598. perorante Franciſco de la Guesle Archiep. Turonenſi: ita ſupplicatum anno 1605. perorante Hieronymo de Villars Archiep. Viennenſi: ita anno 1608. perorante Andrea Fremiot Archiepiſcopo Bituricenſi. Ita ſupplicatum Ludovico XIII. in conventu Pariſienſi anno 1615. perorante Armando Dupleſſis Epiſcopo Lucionenſi, poſtea Cardinali Richelio, qui Regem multis adhortatus eſt ad Tridentini, in quod ultro, citroque Gallicanus Clerus juraverat, promulgationem, præſertim exemplo ceterorum Principum; atque propoſita promiſſione Henrici Magni patris, qui Concilii promulgationem ſolemniter pollicitus fuerat, quum abſolutionem ab hæreſi a Sede Apoſtolica impetravit. Ita Regi ſupplicatum perorante Franciſco Harleo Archiep. Auguſtopolitano, & Rothomagenſis coadjutore. Ita denique anno 1625. in comitiis Pariſienſibus Clerus Gallicanus ad recipiendum, & pro viribus obſervandum Tridentinum jurisjurandi religione ſe obſtrinxit. Non illud acceptavit ſane Aula Regia duabus ex cauſſis, ut refert Pallavicinus lib. 24. cap. 11., tum quod Tridentinum vetuiſſet Beneficia regularia tradi in Commendam, hocve Regibus incommodum creabat; tum quod verebatur Aula, ne Calviniſtæ a Tridentino toties perculſi in Regno pejora molirentur.

Quamobrem peſſimam in ſe provinciam ſuſceperunt, peſſimamque cauſſam pertractandam homines projectæ conſcientiæ, & fidei ſubleſtiſſimæ perſonam veſtiti, Paulus Suavis in hiſt. Concil. Trid., ejuſque apologiſta, & annotator le Courajer; Auctor anonymus reviſionis Conc. Trident.; Carolus Molinæus in *Conſilio ſuper actis Concil. Trid.*; Innocentius Gentiletus e grege Calviniſtarum in libro *Examinis Concil. Trid.*, aliique pragmatici, qui ſuſdeque

 omnia

omnia revolverunt, omnibuſque viribus in id incubuere, ut Tridentinum Concilium penitus averuncandum ſuaderent; atque ab Eccleſia præſertim Gallicana perpetuo exulatum viderent: quorum momenta apud Natalem ipſum convulſa, & profligata undequaque, facilique negotio loc. cit. videre eſt. Confer Stephanum Raſſicodum diſſertat. de Concil. Tridentin. recept., & auctorit. in Gallia. Kemnitii effrenis, effrontiſque hæretici audaciam, quod attinet, qua Tridentinum, ac ſpræ aliis canonem 3. de baptiſmo, ubi Romana Eccleſia Eccleſiarum omnium, Mater, ac Magiſtra jure, ac merito nuncupatur, dictis impetere, ac reprehendere impudentiſſime aggreſſus eſt, perſtrinxit Jodocus Tilletanus doctor Lovanienſis in apolog. pro decretis Concilii Tridentini, quumque præcitatum canonem plurimis confirmaſſet ex SS. Cypriano lib. 4. epiſt. 8., Iræneo lib. 3. cap. 3., Hieronymo epiſt. ad Theophil., & Auguſtino epiſt. 90., & 162., aliiſque, ex quibus liquido conſtat primos non fuiſſe Tridentinos Patres, qui Romanam Eccleſiam eo nomine celebraſſent, ſubdit: *Cernis jam Chriſtiane Frater cenſorem iſtum* (Kemnitium) *dum P. P. Tridentinorum de Romana Eccleſiæ magiſterio, Principatu, & Ducatu dictum ſugillat, & acriter exaggitat, toti antiquitati ſe arroganter opponere*. Mirari vero ſubit, quod Franciſcus Vargas Concilio Trident. parum ſe æquum præbuerit in ſuis monumentis, quæ anno 1700 publici juris fecit Michael Vaſſor a Catholicis ad Calviniſtas transfuga. Sed is ex hactenus dictis facile refellitur. Neque vero conſilium ſanius, ſacratiorque, ac religioſior ſententia illorum animo inſedit, qui ut Pontificum Romanorum poteſtati ſumma detraherent libidine, alienos in ſenſus Trident. Patrum mentem intorſerunt. Silentio premo Clementis VIII., Sixti V., & Gregorii XIII. graviſſimas epiſtolas ad Carolum IX., Henricum III., & Henricum IV., quibus adhortabantur, ut Concilium Tridentinum in Regno publici juris eſſe juberent: Jam enim hora eſt, ut ad particularia Concilia properet oratio, a Conciliis poſtea ad SS. Patres gradum factura.

Ex

Ex Conciliis particularibus Eccleſiæ cum Orientalis, tum Occidentalis.

ARTICULUS VI.

De neceſſitate, & ratione cum Romana Eccleſia communicandi; eidemque conſentiendi.

PROLEGOMENON.

POſtquam jacto principio de neceſſitate communicandi cum Romana Eccleſia, recta conſecutione neceſſitatem exinde cum eadem Romana Eccleſia conveniendi intulerimus: inde iterum, nempe ex neceſſitate cum eadem communicandi, & conveniendi in doctrina fidei, ac in legibus diſciplinæ, Romani Pontificis cum in fidei definitionibus indefectibilitatem, tum ſupremam in Eccleſiam omnem poteſtatem inferemus. Poſtquam ex generalium Conciliorum ſententia Eccleſiæ univerſalis ſenſum recta arguimus, a Conciliis autem generalibus nihil antiquius, ac ſacratius habitum audivimus, quam cum Romana Eccleſia communicare, eique conſentire, hujuſce vero communionis, & conſenſionis argumento fuiſſe præclara, quæ de Romani Pontificis ſuprema in Eccleſia præſtantia, ac in fide infallibilitate teſtimonia, quæ nunquam non exhibuerunt. Gradum nunc facturi ad Concilia Provincialia, ex eorumdem ſententia pariter Eccleſiarum particularium ſenſum exhibituri, ex ſententia vero, quæ iis jugiter inſedit de neceſſitate cum Romana Eccleſia communicandi, & conſentiendi profectam dubio procul demonſtraturi neceſſitatem, qua afficiebantur agnoſcendi Romanum Pontificem ſupra Concilia ſummopere potem, ac in fide falli, & fallere neſcium, nec inutile, nec injucundum erit, ſi in anteceſſum de neceſsitate, ac modis cum Eccleſia Romana communicandi, & conſentiendi diſſeramus, ac breviori, quoad fieri poterit, oratione pertractemus. Sane nihil heri, & hodie in vicem ſingulam, & uſque ad ſtomachum magis, magiſque repoſtum, repetitumque

que ab adverſariis noſtris audire contingit, quam in Eccleſiarum communione religionis Chriſtianæ ſummam conſiſtere, earumque ſumma conſenſione chriſtianam rem omnem confici. Belle id quidem, & recte plane: id quoque nos, quod illi; niſi quod, non qua nos incedimus, eadem illi incedunt via; nec qua nos dicimus, eadem ratione id illi dicunt. Quatenus in re Chriſtiana cum Romana Eccleſia conveniendi, & communicandi Eccleſiis omnibus neceſsitas omnino incumbit, hac nos ratione dicimus, quod dicere illi detrectant, ſatis, ſuperque habentes, ab Eccleſia Romana abſtrahendo, univerſim in Eccleſiarum omnium conſenſione vim omnem, reique chriſtianæ robur collocaſſe; ita Chriſtianæ religionis ſummam loco collocatam ſuo arbitrati, interea viribus intenti ad eumdem Eccleſiarum conſenſum turbandum, iccirco ut eo gradu, quo ſtat, Pontificem Romanum deturbent.

Quo in genere, quamvis non ex induſtria, & malitia, nonnihil deliquiſſe mihi videtur doctiſs. Bencinus, qui in egregio ſuo ceteroquin opere de epiſtolis encyclicis ſtudio incenſus, viribuſque intentus rem ſuam omnino quocumque modo conficiendi in ea, quam pervagatus longe, lateque, provincia, eſt, nullum pene neceſsitati cum Eccleſia Romana communicandi, & conveniendi Eccleſias ceteras locum fecit; unde in una indiſtinctim unitate Eccleſiarum vim omnem repoſuiſse viſus eſt, totus intento animo, exertaque mentis acie incumbens in epiſtolas diverſi generis encyclicas, quas ſibi invicem inſcribere Eccleſiis ſolemne erat. Nolim hac de re virum clariſsimum in invidiam vocare: tamen in eo majorem cum cautela diligentiam deſideraſſem. Pejus longe peccavit, totoque oſtio abs vero aberravit poſt Queſnelli viri a capite ad talos errorum cummulatiſsimi veſtigia abiens Baillet ad diem 28 Julii, qui dignis propterea vapulat ab Illuſtriſsimo Sommier, dum de Sancto Firmiliano agens, tam perperam, quam præſidenter effutire non erubuit exemplo S. Firmiliani eos, qui a Pontificis Romani communione ſejuncti ſunt, nihiloſecius in aliorum Epiſcoporum communione cenſeri poſse, ac perſeverare; nec iccirco tamquam ſegregatos a generali Eccleſiæ unitate habendos eſse. Nempe de Firmiliano, qui S. Stephano Pontifici Maximo in quæſtione Paſchatis conſenſum præbere

bere renuens, ab ejus communione proinde reciſus eſt, affirmavit, Janſeniſtis locum inde faciens homo proſtitutæ fidei affirmandi Romanæ Eccleſiæ poſſe quempiam impune conſenſum denegare, quin propterea ab Eccleſiæ univerſalis communione dejiciatur. Næ is vehementer errat ſive ſchiſmati viam ſternens, Eccleſiam a Capitis communione ſejungendo; ſive hæreſi vires adjiciens, Eccleſiam a Capitis conſenſione abſolvendo.

At mirari, ac mœrere ſatis non eſt exundantem incredulorum colluviem, qui pro temporum, morum, ingeniorumque iniquitate in religionis ruinam, inque Eccleſiæ everſionem conſurrexerunt, & conſpirarunt: qui quidem variis ſub nominibus ad decipiendum deliteſcentes Naturaliſtæ, Materialiſtæ, Pantheiſtæ, Sceptici, Politici, Archetici, Conſcientiales, Indifferentes, Adjaphoriſtæ, Complanatores, Tollerantes, Spiritus fortes, Liberi muratores, Liberi cogitantes, Philoſophi Eclectici, Theologhi Eclogiſtici, Socii Philadelphici &c., duas in claſſes dividi commode queunt; ideſt, in eos, qui religionem omnem prorſus eliminant, qui Athei, & Deiſtæ; quique religionem omnem pariter admittunt, qui Tollerantes, & Indifferentes uſitatiori jam vocabulo audiunt. Non omnes perſequar, [quod nec facile facerem] qui religioni bellum indixere, ſed paucis dumtaxat indicabo, qui inter eos præcipuæ habentur peſtes, ut ex his perinde ab horum ſimilibus generis humani propudiis quiſque ſibi præcaveat. Ex iis ergo Johannes Bodinus lib. de abditis rerum ſublimium arcanis apud Bayle purum, putumque naturaliſtam egit; & lib. de republ. libertati conſcientiæ totum dedit, quem egregie refellit Houtvilleus. Mathias Knuſen in epiſtola, quam evulgavit Micrelius, alteram, præter conſcientiam, religionem non eſſe pariter effutiit: exinde ejuſdem diſcipuli *Conſcientiales* denominati ſunt; ſed eum Johannes Muſcus vir Lutheranus refutavit. Carolus Poppeblount lib. de oracul. ration. pro ratione adverſus religionem ſtetit, quam doctrinam ex Eduardo Herberto hauſit tract. de verit.; de cauſſis errorum; de relig. laici, & de relig. gentil. Herbertum una cum Spinoſa, & Hobbeſio exagitavit Chriſtianus Korthol vir alioquin e Lutheranorum grege tract. de tribus magnis impoſtoribus; quem in librum dein diſſertationem adornavit

vit Bernardus de Monoje. Benedictus Spinoſa Deum ab adſpectabili hoc mundo non diſtinxit, quæquæ in Mundo contingunt, Deo ceu ejuſdem diverſos modos eſſe omnino tribuenda in tract. Theologico politico; & in oper. poſthum. politico contendit. Atheum hunc profligarunt Johannes Bredenburgius, Bernardus Nieventitius, Iſaacus Jaquellotius, Michael Vaſſor, Franciſcus Lami, aliique. Thomas Hobbeſius tract. inſcripto *Leviathan*, & tract. de Cive, quem perſtrinxere Samuel Parcherus diſput. 1. de Deo, & provid.; Richardus Chumberlandus de legibus naturæ, & Johannes Wallis, Herbertus, inquam, ea ipſa, quæ in Epicuro veteres reprehenderunt, recoxit, obtruditque, nihilque legi naturæ, & libertati non detulit. Herbertum poſtea veritate comperta erroris pœnituiſſe, atque apologia ſuo nomine inſcripta tractatum de Cive, necnon Leviathan devoviſſe. ac damnaſſe auctor eſt Johannes Laurentius Moshemius hiſt. Eccleſ. recent. ætatis ſæcul. XVII. Palengenius Marcellus in poem. ſub hac epigraphe *Zodiacus vitæ* Libertinorum adverſus religionem toties oblitera-ta objecta viribus, quibus potuit, promovit. Brunus Jordanus homo poſt natos homines impiiſſimus apud Bayle alteram morum regulam non eſſe admittendam, quam legem naturalem; nec magis firmum, ratumque præ Paganiſmo eſſe ſive Judaiſmum, ſive Chriſtianiſmum blateravit. Johannes Tollandus tract. de relig. Chriſt. abſque myſteriis; tract. inſcripto *Adeiſidemon*, ſive Titus Livius a ſuperſtitione vindicatus; in originib. Judaicis; in in Chriſtianiſmo Judaico, Pagano, & Muhametano; in lib., cui titulum fecit *Panteiſticon*, ſive formula celebrandæ ſocietatis Socraticæ, aliiſque peſtilentiſſimis libris, parum habuit effutire in hiſtoria hebræa majorem, quam Moyſi, fidem Straboni, aliiſque ſcriptoribus ethnicis adhibendam; niſi ex Univerſo omnia, & ex omnibus Univerſum conficeret, quem perinde *Panteiſticon* denominavit, ex quo ejuſdem ſectatores deinde *Panteiſtæ* dicti ſunt apud Ashlejum Sykes in exam. fundam., & connex. relig. natural., & revel. Eum late confutarunt præcit. Sykes, Eduardus Stillingflet, Stephanus Nie, Jacobus Fajus, Elias Benedictus, Huetius, aliique. Mathias Tindal in tract. de Chriſtianiſmo tam antiquo, quam Mundus, & Evangelio, tam veteri, quam religio natu-

naturæ, contra quem pugnarunt Johannes Conybearius, Jacobus Foſterus, Humfredus Dictonus, Johannes Lelandus &c., revelatione exploſa, ſola naturali religione vivendum, tranſigendumque voluit. Quo ab errore parum, aut nihil abſuerunt Petrus Bayle, oppugnatus propterea a Leibnitio, Jaquellotio, Rajo, Renaudotio &c.; Antonius Ashlei Cooper Baylio amicitia conjunctus; Thomas Burnetius tract. de fide, & offic. Chriſt.; Lucilius Vaninus in dialogis naturæ a Sorbonicis doctoribus confixis; Antonius Collins, de quo legendus de Watte tom. 13. bibl. Britan., Collins, inquam, in ſpecimine uſus rationis, diſcurſ. de fundament., & probation. religion. chriſtian., & diſcurſ. de libertate cogitandi, qui profligatus fuit præſertim a Johanne Roggers lib. de neceſſit. revelat.; Goffridus Valleſius lib. de beatitudine Chriſtianor.; Bernardus Mandeville in opuſc. de cogitat. liberis circa relig.; de Prades, contra quem præclaram adornavit paſtoralem inſtructionem Epiſcopus Montalbanenſis, ab illo inductum Materialiſmum evertens; Andreas Wiſſovarzius in tract. de relig. rationali, ſeu de rationis judicio in controverſiis etiam theologicis, ac religioſis adhibendo; Thomas Woolſtonius in ſerm. de miracul. Chriſti Dom., qui pro meritis vapulavit a Gibſonio Epiſop. Londin., Smalbroochio Epiſcopo Lichefeldenſi, Sherlochio Epiſc. Bangorienſi, Wada &c.; Barlovvius; Svvift; Beauſobrius; Bekker, Magliani, Thourneiſer, Mercerus, de Argent in libro Telialmed, aliique hujuſce generis projectæ conſcientiæ, religioniſque perditiſſimi homines.

Meum profecto non eſt, qui unius Romanæ Eccleſiæ, ejuſque Capitis cauſſam propugnandam, ac pro virili parte defendendam ſuſcepi, hoſce religionis hoſtes hic profligare, eo vel maxime, quod provinciam iſtam egregie jam exornaverint viri numero, eruditioneque præclari, atque ex noſtræ quidem communionis Ludovicus Vives tract. de religione; Nicolaus Pſeaume Epiſcopus Virdunenſis in præſervativo contra mutation. religion.; Johannes Tillet Epiſcopus Meldenſis tract. de relig. Chriſt.; Petrus Silvanus Regis *Uſage de la rayſon, e della foy*; Petrus Daniel Huetius Epiſcop. Abrincenſis in quæſt. Alnetanis; Franciſcus Lamius de verit. evidenti Chriſt. relig., in novo Atheiſmo ever-

ſo, & in incredulo ad relig. manuducto rationis opere &c.; Franciſcus Fenellonius de Salignac Archiep. Cameracenſis in tract. de exiſtentia Dei; Carolus Simiana Eques Pedemont. in tract. de verit. Chriſt. relig.; Ludovicus Antonius Muratorius de ingenior. moderat. in relig. negotio; Alexander Popeus in ſpecimine criticæ, & hominis, quem Crouzatius impugnavit, defendit vero obnixe Warburthonius auctor operis de legatione divina Moyſis, in ſuis epiſtolis philoſoph., & moralibus; Claudius Franciſcus Houtvilleus in tract. inſcripto *La religion Chretien prouve par le fait*; D. Dangeau in dialog. de exiſt. Dei; de relig. &c; Blaſius Paſchal Janſenianæ tametſi hæreſis ſuſpectus in cogitat. ſuper relig. Anſelmus Deſing tract. de Regno ration., de Spiritu legum &c; Cardinalis de Polignac in Antilucretio; Antonius Genuenſis in elementis metaph. tom. 3. Hyacinthus Sigiſmundus Gerdil introduct. ad ſtudium Religionis, ſexcentique alii de ſchola Theologi. Ex Proteſtantibus vero, præter illos, quos ſuperius commemoravi, Samuel Parcherus in demonſtr. auctor. divinæ leg. nat., & relig. Chriſt.; Samuel Clark *Veritè de la religion revelè*; Johannes Tillotſon tract. de regulis fidei contra Atheos; Johannes Alphonſus Turretinus de verit. relig. Chriſt., & Judaicæ; Michael Turretinus in præſervat. adverſus Phanatiſmum; Thomas Turretinus de neceſſit. revelat.; Richardus Bentellius de ſtultitia, & irrationabil. Atheiſmi; Chriſtianus Kortol. de ration. revelat. theolog., & concurſu; Johannes Enichius de verit. relig. Chriſt.; Iſaacus Jaquelotius tract. de exiſtentia Dei, & de inſpirat. libror. ſacror.; Michael Vaſſor a catholicis ad Anglo-Calviniſtas transfuga in tract. de vera relig., & de modo examin. differ. relig.; Jacobus Fajus in defenſ. relig.; Elias Benedictus in obſervat. critic. adverſus Tollandum; Johannes Ray de exiſtentia Dei oſtenſa ex operib. creationis; Johannes Stephanus Rittangelius ex Judæo catholicus, ex catholico Calviniſta de verit. relig. Chriſt.; Jacobus Abbadia de verit. relig. Chriſt.; Bernardus Nieuventitius in tract. de exiſtentia Dei ex naturæ miris demonſtr., & in tract. adverſus Spinoſam; Jacobus Foſterus de verit. relig. adverſus Tindal; Humfredus Dicton de verit. relig. Chriſt.; Stachouſius in opere gallice inſcripto *Le ſenſe litteral de la Ecriture ſainte*; Gerardus Tizius

in

in tract. de inſuffic. relig. natur., ac de neceſſitate revelat. divinæ; Witbi Daniel in tract. de certitud. relig. Chriſt., de neceſſit., & utilit. revelat.; etſi deinde inſanientis more in dogmata Eccleſiæ Romanæ deblaterarit; Chriſtophorus Witichius in *Antiſpinoſa*; Ludolphus Benthemius in apologia ſcriptor. de veritate relig. Chriſt.; Hermannus Witzius orat. de verit. Evangel.; Rudolphus Cudvvortus in ſyſtemate intellect. univer. adverſus Atheos, quod opus latine vertit Jo. Laurentius Moshemius, adjecto ad calcem tom. 2. tractatu *De turbata per juniores Platonicos Eccleſia*; Derhmannus in Theolog. phyſ.; Guillelmus Wolaſtonius in *Ebauche de la religion naturelle*; Ashlei Sykes in *Examen des fondaments, e de la connexion de la religion naturelle, e revellee*. Mitto pleroſque alios, ne præter modum, opuſque ſim prolixior.

Secundi generis ſceleſti homines cujuſcumque Religionis tolerantiam pro libertate, pro libitu, pro libidine invehere, ac loco ſtatuere vario ſub ementito nomine enixi ſunt. Mox aſſumta denominatione a Theologia eclogiſtica, ſive Philoſophia eclectica derivato vocabulo a veteri Philoſophorum ſecta, ſive libere philoſophantium, cui Alexandriæ circa annum 242. ortum feciſſe Ammonius Sachas circumfertur. Mox ſub nomine Theologiæ prudentum, ſive politicorum, ut eſt apud Auctorem meditationum philoſophic. de Deo, Mundo, & homine. Nunc Pantheiſtæ dici malunt, pro quibus ſuum *Pantheiſticon* adornavit Tollandus. Nunc liberi Muratores in Anglia ex Oliviero Cromuel enati, de quibus videſis Diction. de Treveaux V. Libertins. Socii Complanatores, ſive æquales, anglice *Levellers* audiunt apud Eduardum Clarendonium in *Hiſtoire des rebellions, e guerres civiles d' Angleterre*, & apud Leibnitium in actis Lypſiæ ſupplem. tom. 5. ſect. 3. Socii Philadelphici indito nomine a Johanne Podagio, & Thoma Broumlæo, de quibus agit Jo. Laurent. Moſhemius hiſt. Eccleſ. recent. ætat. ſæcul. XVII. Nuperum a Perruanis mutuatum, quod *Quippu* inſcripſit, occaſione accepta ab iis ſignis effectis ex laneis funiculis, variis nodis, circulis, & coloribus intertextis, quibus litterarum loco Perruani olim utebantur, nomen dedit Auctor epiſtolæ apologeticæ de *Quippu*, quem Auctor opuſculi italice inſcripti *Parere intorno alla vera idea contenuta*

 nella

nella lettera apologetica de Quippu, præclare refellit. Tollerantiſmus in rebus ad religionem attinentibus vocatus ab aliis eſt Anima Religionis prudentum apud Fridericum Kettner in exercit. hiſt. theolog.. Ab aliis planiori vocabulo *Latitudinarium*, ut in Anglia a Rapino de Thoyras tom. 10. hiſt. Anglic. Sub Scepticiſmi larva invectus in Bataviam, & Germaniam eſt a Petro Jurieo in tract. de Eccleſia, quam ex quacumque chriſtiana ſocietate compoſuit; ſed eum in tract. de unit. Eccleſiæ exagitavit Nicolius; a Grotio de verit relig. Chriſt.; a Johanne Clerico diſsert. de eligenda inter diſſid. Chriſt. ſententia; a Valleſio, a Potter, & Chillingvvort, quos Eduardus Knot Soc. Jeſ. egregie oppugnavit. In Angliam haud abſimili nominis ſpecie appicta Tollerantiſmum transvexere Johannes Milton in tract. de vera relig. &c., quo cujuſque generis ſectatoribus ſalutem æternam ſpondet, ſoliſque Romano-Catholicis denegat, quorum imo ad impediendam doctrinæ propagationem, quamlibet potius hæreſim, ſchiſma, atque cujuslibet ſectæ tollerantiam permitti voluit. Tollando adeo Miltonis placitum arriſit, ut poſt obitum propterea ejuſdem geſta præconiis celebrarit. Johannes Lochius in tract. de Chriſtianiſmo ration., in reſponſ. ad Stillingflet de Chriſt. ration., & in epiſt. de tollerant. in rebus relig.; Auctor libri inſcripti *Spiritus legum*, contra quem calamum egregie perſtrinxit Anſelmus Deſing.; Thomas Burnetius in Archeolog., aliique multi. Zuvinglius lib. de vera, & falſa relig. ſolis naturæ viribus viros apud Gentiles olim conſpicuos, puta Socratem, Catonem, Scipionem, Senecam, Herculem etiam, & Theſeum ad vitam æternam perveniſſe affirmavit. Philippus Mornæus Dupleſſis de verit. relig. Chriſt., & de menſura fidei; Petrus de Moulin filius in defenſ. relig. Proteſt.; Franciſcus Turretinus de ſeceſs. ab Eccleſ. Rom.; Johannes Serranus de princip. relig. Chriſt.; Johannes Placetæus, aliique Calviniſmum apprime Chriſtianiſmo conformem ſuadere enixi ſunt. Wolſegenius, Epiſcopius, Worſtius, Lubieniecius &c. Sociniaſmum una ac cum aliis ſectis omnino tollerandum eſſe contenderunt. Andreas Iricius Modrevius Lutheranos, & Antitrinitarios non modo, ſed & ſectas omnes, ac ſocietates Catholicis conciliare lib. de Eccleſia enixus eſt, unde a Grotio inter Conciliato-

liatores eſt adcenſitus. Johannes Duræus, & Johannes Enichius Lutheranis Calviniſtas communione adſociare peroptarunt, obnixeque curarunt. Georgius Wicelius ſenior e Lutherano Catholicus in ſua methodo concordiæ Catholicis pariter Proteſtantes concordare ſtuduit, idque conſilii Caſſandro, Maſenio, aliiſque inſpirare ſategit. Suſceperat idem conſilium; jamque pridem iniverat Alexander de Yse, ac Proteſtantibus ſermone inſcripto propoſuit, quorum propterea invidiam, indignationemque in ſe concitavit: ſed & proſequutus dein eſt Auctor *Tubæ pacis*, ſive diſcurſus theolog. de unione Eccleſiæ. Rom., & Proteſt. Præter eos vero quamplures ex noſtratibus, quorum nonnullos paulo ſuperius memoravi, qui e Chriſtiana religione Tollerantiſmum procul abigendum propugnarunt, qui legantur digni prorſus ſunt Iſaacus Papin ex Anglo-Calviniſta opera clariſſimi Boſſuetii Catholicus effectus in tract. adverſus Tollerantiſſimum in rebus religionis; doctiſſim. Ludovicus Thomaſſinus in tract. de unit. Eccleſiæ, & modis jugiter obſervatis unitatis conſervandæ; necnon Johannes Dez Soc. J. de fide Chriſtian., & cathol. vindicata adverſus Deiſtas, Judæos, Mahometanos, Socinianos &c. Ego paucis rem conficiam, & quidem viam alteram ingreſſus, quæ orationem meam eò, unde digreſſa eſt, ideſt, ad tractationem de neceſſitate communicandi cum Romana Eccleſia, ejuſque Capite Romano Pontifice, inque rebus ad religionem attinentibus eidem conſentiendi, tandem reducat.

Enim vero Eccleſiam juxta illud Apoſtoli *Unus Deus, una fides, unum baptiſma*, unam eſſe unitate Capitis, unitate fidei, unitate Sacramentorum, jam nunc nemo ignorat nedum ex iis, qui vel a primoribus labiis theologica dogmata ſalutaverit, ſed ex iis quicumque a primo limine Chriſtianæ fidei rudimentis fuerit imbutus; nec rerum chriſtianarum, quæ quotidie ſub oculos cadunt, omnino ſit jejunus. Ita vero triplex hujus unitatis vinculum a Chriſto Domino Chriſtianæ Religionis optimo inſtitutore in Eccleſia cautum, ordinatum, & conſtitutum eſt, ut una alteri ita adſociata, comeſque adaucta ſemper ſit, ut ab invicem diſcindi, divellique nequeat, quin utrimque diſperdantur, & depereant, videlicet ita ut in re ſive ſacramentaria, ſive dogmatica unitas inte-

integra, intemerataque non maneat, niſi conjuncta cum ſui Capitis unitate; non ſecus ac corpori integritas non manet, niſi capiti ſuo copuletur: ex quo conficitur neceſſitas cum Romano Pontifice communicandi, atque Pontifici in rebus qua ad fidem, & qua ad Sacramenta ſpectantibus pariter conſentiendi. Hinc profectus illuſtris mos ille, cujus teſtes locupletes habemus S. Irenæum lib. 3. cap. 3., & Tertullianum lib. de præſcript. cap. 36., ut alios nunc prætercam, quo Eccleſiis nihil antiquius erat, quam ſubortas de fide quæſtiones ſtatim ad Pontificem deferre, atque ab eo reſponſa, & placita expectare: in quem S. Irenæi locum, videlicet in ea verba, *Ad hanc Eccleſiam* [Romanam] *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam*, Fervandentius Romani Pontificis privilegia a S. Irenæo ibidem celebrata plurimis illuſtrans; & poſt eumdem Tertulliani locum, ideſt verba illa, *Si Italiæ adjaces, habes Romanam* [Eccleſiam] *unde nobis quoque auctoritas præſto eſt*, adnotans de la Farre Theologus Pariſienſis catalogum attexuere Eccleſiarum Gallicæ, Italicæ, Hiſpanicæ, Anglicæ, Scoticæ, Hibernicæ, Germanicæ, Gothicæ, Sarmaticæ, earumque Orientalium, tum Auſtralium Carthaginenſis, Numidicæ, Mauritanicæ, Hipponicæ, Aſianæ, Arabicæ; Occidentalium denique Cæſareæ, Cappadociæ, Phœniciæ, Syriæ, Armeniæ, Ponti, Gallatiæ, Lydiæ, Phrygiæ, Piſidiæ, Pamphiliæ, Iſauriæ, quas omnes, ut verbo finiam, controverſias fidei, ut par erat, remiſiſſe ad Petri ſucceſſores, ac Pontificis fidei ſe integre permiſiſſe exploratum eſt; quarum nos pleraque teſtimonia paulo poſt in lucem proferemus.

Hinc profectus mos ille pariter, quo Eccleſiarum Præſules recens inaugurati Romano Pontifici fidei ſuæ rationem reddere: vel Romam proficiſci, vel eó acciri a Pontifice, unaque cum fidelitatis ſacramento præſtare obedientiam, & fidem deſpondere: a Pontifice ſacræ diſciplinæ, rituumque Eccleſiaſticorum præſtolari, & expetere documenta: Pontificis voluntati, & præceptis caput ſubmittere, ac obſervantiæ vinculo ſe obſtringere ſolenne habebant, & ſummopere ſatagebant. Cujus quidem moris exempla, quæ fuſiori ſermone part. 2. proſequemur, ut prætercam de S. Polycar-

lycarpo, S. Irenæo, Origene, S. Petro Alexandrino, Theophilo Cæſareenſi, S. Athanaſio, Paulino Antiocheno, Maximo Conſtantinopolitano, ſexcentiſque aliis perſemet officium iſtud præſtitum Romam profectis, frequentiſſima, & antiquiſſima exſtant apud S. Cornelium epiſt. 49. ad S. Cyprianum, cui formularium Novatiani ſchiſmatis ejurandi præſcribit, atque Africanis Eccleſiis denunciari præcipit: apud S. Epiphanium hær. 72., ubi refert fidei profeſſionem, quam ut Pontificis gratiam aucuparet, Marcellus Ancyranus coram S. Julio I. emiſerat, manuque ſignaverat: apud S. Leonem M. epiſt. ad Nicetam Aquilejenſem, qua jubet ut Clerici a Pelagiana hæreſi reſipiſcentes ejuratis cum auctoribus erroribus aperta, ſcriptaque profeſsione jurarent *Statuta omnia Synodalia, quæ Apoſtolicæ Sedis confirmarat auctoritas, amplecti, & approbare*: apud S. Gregorium lib. 10. epiſt. 31. vet. edit., ubi formula exhibetur præſcripta, qua qui Aquilejenſe ſchiſma ad Eccleſiam reduces ejuraſſent, impoſterum in Romanæ Eccleſiæ communione perſiſtere, eique omnino conſentire pollicerentur: apud S. Zachariam epiſt. 4. ad Bonifacium, qua tria pallia tribus Archiepiſcopis tranſmittere ſe ea lege perhibet, ut Pontifici in obedientiam caput ſubmitterent: apud S. Bonifacium Moguntinum epiſt. 105. ad Cudbertum Archiepiſcopum Cantuarienſem, qua refert in Synodo Liptinenſi anno 743. communi calculo ſancitum, ut in ſignum unitatis, & ſubjectionis Pontifici pendendæ ſcripto exarato, & Epiſcoporum ſyngrapha firmato eidem Pontifici obedientia, & obſervantia ſe omnes obſtringerent: quo ſacramento jampridem S. Gregorio II. idem S. Bonifacius ſcripto edito, quod legere eſt apud Labbeum tom. 8., fidem ſuam obligaverat: apud Anaſtaſium in vita S. Nicolai I., & in actis Concilii Conſtantinopolitani IV., ubi auctor eſt a Johanne Archiepiſcopo Ravennate fuiſſe una cum fidei ſacramento fidelitatis juramentum S. Nicolao I. nuncupatum: & Hadriani II. juxta formulam ab eo ſancitam Græcos Epiſcopos, ejurato Photio, obedientiæ ſe permiſiſſe juxta formulam præſcriptam: apud S. Gregorium VII. in Synodo VI. Romana, in qua Henricus Aquilejenſis Epiſcopus juramenti religione ſe Pontifici mancipavit, quæ ex parte legitur inſerta lib. 2. Decretal. tit. 24. *Ego* 4. de jurejurando: apud

Paſ-

Paſchalem II. in Synodo I. Romana, in qua præſcripta Epiſcopis eſt formula tum fidei, cum fidelitatis Pontifici deſpondendæ, quæ refertur cap. *Significaſti* in 6° de electione, & electi poteſtate: apud Alexandrum III. in Concilio Lateranenſi III., in quo ſtatuta pariter, ac præſcripta formula ab Epiſcopis ſubſcribenda, quam exhibet Albertus Stadenſis in chron. ad an. 1179. Confer Martenium de antiq. Eccleſ. ritibus tom. 2. lib. 1. part. 2. cap. 8., Sirmondum in append. tom. 2. collect. Concil. Galliæ; Labbeum tom. 10., & 12. Concil. edit. Venetæ; Pontificale Romanum juſſu Urbani VIII. editum tit. *De conſecrat. electi in Epiſcop.*; Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de reform. cap. 12.; Pium IV. conſtit. 39. in Bullar. Rom.; Gregorium XIII. conſtit. 33. in Bullario Romano, a quibus pleræque hujuſmodi profeſsiones fidei, ac formulæ juramenti Pontifici præſtandi exhibentur: quo de argumento copioſius alibi.

Huc ſpectant, quæ S. Cyprianus in epiſt. ad Lapſos, qui a Romano Pontifice ſegregati nomine Eccleſiæ ſe inſcribere, eodemque nomine communionis litteras ad ipſum S. Cyprianum ſcribere præſumpſerant, Lapſos temeritatis coarguens in hæc verba reſpondit: *Dominus noſter in Evangelio ſic loquitur, & dicit Petro:* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. *Quum hoc divina lege fundatum ſit, miror quoſdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere voluiſse, ut Eccleſiæ nomine litteras facerent.* Huc ſpectant, quæ S. Optatus lib. 2. ad oſtendendum Eccleſias Africæ, quæ pro Cæciliani ordinatione adverſus Donatiſtas decertabant, omnimode cum Eccleſia Catholica communione eſſe conjunctas, non alio argumento uſus eſt, quam quod a Romana Eccleſia communione erant cohoneſtatæ, a qua communicatorias litteras accipiebant: *Sedit prior Petrus*, ait, atque enumeratis Petri ſucceſſoribus uſque ad S. Siricum *Siricius*, ſubnectit, *hodie, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus Orbis commercio Formatarum in una ſocietatis communione concordat.* Propterea Montanus ab Apollinari Epiſcopo Jeropolitano de fide inquiſitus, ſe ſatis tutum exiſtimavit, ſi a Romano Pontifice communicatorias litteras impetraret; atque quidem dolo, & fraude impetravit, quas tamen quantocius a Praxea detecta fraude Pontifex revocavit, teſte Tertulliano lib. adverſ.

adverſ. Praxeam cap. 1.: quem quidem Pontificem Anicetum Baronius autumat, Eleutherum Valeſius, Victorem Pagius. Ruffinus pariter homo poſt natos homines vaferrimi ingenii, atque apprime ad fallendum compoſiti, Roma exceſſurus, ut in patriam regrederetur, litteras communicatorias prius a S. Siricio petiit, atque a Pontifice ejus verſutiam, erroreſque ignorante extorſit, quas deinde magnopere oſtentaret, & venditaret, præſertim poſt Siricii obitum ratus ſibi profuturas, ut judicium ab Anaſtaſio contra ſe inſtitutum aut effugeret, aut infirmaret, aut infringeret, ut ipſi S. Hieronymus apolog. 2. objecit. Huc ſpectant, quæ S. Hieronymus in epiſt. 11., nunc 91. ad Ageruchiam, vetuſtiſſimæ conſuetudinis ab Oriente, & Occidente graviora dubia ad Romanum Pontificem deferendi, indeque reſponſa, & placita dirigendi teſtis liquidus, ut qui S. Damaſo ab epiſtolis erat, ejuſmodique conſultationibus undequaque delatis reſponſa dandi officio defungebatur, his verbis ſcripſit: *Ante annos plurimos, quum in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ Urbis Epiſcopum*; (triennii ſpatio, quo S. Damaſus ſuperſtitit, id munus obivit) *& Orientis, atque Occidentis ſynodicis conſultationibus reſponderem*. Cujus conſuetudinis S. Doctori teſtes locupletes accedunt S. Cyrillus Alexandrinus in epiſt. ad S. Cæleſtinum; Synodus Sardicenſis epiſt. ſynodic. ad S. Julium; S. Innocentius I. epiſt. ad Concil. Carthagin. apud Labbeum tom. 3, & inter Auguſtinianas 91. vet. edit.; & epiſt. ad Concil Millevitanum inter Auguſtin. 92; S. Bonifacius I. epiſt. ad Epiſcop. Illyrici apud Holſtenium part. 1. collect. Rom.; S. Siricius epiſt. 1. ad Himerium cap. 1, aliique ſuis locis laudandi.

Ex hac omnimoda neceſſitate, qua omnes adſtringuntur, Pontifici Romano in ſacrorum conſortio ſe adjungendi, eique in rebus ad Religionem attinentibus conſenſum adhibendi, profecta pariter eſt, quæ longe, lateque in Eccleſia patet, poteſtas, ita ut poteſtatis iſtius particula, nec ab iſta præciſa, multo minus iſta potior, exiſtimanda ſit, quæ ab Eccleſia univerſa exercetur. Iccirco ex iis, quæ habet S. Cyprianus lib. de unit. Eccleſ. relatus can. *Loquitur* 24. q. 1. *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra una ſuper Petrum voce Do-*

mini fundata, Johannes a Turrecremata in reſponſ. adverſ. Baſileenſes recte olim argumentatus eſt non aliam ab auctoritate Romani Pontificis eſſe Eccleſiæ univerſæ auctoritatem, neque proinde Concilio poteſtatem ineſſe, quæ penes Pontificem integra, & plena non reſideat, a quo poſtea in Concilium promanet. Quorum quidem gemina ſunt, quæ perhibent S.Optatus lib. 7; S.Hieronymus lib. 1. adverſ. Jovinianum; S. Pacianus epiſt.3. ad Sympron.; & S. Auguſtinus ſerm. 295. edit. P.P. Benedict. Statuta enim ſemel in Eccleſia viſibilis Capitis unitate, conſequens eſt, ut in eo totius corporis ſumma conſiſtat, & in corpus totum ab eo diffuſum dicatur robur, quo vegetatur. Itaque inconfeſſo eſt quidquid poteſtatis eſt in Eccleſia, totum a Pontifice emanare; quidquid eſt in fide integrum, & firmum, totum in Pontifice inconcuſſum eſſe, & intemeratum. Iccirco cap. *Nolite errare* diſt. 11. ex S. Julio; & C. *Baſilicas* de conſecr. diſt. 1. ex S. Gelaſio; nec non a S. Auguſtino epiſt. 163. vet. edit. ad Glorium, & Eleuſium, dictum eſt, quod Dominus *In Apoſtolica Sede totius Eccleſiæ poſuit Principatum*, ut ab ipſo *tamquam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet*, ut loquitur S. Leo; cui S. Bonifacius I. concinens in epiſt. ad Epiſcop. Theſsaliæ; *Inſtitutio*, inquit, *univerſalis naſcentis Eccleſiæ de B. Petri ſumpſit honore principium, in quo regimen ejus, & ſumma conſiſtit: ex ejus enim eccleſiaſtica diſciplina per omnes Eccleſias, Religionis jam creſcente cultura, fonte manavit*. Iccirco cap. *Ita Dominus* diſtinct. 19. idem S. Leo, & in ſerm. 3. de ſua aſsumpt., *Nunquam*, ait, *niſi per ipſum* (Petrum) *dedit, quidquid aliis non negavit*: cap. *Omnes* diſtinct.22. ex S.Nicolao I. dicitur Ordinis Eccleſiaſtici dignitatem omnem a Romana Eccleſia inſtitutam eſse: & C. *Decreto* 11. q.7. ex S. Gregorio, ſive S. Leone habetur, quod S. Romana Eccleſia *Vices ſuas ita aliis impartitur Eccleſiis, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. Gemina habet Vigilius in epiſt. ad Profutur.; docetque S. Thomas in 2. ſententiarum circa finem. Iccirco cit. can. *Loquitur* 24. q.1. ex S. Cypriano Eccleſiæ particulares ad Eccleſiam Romanam comparantur, ſicuti radii ad ſolem, fluvii ad fontem, & rami ad radicem. S. Petrus Chryſologus non abſimiliter affirmat:

Quod

Quod ſtipiti rami, quod capiti membra, quod ſoli radii, quod fonti rivuli, hoc Apoſtolicæ Sedis reverentiæ debent omnes Eccleſiæ, quas ubique terrarum Religio Chriſtiana fundavit. Nec ſecus ac S. Iſidorus lib. 10. etymolog. ex eo exiſtimat ortum capitis nomen, quod *Senſus omnes, & nervi inde initium capiant, atque ex eo omnis vigendi cauſsa oriatur*: ita Pontifici capitis inditum nomen, ut intelligatur ab eo vim omnem eccleſiaſticæ juriſdictionis in Eccleſiam diffundi. Iccirco Leo X. conſtit., quæ incipit *Primitiva illa Eccleſia* Eccleſias omnes *tamquam membra capiti obſequentia, & tamquam rivulos ex fonte, Romana videlicet Eccleſia derivantes* nuncupat. Cap. *Regula* diſtinct. 17.; can. *Confidimus* 25. q. 1. ex S. Gelaſio; & cap. *Significaſti* de elect., & electi poteſtate ex Paſchali dicitur Concilia a Pontifice auctoritatem, & robur accipere.

Ad præclara hæc appoſite obſervant S. Bonaventura in 4. ſentent. apud Turrecrematam loco indicato, quod juxta rectum Eccleſiæ ordinem a Deo optime inſtitutum: *Suprema poteſtas, & plenitudo juriſdictionis ſtat in uno primo, & ſupremo, in quo ſolo ſicut in primo, & in ſimpliciſſimo in illo genere eſt ſtatus omnis prælationis eccleſiaſticæ*: & S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 76. ideo ſoli Petro datas Claves a Domino, *Ut oſtenderetur poteſtas Clavium per eum ad alios derivanda, ad conſervandam Eccleſiæ unitatem*. Unitatis conſervandæ gratia regiminis Monarchici ratio a Chriſto Domino in Eccleſia inſtituta, cujus ſpeciem idem ſæpius in Evangelio exhibuit mox Gregis, cujus unus eſt Paſtor; mox Domus, cujus unus eſt Paterfamilias; mox Regni, cujus unus eſt Princeps. Quæ quum ita ſint recte inde deducit S. Doctor 2. 2. q. 1. artic. ult., unum penes Pontificem ſtare Religionis chriſtianæ ſummam: ejus eſse fidei quæſtiones finire; Eccleſiæ vero univerſæ ab eo finitis firmiter quieſcere: & cetera cogitare, & præſtare, quæ ad chriſtianæ Reipublicæ bonum conferunt, & pertinent: *Una fides*, inquit, *debet eſſe totius Eccleſiæ ſecundum illud* 1. Corinth. 1. Id ipſum dicatis omnes ... *Quod ſervari non poſset, niſi quæſtio de fide mota determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, ut ſic ejus ſententia a tota Eccleſia firmiter teneatur*. Quo ſenſu ſimiliter cap. *Fidelior* diſt. 50. allegato,

gato S. Ambroſio dicitur, ideo a petra dictus Petrus, *Quia primus fidei fundamenta poſuit, & tamquam ſaxum immobile totius corporis Eccleſiæ compagem, molemque continet*. Cap. *Omnes* diſtinct. 22. Sedes Apoſtolica a Petro Apoſtolo dicta, *Mater fidei* appellatur, adeoque ut Gloſſa in can. *Quodcumque* 24. q. 1. affirmare non dubitaverit: *Credo, quod ſententiæ totius Eccleſiæ præferenda ſit ſententia Romanæ Eccleſiæ, ſi in aliquo ſibi contradicant*. Junge C. *Hæc eſt fides*: & C. *A recta*. Sed quænam Eccleſia Romanæ Eccleſiæ abſque piaculo contradicet? Siquidem C. *Pudenda* 24. q. 1. ex laudato S. Auguſtino habetur *Nullam eſſe Eccleſiam, niſi ea ſit in Apoſtolicæ Sedis radice conſtituta*: & C. *Non vos* 23. q. 5. habetur: *Quiſquis ab Apoſtolica diviſus eſt Sede, in ſchiſmate eum eſſe non dubium eſt*. A primo itaque ad poſtremum liquido, luculenterque adparet neceſſitas, quæ Eccleſiis omnibus cum Romana communicandi omnino, & conſentiendi jugiter incumbit; ejuſmodi vero communionis, & conſenſionis conſectaria eſſe Pontificis tum a fide indeficientiam, tum Concilio generali præſtantiorem poteſtatem.

Jam de ratione, qua demum iſtiuſmodi communio, & conſenſio conficitur, ſermo inſtituendus. Et quidem in veterem ejuſmodi rationem uſu frequentatam inquirere propoſitum meum eſt; dicere de nupera, quæ poſtea invaluit, ad alios, quibus otium ſuppetat, tractatores dimittens. Itaque ejuſmodi unitatis cum Capite Romano Pontifice conſervandæ Eccleſiæ univerſæ ex gemino potiſſimum capite, ut innuimus, neceſſitas incumbebat ex unitate fidei, & ex unitate Sacramentorum. Ergo uniuſque ejuſmodi unitatis cum Capite confovendæ gratia inductus olim eſt, & invaluit uſus Fermenti, & Formatarum; Fermenti in argumentum unitatis in re ſacramentaria, Formatarum in argumentum unitatis in re dogmatica; quo utroque modo Eccleſiæ Romanæ communione Epiſcopos, ceteraſque Eccleſias cohoneſtare Pontificibus in more poſitum erat; de quibus nunc differere præſtat. A Fermento, in cujus inveſtigatione doctos difficile convenire intelligo, exordium capiamus. Fermentum itaque ex præſcripto Romanorum Pontificum in ſymbolum, ſignumque communionis fidei, & charitatis, quibus quaſi uno vinculo Eccleſiæ Ro-

Romanæ veluti cunctarum Matri, & Magiſtræ Eccleſias ceteras eſſe conglutinatas, & conjunctas ſignificatum iret, ad Primates, & Epiſcopos, ab iiſdem vero ad Presbyteros, Eccleſiaſque mitti conſueviſſe, conſtat ex decretis S. Melchiadis, qui uti legitur apud auctorem libri Pontificalis, *Fecit, ut oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum*: S. Siricii, qui pariter, ut habet Pontificalis liber, conſtituit, *Ut nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur Fermentum*: S. Innocentii I, qui in decretali ad Decentium Eugubinum Epiſcopum reſpondit in hæc verba: *De Fermento, quod die Dominica per Titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, quum omnes Eccleſiæ noſtræ intra Civitatem ſint conſtitutæ, quarum Presbyteri, qui die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcirco Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione maxime illa die non judicent ſeparatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia nec longe portanda ſunt Sacramenta, nec nos per Cœmeteria diverſa conſtitutis Presbyteris deſtinamus, ſed Presbyteri eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam*. Ex S. Irenæo apud Euſebium lib. 5. cap. 24. perhibente Epiſcopis, & Presbyteris Romam venientibus Euchariſtiam mitti a Pontificibus in ſignum communionis conſueviſſe: ex S. Juſtino in apologia affirmante diebus Solis, ſcilicet Dominicis ad abſentes, qui adſtare in Eccleſia ſacra conficienti Sacerdoti non potuiſſent, deferri ſacramenta per Diaconos poſitum in more fuiſſe: & ex antiquo Kalendario Romano edito a Johanne Frontonio, in quo habetur Fermentum Sabbato ante Dominicam Palmarum diſtribui conſueviſſe in Conſiſtorio Lateranenſi, ac tranſmitti ad Epiſcopos ſuburbicarios; idque ideo, ut ſaltem recurrente Paſchate ſuam cum Romano Pontifice communionem profiterentur, de uno, eodemque myſterio participantes.

Jam inquirere juvat, quid Fermenti ſive nomine, ſive ſignificatione veniret. Veniſſe nomine fermenti Eulogias exiſtimant Baronius, Spondanus, Anſelmus Havelburgenſis, Cardinalis Cuſanus, Theophilus Raynaldus, Franciſcus Macedo, Antonius Dan-

Dandinus, Severinus Binius, Johannes Cabaſſutius, Altaſerra, Labbeus, aliique. Et certe Eulogias in mutuæ amicitiæ, ſocietatiſque ſignum dari, & accipi olim frequens fuiſſe liquet ex epiſtolis 31, 34, 35, 36 S. Auguſtini; & S. Paulini epiſt. 1. in fine. Tranſmitti pariter ad abſentes, ac præberi Cathecumenis in Eccleſia liquet ex Conciliis Laodiceno can. 15; non item hæreticis can. 32; & Carthaginenſi III. can. 5. Veniſſe vero Euchariſtiam econtra cenſent Antonius Auguſtinus, Latinus Latinius, Chriſtianus Lupus, Emanuel Scheleſtratius, Jacobus Sirmondus, Cardinalis Bona, Johannes Mabillonius, Johannes Ciampinus, Claudius Eſpencœus, Franciſcus Pagius, Bencinus in notis ad Anaſtaſium, Lambertinus, ſive BENEDICTUS XIV. notific. 115. in Dominic. Palm., & 326. de Sacrif. Miſsæ; Berti de Theolog. diſcipl. lib. 33. cap. 4, & alii affirmantes Fermenti nomine juxta veterem Arcani diſciplinam, qua olim res Chriſtianorum ſacræ ſub variis adſcititiis nominibus Ethnicis, Judæis, & Cathecumenis obtegebantur; (quam diſciplinam in Eccleſia Occidentali integram obtinuiſse uſque ad VI. ſæculum; in Eccleſia vero Orientali vel ad finem uſque V. ſæculi, ut putat Scheleſtratius in diſsert. *De diſciplina arcani*, vel uſque ad ſæculum VII, ut contendit Tentzelius part.2. exercit. ſelectar. ſect.6; quam diſciplinam uſu frequentatam in Eccleſia liquido poſt laudatum Scheleſtratium Pagius oſtendit ex Origene lib. 1. contra Celſum, & homil. 13. in Exod.; Clemente Alexandrino lib. 5. Stromat.; S. Cyrillo Hieroſolym. Cathe. 6; S. Chryſoſtomo homil. 27. in Matth., & homil. 40. in 1. ad Corinth.; S. Auguſtino tract. 96. in Johannem; S. Innocentio I. in epiſtola eadem ad Decentium, & ante ipſum ex S. Julio apud S. Athanaſium in apolog. 2, qui eo nomine Euſebianis ſuccenſuit, quod de Euchariſtia coram Ethnicis, Judæis, & Cathecumenis ſermonem inſtituere non fuiſsent veriti;) Fermenti, inquam, nomine equidem deſignatam Euchariſtiam, non quaſi ex fermento confici ſoleret, ut perperam nonnemo exinde ſubintulit, ſed quia Eccleſiis, ad quas mittebatur, fermenti vicem gereret, eiſque unionis interſe vinculum eſset, ſicuti fermentum maſsæ, cui injicitur. Quo de argumento fuſius Deo auſpice agemus in diſsert. ad rem ſacramen-

mentariam diſsert.: *De uſu panis fermentati in Eccleſia Græca*, *& Azymi in Eccleſia Latina*.

Ex adverſo Fermenti nomine fuiſſe uſurpatam ſacræ hoſtiæ particulam, quam in calicem mittit ſacerdos, quum profert ea verba *Pax Domini* &c. putant V. Cardinalis Thomaſſius tom. 3. cap. 8; Vertius in explic. Rubric. Miſſæ; & Le Brun in explicat. litt. hiſtor. dogmat. p. 5. Miſſæ art. 5, opinatus antiquitus ultra particulam, quae etiam nunc fracta hoſtia mittitur in calicem, aliam praeterea immitti conſueviſſe, quae vel a Pontifice in diebus Paſchatis, Pentecoſtes, & Natalis Domini conſecrata ad Stationes, quae ſtatis diebus fiebant, deferebatur; ac deinde calici in Miſſa commiſcebatur: vel ab ipſo Pontifice, aut ab Epiſcopis miſſa fuiſſet, e quarum proinde numero putat fuiſſe Fermentum illud, de quo in præmemoratis decretis SS. Melchiadis, Siricii, & Innocentii: vel quæ in die ſuæ Ordinationis a Pontifice, vel ab Epiſcopo accepta per dies 40. a Sacerdote celebraturo mittenda fuerat in calicem, cujuſmodi ritum in Ecclefia Senonenſi viguiſſe oſtendit ex Fulberto Carnotenſi in epiſt. 2. ad Finardum. P. Honoratus a S. Maria *Animadv. in artem, & uſum critices* diſſert. 4. art. 3. alteram inivit viam rei plane obſcuriſſime dilucidandæ, an vero felicior aliis fuerit, ego dijudicare nolim: ſcilicet Fermento a præfatis Pontificibus memorato, non Euchariſtiam equidem, ſed materiam Euchariſtiæ indicatam vult: itaque conjicit ex decreto Johannis III, a quo ſancitum legitur; *Ut oblationes, & ampullæ, vel amulæ, vel luminaria in eiſdem Cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis miniſtrarentur*. Quam ſanctionem poſtea S. Gregorius III. inſtauraſſe, & confirmaſſe perhibetur, ut videlicet e Laterano ſacerdotibus ſubminiſtrarentur, quæ ad ſacra myſteria peragenda neceſſaria forent, nempe panis, vinum, & luminaria. Quæ omnia fuſe in præmemorata diſſertatione proſecuti ſumus. Ut ut ſit de Fermenti nomine, indubium tamen eſt illud uſurpatum fuiſſe ad ſignificandum commune fidei, charitatis, unitatiſque vinculum, quo fideles omnes Pontifici Romano veluti capiti conglutinari debebant, ac veluti in centro tanquam membra coaleſcere; quo Fermento proinde qui fieret particeps, de communione Romanæ Eccle-

cleſiæ poſſet adblandiri: quandoquidem in hujuſce conjunctionis ſignificationem fuiſſet uſurpatum, frequentaretur, ac uſu veniſſet accepto, ut videtur, exemplo ab Evangelica parabola, qua Matth. 13. Regnum Coelorum, (Eccleſia eſt) fermento comparatur.

Ultra Fermentum, Fermentoque affines uſu venerant Formatæ, quæ eò ſimiliter collineabant, ut qui iis communitus foret, ejuſdem communionis eccleſiaſticæ una cum Pontifice Romano particeps fieret. Formatæ dicebantur a forma ſigilli, & a conſuetis notis, quibus quia carebant Cleri Romani epiſtolæ, a S. Cypriano, ut liquet epiſt. 4. edit. Pamelii, Romam fuerunt remiſſæ. Earum mentio fit in Concilio Millevit. II. can. 20., Hiſpalenſi II. cap. 7., a Vigilio Papa epiſt. ad Aurelium Arelatenſem. Formatarum igitur nomine litteræ veniebant uſitatiſſimæ, quas Pontifex ſpeciatim conſcribebat ſive Epiſcopis, ſive Eccleſiis, earumque commercio totus Chriſtianus Orbis in una communionis ſocietate cum eo concordabat. *Communicatoriæ* nuncupatæ ſunt etiam a S. Auguſtino epiſt. 163. ad Glorium, & Eleuſ.; a Concilio Eliberitano can. 58; & Arelatenſi I. can. 7., vel 6. edit. Sirmondi. *Canonicæ* ab Attico Conſtantinopolitano tom. 2. Concil. ad calcem Synodi Chalcedon. *Pacificæ* a Theophilo Alexandrino in epiſt. 1, & 3. Paſchali; & a Concilio Chalcedon. act. 1. Generatim Formatæ litteræ ampliori ſenſu acceptæ in varias diſtribuebantur claſſes ad diſtinctionem privatarum, quæ teſte S. Auguſtino in epiſt. 162. ab Epiſcopis conſcribi ſolebant ad Hæreticos, vel Schiſmaticos, vel Paganos, quibus nullas apponere licebat publicæ communicationis eccleſiaſticæ notas, puta ſalutis, pacis, benedictionis &c., quæ communicatoriis aliis Catholicorum præfigi conſueverant. Erant itaque eccleſiaſticæ, & quidem publicæ, earumque non una, eademque ſpecies: nam aliæ *Clericæ* nuncupatæ ſunt ab illis ſumto nomine, qui eas dirigebant; & a ratione, qua dirigebantur, de quibus S. Cyprianus epiſt. 4. *Rationales* aliæ, quia ad Eccleſiæ diſciplinam, & regimen ordinarentur, quomodo appellatæ ſunt a S. Dionyſio Alexandrino apud Euſebium lib. 7. cap. 10. *Denuntiativæ*, quia denuntiabant errores, vel hæreticos a cunctis fugiendos. *Declarativæ*, qui-

bnibus adverſus hæreſes rectæ fidei dogmata declarabantur. *Indicativæ*, quibus Martyres, & Confeſſores de re chriſtiana optime meriti renuntiabantur. *Tractoriæ*, quod per tractum chriſtiani Orbis pervagarentur, appellatæ ſunt ad ſimilitudinem nominis earum, quæ ab Imperatoribus dabantur Miſſis ſuis, aut evocatis ab ſe pro viatico publicis ſumtibus ſubminiſtrando; adſcriptis etiam ſtativis, ideſt diverſoriis, aut manſionibus, de quibus eſt titulus in Codice cum Theodoſiano lib. 8, tum Juſtinianæo lib. 12; quaſque Epiſcopis ad Concilia invitatis dare ſpeciatim Imperatores chriſtiani ſolebant. Ad earum exemplar litteræ *Tractoriæ* nuncupatæ ſunt illæ quoque, quibus Epiſcopi ſuffraganei a ſuis Metropolitis ad Synodos evocabantur, ut auctor eſt S. Auguſtinus epiſt. 217. ad Victor; & lib. contra Donatiſtas poſt collat. 24; quarumque meminit Concilium Carthaginenſe V can. 10; exemplaque profert Marculphus lib. 11. formular. *Tractoriæ* etiam dictæ ſunt epiſtolæ apud eumdem S. Auguſtinum in epiſt. 163. ad Glorium, & enarrat. 2. in pſal. 36, quibus Epiſcopi geſtorum ab ſe in cauſſis ad Religionem ſpectantibus alios reddebant certiores: quo nomine celeberrima audit epiſtola S. Zoſimi de damnatione Pelagii, & Cæleſtii, de qua paulo ſupra dictum eſt. De Tractoriis egregie ſcripſere Briſſonius de verbor. ſignific. Verbo *Tractoriæ*; & Cujacius ad lib. 12. Codic. Juſtin. tit. 51. *de Tractoriis*.

Tractoriis re, & nomine affines erant *Tractatoriæ*, ita appellatæ, quod præcedenti tractatu vel circa errorem, vel circa perſonam errore infamem conſcriberentur, quas commemorat S. Auguſtinus epiſt. 167, & ſerm. 2. in pſal. 36. Accedebant *Enthroniſticæ*, quæ ab Epiſcopis in exordio, ſive introitu Epiſcopatus ad ſe ſe mutuo mittebantur, de quibus agunt Liberatus in Brev. cap. 19, & Evagrius lib. 4. hiſt. eccleſ. cap. 4. *Salutatoriæ*, quibus concordia fovebatur, quarum in actis purgationis Felicis Aptungitani apud Baluzium tom. 2. Miſcellan. pag. 83. occurrit mentio. Aliæ *Communicatoriæ*, aut *Pacificæ* nominabantur: eæque ab Epiſcopo recens ordinato ad Collegas conſcribi ſolebant, ut tradit in Nomocan. Photiano Theodorus Balſamon. Concedebantur etiam ab Epiſcopis pauperibus, qui peregre ibant

in ipſorum fidei teſtimonium, ut a fidelibus, per quos tranſirent, hoſpitio, & viatico procurarentur: quarum ſub nomine *Conteſſerationis, & hoſpitalitatis* meminit Tertullianus lib. de præſcript. cap. 20, uſumque inductum ex iis, quæ ad Cajum in epiſt. 3. ſcripſit S. Johannes, conjicere eſt. Aliae *Commendatitiæ*, quæ ad diſcrimen illarum, quæ Laicis pauperibus, & proletariis concedebantur, ſolis Clericis, aut iis dumtaxat dabantur, qui in Eccleſia honoratiores eſſent, ut lautius, & liberalius ab Eccleſiis exciperentur; uti colligere eſt ex can. 11. Concilii Chalcedonenſis. Commendatitias olim concedi ſolitas ſolummodo laborantibus ſuſpicione contendunt Zonaras, Balſamon, Matthæus Blaſtarus, ac Gentianus etiam Hervetus, quos tamen refellit Doctiſſimus Cabaſſutius, legendus, ſi libet, in notitia Eccleſ. ſæculi II diſsert. 7. de litteris Formatis. Aliæ *Dimiſſoriæ*, quibus a proprio Diæceſano Epiſcopo acceptis, tum demum Clerico licebat extra Diæceſim peregrinari, ab alieno Epiſcopo ad Ordines promoveri, ac inter Clericos alterius Eccleſiæ cooptari. Eas etiam Epiſcopi a Primate accipiebant, antequam ad Comitatum proficiſcerentur: idque totum juxta Can. 15. Apoſtolorum; Can. 16. Nicæni Concilii, ut tradit Balſamon in Nomocanone Photiano; Can. 9. Sardicenſis Synodi; & Can. 28. Concilii Carthaginenſis III. ſub S. Siricio. Geminæ erant *Diaconicæ*, quæ Diaconis in teſtimonium dabantur, ſive etiam Curſoribus, quarum meminit Euſebius lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 46. Aliæ *Memoriales*, ſeu *Commonitoriæ* dicebantur, quibus Legati, ſive Reſponſales Eccleſiaſtici quid agere deberent, quomodoque ſe gerere in officio ſibi injuncto ſingillatim commonebantur, quarum mentio fit in Concilio Africano can. 98, a S. Cyrillo epiſt. 1, & a Sidonio Apollinari lib. 8. Aliæ *Encyclicæ*, ſive *Circulares*, ſive etiam *Catholicæ*, quæ ad univerſos Chriſtifideles nuncupabantur; de quibus adeundus Occumenius comment. in epiſt. S. Jacobi; ſed & de iis agit doctiſſimus Bencinus in diſſert. de litteris Encyclicis. Aliæ *Synodicæ*, quæ a Synodis ad certos Epiſcopos, aut certas Eccleſias inſcribebantur, ſive de fidei decretis, ſive de rebus diſciplinæ admonendas, de quibus paulo poſt. Erant & litteræ *Confeſſorum*, quæ lapſis pro indulgentia delictorum dabantur, de qui-

quibus alibi; & litteræ *Captivorum*, quorum pro redemptione dari conſueverant, de quibus loquitur Concilium Lugdunenſe II. can. 8.

Præ aliis, quæ Pontificibus Romanis propriæ erant, ac peculiares, audiunt *Paſchales*, quibus indicebatur quota ejus anni Dominica celebrandum foret proximum Paſcha; quarum mentio fit a Concilio Arelatenſi I. can. 1; & a S. Leone epiſt. 64. ad Marcianum Auguſtum. *Decretales*, quibus Pontifices quid faciendum, fugiendumque eſſet, decernebant; vel ad diverſorum conſultationes reſpondentes reſponſa pro decretis haberi jubebant. *Apoſtolicæ* nomine derivato a loco, nam re diverſæ non erant a Decretalibus. *Canonicæ*, ſive *Formatæ*, ſive *Communicatoriæ*, quas primo loco commemoravimus. His mediis toto Orbe terrarum Fideles in unitate fidei, in officiis charitatis, & in ſacrorum conſortio, ſocietateque communionis bonorum omnium conjungebantur: quo communionis argumento a Communicatoriis hiſce depromto, validiſſimo veluti ariete Hæreticorum ſectas protrivere, & ad terram proſtravere S. Irenæus, S. Cyprianus, Tertullianus, S. Optatus lib. 2. adverſ. Parmen., ubi Romanorum Pontificum a S. Petro ad Siricium recenſita ſerie ſubdit: *Cum quo nobis totus Orbis commercio Formatarum in una communionis ſocietate concordat*: S. Auguſtinus epiſt. 163. ad Glorium, & Eleuſium, in qua Fortunium Donatiſtam ſibi de catholici nomine adblandientem erroris exinde apertiſſime arguit, quod a Donatiſtis Formatæ ubique per Orbem donari nequirent: *Quærebam*, inquit, *ab eo utrum communicatorias epiſtolas, quas Formatas dicimus, poſset, quo vellem dare? Et affirmabam, quod manifeſtum erat omnibus hoc modo facillime illam terminari quæſtionem poſse*: idem iterum lib. 2. adverſ. Petilian. cap. 51. Catholicos a Donatiſtis diſcriminat ex ſocietate cum Cathedra Petri, *Qua nos*, inquit, *in Catholica communione connectimur*. Cujus quidem communionis teſſera erant epiſtolæ ab Apoſtolica Sede acceptæ: Et S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum, in qua refert ſceleſtiſſimum iſtum æmulatum ſocietatem iſtam religioſiſſimam propoſuiſſe transferre inter Paganos Formatarum pariter laudabilem conſuetudinem. Sum-

mopere ſollicitos ſategiſſe,ut a Romano Pontifice Formatas litteras impetrarent, Montanum, & Ruffinum ex Tertulliano, & S. Hieronymo paulo ſuperius commemoratum eſt. Vetuſtiſſimam itaque, uſitatiſſimam, & Eccleſiæ coævam fuiſſe Formatarum conſuetudinem conſtat ex auctore libri Pontificalis, a quo ſub Sixti I. nomine decretum laudatur, nec non a Luitprando apud Blanchinium in notis ad Anaſtaſium in Sixto I. ſect. 8. *Ut quicumque Epiſcopus evocatus fuerit ad Sedem Romanam Apoſtolicam rediens ad Parochiam ſuam non ſuſcipiatur, niſi cum Formatis ſalutationis ad Plebem a Sede Apoſtolica*. Ex S. Gregorio Magno lib. 7. epiſt. 29. ad Eulogium Alexandr., qua ab eo ad ſe communionis epiſtolam tranſmiſſam teſtatur, eumque vice reddita ab ſe epiſtolæ ope communione ſua cohoneſtatum. Ex Attico Conſtantinopolitano, qui ut legitur in antiqua Creſconiana editione, & ad calcem Concilii Chalcedonenſis,ad Aurelium Carthaginenſem, atque Epiſcopos Africanos ſub eo congregatos in Concilio VI. Carthaginenſi, una cum exemplari 20. Canonum Concilii Nicæni ab iiſdem expetito, Formatarum apographum, quaſi Nicæni Concilii additamentum, tranſmiſit: ex Concilio Carthaginenſi anno 407, in quo inter alia ſancitum legitur, ut quicumque ad Comitatum adire vellent, Formatam acciperent ad Romanum Pontificem, atque ab hoc aliam ad Imperatorem: idque ideo ne hæreticos ſub nominis Catholici velo, quod ſub id temporis Donatiſtis non erat inſolens, latere contingeret: ex Concilio Millevit. II. anno 416,in quo can. 20. Clericus prohibetur, ne ad Comitatum pergat, antequam ab Epiſcopo Formatam acceperit: ex SS. Optato lib. 2. adverſ. Parmen., Auguſtino epiſt. 163. ad Glor., & Eleuſium; & Gregorio Nazianzeno orat. 1. in Julianum.

Sequiori ævo ad præcavendam falſitatis fraudem in iiſdem formatis faciendis, quæ jam Hæreticis, & Paganis frequens, & familiaris facta fuerat, certis elementis, & numeris conſcribi cœperunt, quibus formarae legitimæ dignoſcerentur, atque a ſpuriis, & apocryphis diſcernerentur. Oportebat igitur in epiſtolis litteras has ex earum ſupputatione exprimi: primas litteras græcas Patris, Filii, & Spiritus Sancti, quæ videlicet ſunt

ητα, quibus numeri reſpondent xxc. cccc. I. In ſupputationem aſſumi etiam debebat S. Petri Apoſtoli prima littera π, quæ adjuncta numerum xxc. reddebat, & Apoſtolorum Principem deſignabat: adjici debebat ejus quoque, qui ſcribebat, prima littera; cui ſcribebatur ſecunda, accipientis tertia, loci de quo ſcribebatur quarta, & indictionis decurrentis numerus. Anathema ponebatur in calce epiſtolæ, & Monogramma, in fine quoque Sigla, ſive litteræ apponebantur B. T. E., quibus redditur: *Bene valete*. Conſueverant etiam in extremo margine privilegii quoſdam inſignire orbiculos antiſtitis nomen, & pauca quædam verba continentes. Adiſis Duchangium in Lexico mediæ Latinit.; Mabillonium de re Diplom. lib. 5., Harduinum tom. 5. Concil., Cotelerium in adnotat. ad can. 12. Apoſtol. tom. 2. De notis, quæ formatis apponi ſolebant, agunt præ aliis Dodvvellus diſsert. 2. Cyprianica, & Emanuel GondiſalvusTelezius in notis ad can. 58. Concilii Eliberitani. Earumdem exemplaria ad Græcarum, ſive etiam Latinarum litterarum numerum, & valorem exacta legere eſt apud Atticum loco laudato; apud Reginonem lib. 1. de Eccleſiaſticis diſciplinis capp. 437, 438, & 439; apud Burchardum, lib. 2. cap. 227; apud Ivonem lib. 6. capp. 433, & 434; apud Sidonium Apollinarem lib. 7. epiſt. 2; & apud Gratianum diſt. 73. can. 1. De Formatis adeundi inter alios Papias in Vocabulario emendato a Carolo Labbeo, Bencinus diſſert. de litter. encyclicis; & qui de de iis accurate diſſeruit Franciſcus Bernardus Ferrarius doctor collegii Ambroſiani Mediolanenſis.

Attexenda his aliqua de ſynodicis. Synodicæ dictæ a Synodis dabantur indiſcriminatim ad generis cujuslibet homines, Eccleſiaſticos, Laicos, Epiſcopos, Clericos, Principes, Plebes. Speciatim tamen Synodis illud erat ſartum, & tectum ſynodicis agendi facultatem a Pontifice efflagitare; agendorum regulas a Pontifice expectare, & accipere: geſtorum rationem Pontifici reddere; ut geſta confirmaret, Pontificem enixe rogare: geſtaque medio Pontifice ceteris per Orbem Eccleſiis nota facere. Pontificum vero partes e converſo erant commiter vicem rependere; in communionis ſocietatem recipere; ſenſum aperire; agenda præfinire, acta perpendere; eaque pro auctoritate vel firmare,

re, vel infringere: verbo: ſignificare, ut quæ erat Romanæ Eccleſiæ, eamdem univerſalis Eccleſiæ fidem eſſe omnino oportere. Exploratiſſimum id eſt ex teſtimoniis paulo ſuperius deſcriptis SS. Hieronymi, Cyrilli, Julii I, Innocentii I, Bonifacii I, Siricii; maxime vero ex ſynodicis, quas tamen velle omnes narratione complecti, nec pronum, nec operæ pretium eſt. Comperta ſunt, quæ ex Conciliis generalibus celebravimus; quibus nihil antiquius, nihil optatius accedebat, quam quod Romani Pontificis, abſque quo nihil firmum, fixumque, enixis propterea precibus efflagitati, ab ſe ſtatutis auctoritas accederet. Quid Concilia particularia commemorem, quid innumera Pontificum reſcripta producam, quum id nec facile fieri poſſit, nec ut fiat expedit, aut opportet? Confer, ut verbo indicem, ſi otium ſuppetat, ſynodicas Conciliorum, Lugdunenſis ſub S. Irenæo ad Victorem apud Euſebium lib. 5. cap. 3, & 4; Hieroſolymitani ſub Narciſo ad eumdem S. Victorem apud ſynodicum; Cæſareenſis in Palæſtina ſub Theophilo ad eumdem apud Bedam lib. de Æquinoctio vern.; Antiocheni ſub Fabio adverſus Novatum ad S. Fabianum apud Euſebium lib. 6. cap. 46; Lambeſitani in Africa ſub Donato ad eumdem S. Fabianum apud S. Cyprianum epiſt. 55. edit. Pamelii; Alexandrini ſub Demetrio adverſus Origenem ad eumdem Pontificem, ut conjicere eſt ex Ruffino lib. 2. adverſ. S. Hieronymum; Carthaginenſis I, & II. ſub S. Cypriano ad S. Cornelium, & S. Stephanum apud eumdem Cyprianum epiſt. 42, 45. ad Cornel.; & 68. ad S. Stephanum; Antiocheni adverſus Paulum Samoſatenum ad S. Dionyſium apud Euſebium lib. 7. cap. 30, & S. Hieronymum de ſcriptor. Eccleſ. in Malchione; Arelatenſis adverſus Donatiſtas ad S. Silveſtrum apud Harduinum tom. 1; Alexandrini ſub S. Alexandro adverſus Arium ad S. Silveſtrum, ut conjicit Clariſſ. Orſius, apud Philoſtorgium lib. 1. hiſt. tit. 7; Sardicenſis ad S. Julium apud Harduinum tom. 1; Epiſcoporum, qui Arimini ſubſcripſerant, mox ſubſcriptionem revocantium ad S. Liberium teſte Liberio apud S. Hilarium frag. 2; Lampſaceni ad S. Liberium apud Sozomenum lib. 6. cap. 7; S. Liberii ad Orient. apud Sozomenum lib. 6. cap. 21, & S. Siricium in epiſt. ad Himerium; Cleri Italici ad Epiſcopos Illyrici; Romani ſub

S. Damaſo ad Epiſcopos Orient.apud Theodoretum lib.5.cap.10; S. Damaſi epiſt. ad Illyric., & epiſt. ad Orient. apud Holſtenium; Gallicani ad S. Damaſum teſte ipſo S. Damaſo cit. epiſt. ad Illyric.; Conſtantinopolitani ad S. Damaſum apud Theodoretum lib. 5. cap. 9; Mediolanenſis ſub S. Ambroſio adverſus Jovinianum ad S. Siricium inter opera S. Ambroſii; S. Siricii ad Italos, ad Hiſpanos, ad Africanos; Alexandrini ſub Theophilo adverſus Origeniſtas ad S. Anaſtaſium apud S. Hieronymum epiſt. 78. ad Pamachium; S. Anaſtaſii adverſ. Origen. ad Theophilum Alexandrin., Venerium Mediolan., & Chromatium Aquilej.; Millevitani adverſus Pelagium ad S. Innocentium I; Hieroſolymitani adverſus eumdem Hæreticum ſub Johanne Epiſcopo apud Oroſium apolog. cap. 2, & ſeqq., cujus acta inficias ivit Janſenius, ſed vindicarunt Garnerius diſſert. 2. ad Marium Mercat., & P. P. Maurini præfat. ad tom. 10. oper. S. Auguſtini; Africani ad S. Bonifacium I. apud Harduinum tom. 1; Alexandrini ſub S. Cyrillo adverſus Neſtorium ad S. Cæleſtinum; S. Cæleſtini ad Epiſcopos Orient.; Conſtantinopolitani ſub S. Flaviano adverſus Eutychem ad S. Leonem; S. Leonis M. ad Epiſcopos Galliar. adverſus Eutychem; & ad Hiſpanos adverſus Priſcillianiſtas; Romani ſub S. Felice III. adverſus Acacium epiſt. ad Cleric., & Monachos Orient.; Illyriciani ad S. Symmachum apud Theophanem ad annum 508; S. Hormiſdæ epiſt. ad Orientales; Conſtantinopolitani ſive ſub Epiphanio, ſive ſub Euphemio ad eumdem S. Hormiſdam apud Auctorem ſynodici; Arauſicani II. ſub S. Cæſario Arelatenſi ad S. Felicem IV; Carthaginenſis ſub Reparato ad Johannem II; Epiſcoporum Orientalium adverſus Acephalos ad S. Agapetum; Mopſveſteni adverſus Theodorum ad Vigilium; Pelagii I. ad Childebertum, cui acta Synodi V. mittit; Hieroſolymitani ſub Sophronio adverſus Monothelitas ad Honorium apud Auctorem ſynodici, & in actis Later. ſub S. Martino I. ſecret. 2; Africani trium Provinciarum ſub Columbo, Stephano, & Reparato; & Carthaginenſis ſub Victore ad Theodorum; Lateranenſis ſub S. Martino I. encyclica ad omnes Fideles, & ejuſdem S. Martini ad Epiſcopos qua Orientis, & qua Occidentis, quibus decreta adverſus Monothelitas mittit; S. Leonis II. ad Re-

gem

gem Ervigium, & Epiſcopos Hiſpan. pro receptione VI. Synodi; Johannis Conſtantinopolitani ad Conſtantinum Pontificem apud Harduinum tom. 3; Liptinenſi ſub S. Bonifacio ad S. Zachariam; Hadriani I. ad Carolum Magnum pro receptione VII. Synodi apud Harduinum tom. 4, & ad Epiſcopos Hiſpan. adverſus Elipandum; Nicephori Conſtantinopolitani ad S. Leonem III; Pariſienſis ad Eugenium II; Conſtantinopolitani ſub Photio ad S. Nicolaum I; Galliæ Epiſcoporum ad eumdem; Sveſſionenſis, & Tricaſſini ad eumdem Pontificem apud Harduinum tom. 5; Styliani Neocæſareenſis, aliorumque Orientalium ad Stephanum V, aliis VI; Stephani ejuſdem ad Epiſcopos univerſos de damnatione Photii; Duziacenſis in cauſſa Hincmari Laudunenſis ad Hadrianum II; Epiſcoporum Germaniæ ad Johannem VIII, non vero IX, ut cenſuit Labbeus, de Slavis ad fidem converſis; Attonis Moguntini, & Suffraganeorum: item Theotmari Juvavenſis, & Suffraganeorum ad Johannem IX. apud Harduinum loc. indicato; Viennenſis in cauſſa inveſtiturarum ad Paſchalem II; Senonenſis adverſus Abaelardum ad Innocentium II; Nazareni ſub Amalrico Patriarcha Hieroſolymitano ad Alexandrum III, quem legitimum profitetur; Epiſcoporum Provinciæ Cantuarienſis ad Alexandrum III. apud Harduinum tom. 6. part. 2; Vavrenſis ad Innocentium III; S. Germani Conſtantinopolitani ad Gregorium IX. pro unione Græcorum apud Harduinum tom. 7; Conſtantinopolitani ſub Vecco Patriarcha ad Johannem XXI. apud Harduin. loc. indicato. Mitto cetera, ne in immenſum excreſcat oratio, nam recitata amodo ſat ſuperque ſunt, ut prudenti cuilibet perſpecta ſit ſacratiſſima, qua Synodi erga Apoſtolicam Sedem ſententia afficiebantur; in quam ſententiam profecto Eccleſias pariter, quarum vices agebant, conſpiraſſe conſequens eſt; ac conſequens etiam, quod a Synodis, ſive Eccleſiis in iis conſidentibus qua in Oriente, & qua in Occidente talia, ac tanta de Romano Pontifice prædicarentur, quorum præclariora, ac præcipua oratione jam noſtra perſequi, ac perſtringere aggredimur.

Ex

Ex Conciliis Particularibus Eccleſiæ Orientalis.

§. I.

QUandoquidem Articulo ſuperiori ex Generalibus, qua Græcæ, & qua Latinæ Eccleſiæ Conciliis, & Articulo ſequenti ex perenni SS. Patrum Eccleſiæ Græcæ pariter, & Latinæ traditione nihil antiquius ab utraque Eccleſia habitum eſſe, quam Apoſtolicæ Sedis Primatum, ceteraſque prærogativas eidem adnexas maximopere pendere, magnoque habere in pretio, ſatis, ſuperque oſtenſum, ſive oſtendendum ſit, nolim quidquam mihi faceſſiri negotii, quaſi operam perdam, ſi impræſentiarum ex Conciliis particularibus Eccleſiæ utriuſque qualis, quantaque fuerit de Romani Pontificis prærogativis ſententia, explorandum aggrediar, atque ex ſingularium, ſingularumque Eccleſiarum conſenſione, Eccleſiæ utriuſque, ideoque univerſalis conſenſum exculpere: pro tam grandi enim, tamque gravi cauſſa quidquam omittere, quo magis, magiſque fulciatur, & firmetur, nec licet, nec libet. Quamquam, quum in rem iſtam omnia percurrere, & perſequi res operæ plena eſſet, nec operæ ſit pretium, ſatis ſatiuſque erit, ſi pleriſque dimiſſis, præcipua delibemus, atque ita non ſecus, ac in domibus uſu venit, ut quædam ad ſuſtentaculum, quædam etiam ad ornatum inſerviant; adſcito cum robore, tum etiam decore tam ratam, fixamque, quam venuſtam, ſpectatamque faciamus. Ergo ab Eccleſia Orientali capiamus exordium: atque equidem ſuprema in Eccleſiam univerſam poteſtate, una cum infallibilitatis in fide prærogativa Romanum Pontificem pollere agnovit dubio procul 1. Eccleſia Conſtantinopolitana. Ejuſdem Epiſcopi Conſtantinopoli in Synodo congregati an. 382. epiſtola Synodica ad S. Damaſum Pontificem Maximum dimiſſa apud illum excuſant, cur ad ſuum Concilium Romam vocati non irent, tum temporis anguſtias cauſſati, tum ne tempore abſentiæ Eccleſiæ ſuæ in diſcrimen adducerentur. *Jam vero*, inquiunt, *quoniam Vos, quo fraternam veſtram erga nos charitatem declaretis, Concilium Dei voluntate, ac nutu Romæ coacto, Nos ve-*

lut membra propria ... accerſiviſtis... eſt certe nobis in optatis, ſi poſſet fieri, Eccleſiis penitus relictis, veſtro deſiderio, aut neceſſario potius Eccleſiæ negotio inſervire. Quis enim nobis det alas velut Columbæ, ut ad vos advolemus, vobiſcumque acquieſcamus? Deinde ſubnexis cauſſis, quibus itineri illi ſe committere prohiberentur, ſubdunt: *Quo rectius negotium perficeretur, & veſtræ charitati ſtudium noſtrum probaretur, fecimus ut fratres, & collegas noſtros Epiſcopos Cyriacum, Euſebium, & Priſcianum exoraremus, ut proficiſcendi ad vos laborem libenter ſubire vellent.* Præterea fidei ſuæ rationem poſtquam Pontifici reddidiſſent, præclareque ab ſe geſtorum ſummam miſiſſent, ea omnia ab ipſo firmari poſtulantes ſubtexunt: *Quibus rebus tanquam legitime, & canonice perfectis veſtram quoque pietatem congratulari obſecramus.* Iſta conſtant ex Theodoreto lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 9.

In Concilio ſub S. Flaviano anno 449 adverſus Eutychem eadem congregata, hæretico homine diris cunctis devoto ſententiæ confirmationem a S. Leone M. litteris miſſis rogavit his verbis, quibus nihil illuſtrius ad patefaciendam, quam animo de Pontificis ſive ſuprema poteſtate, ſive in fide infallibilitate præclaram ſententiam præferebat: enarratis enim Eutychetis erroribus, & adnexis adverſus eumdem actis ſubdit: *Commotus itaque Sanctiſſime Pater in his omnibus, quæ ab eo præſumta ſunt... pro conſueta fiducia fiducialiter age, ſecundum quod Sacerdotio competit: propriamque faciens communem cauſſam, ſanctarum Eccleſiarum diſcliplinam, ſimul decernere damnationem adverſus eum regulariter factam, & per propria ſcripta dignare.... Cauſſa enim eget ſolummodo veſtro ſolatio, atque defenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ propter eum factæ ſunt, facillime deſtruentur, Deo cooperante per veſtras ſacratiſſimas litteras. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique ſanctiſſimæ turbentur Eccleſiæ.* Extat inter epiſtolas S. Leonis ante ſeptimam veter. edit., & apud Harduinum tom. 2. collect. Conciliorum pag. 3. Eadem Eccleſia in Synodo Conſtantinopolitana anno 497. in epiſtola Synodica ad S. Symmachum Pontificem Maximum, rogans etiam, atque

etiam ſibi Romanæ Eccleſiæ reſtitui Communionem, qua ob Acacii quondam Epiſcopi Conſtantinopolitani, de cujus ſchiſmate agendi alius erit locus, culpam, mulctata fuerat, poſtquam ſe omni animi obſequio S. Leonis epiſtolam ad Flavianum amplexatam fuiſse profeſsa eſt, atque imo ob profeſſionem fidei traditæ a S. Leone in laudata epiſtola, ſe ab Eutychianis oppugnari, ac perſecutionem, vexamque pati retuliſset, *Noli*, ſubdit, *facere judicium per illum, qui cunctam judicat terram: ne perdas juſtum cum impio, nec æqualiter judicentur a te orthodoxi, & heretici, vel qui anathematizant prædictam ſanctam epiſtolam ...... & ii, qui orant quotidie mori pro recta fide, quæ a vobis prædicatur.*

Quid quod in Concilio Conſtantinop.an.520. Clerus ejuſdem Eccleſiæ exarata epiſtola ſynodica ad S. Hormiſdam rogans enixe ratam haberi ordinationem Epiphanii in Epiſcopum recens electi, hæc habet obſequii, obedientiæque refertiſſima? *Eccleſiaſticam legem* (en legem Patriarchis nuper inauguratis impoſitam) *implentes, Apoſtolatui veſtro ſalutationis debitum perſolventes officium ſperamus, ut amplius charitatis vinculum, & paternum affectum circa nos charitas veſtra cuſtodire dignetur, & ſapienti gubernatione ...., quæ ad rationabilis traditi vobis ovilis ſalutem pertinent, peragatis.* Quid praeterea, quod Eccleſia eadem in Synodo anno 536. Conſtantinopoli ſub Patriarcha Menna, quem S. Agapetus Papa Anthimo deturbato eidem Eccleſiæ ſuffecerat, præſentibus quoque ejuſdem Pontificis Legatis celebrata, non modo anathemati lato in Anthimum, Severum, Petrum Apamenſem, & Zoaram Eutychianos Acephalos ſubſcripſit, ſed & litteras, ſupplicesque libellos, quos Agapeto contra Acephalos obtulerant Orientales Epiſcopi, & Monachi, lectos, actionibuſque inſertos voluit? Ea vero erat illarum litterarum epigraphe: *Domino noſtro Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Archiepiſcopo antiquæ Romæ, & œcumenico Patriarchæ Agapeto*: in iis autem iſtis verbis S. Agapetum alloquuntur: *In tempore opportuno veſtrum adventum nobis Deus oſtendit, quod ſicut Petrum Magnum Apoſtolorum Principem his, qui Romæ erant in depoſitionem Simonis miſit; ſic & vos miſit in depoſitione, & expulſione Severi, Petri, & Zoaræ.* Mennas etiam act. 4. Synodi Conſtantinopolitanæ, *Nos*, inquit,

Apoſtolicam Sedem ſequimur, & obedimus, & ipſius communicatores communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa & nos condemnamus.

Quid plura? In Synodo an. 1276. habita ſub Vecco, qui poſt Concilium Lugd. II. Joſepho Patriarchæ unionis infenſiſſimo hoſti, & icċirco exauctorato, Eccleſiæ Conſtantinop. ſubrogatus fuerat, fidei formulam jampridem Græcis unionem exoptantibus præſcripta a Romanis Pontificibus, præſertim Urbano IV, Clemente IV, & Gregorio X, ambabus ulnis amplexata, quæ in præfata formula Romani Pontifices ſibi adſcripſerant, privilegia libens, volenſque attribuit, profitens quam ſincere, tam reverenter ſe agnoſcere *Romanæ Eccleſiæ ſummum, & perfectum Primatum, & Principatum ſuper univerſam Catholicam Eccleſiam, quem in ſeipſa ab ipſo Domino in Beato Petro Apoſtolorum Principe, ſeu Vertice, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum plenitudine poteſtatis recepit.* Præterea quod quemadmodum præ aliis tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debent judicio definiri. Poſtremo quod ea, quæ ceteræ Eccleſiæ, & Patriarchales ſpecialiter diverſis temporibus privilegia obtinuerunt, ſanctionibus Imperatorum, & divinorum Conciliorum, eadem Eccleſia Romana confirmavit, & roboravit; & non aliter obtinuerunt confirmationem Eccleſiarum hujuſmodi prærogativæ, niſi eadem Eccleſia Romana ſuum ſuper iis judicium, & ſententiam protuliſset: ſua tamen prærogativa tam in generalibus Conciliis, quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalva. Porro hanc fidei profeſſionem in ſynodica epiſtola expreſsam eadem Synodus ad Johannem XXI. miſit, quam exhibent Leo Allatius, Raynaldus, & Labbeus tom. 11. Concil. Quæ utique eam in aprico ponunt, quæ antiquitus Eccleſiæ Conſtantinopolitanae quam recta, tam ſacrata de Apoſtolica Sede animo inſederet ſententia; & quatenus tam vere, quam religioſe ſentiret illius ſupremæ poteſtati ſibi fore parendum, neque ſibi ab illius fide abſque piaculo, erroriſque periculo fas eſset deflectere.

Agnovit 2. Eccleſia Alexandrina, ſuæque confeſſionis præclara hæc præ aliis ſpecimina præbuit. A nonnullis equidem laudari ſolet ejus Synodica ad Felicem Papam, qua de Apoſtolica Sede

Sede ait: *Ipſa eſt ſacer Vertex, in quo omnes Eccleſiæ vertuntur, ſuſtentantur, relevantur*. Nolim vero epiſtolæ dubiæ admodum fidei confidere. Ergo Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos Epiſcopi ad 100. ferme numero Alexandriæ anno 339. in Concilio collecti, defendendi S. Athanaſii ab Arianis damnati cauſsa, epiſtola ſynodica ad S. Julium I, quam exhibet idem S. Athanaſius apologia 2. conſcripta, ſic fantur circa finem: *In publico conventu de conſilio omnium has litteras ad Vos dedimus, quibus oramus veſtram in Chriſto prudentiam, ut recipiatis hanc de Athanaſio conteſtationem, & commercium, communionemque ejus admittite, & zelum, indignationemque contra Euſebianos, qui iſtiuſmodi tentant, induite, ne diutius iſtiuſmodi pravitas, & malitia contra Eccleſiam invaleſcat: Vos certe vindices hujus injuſtitiæ imploramus, citantes illud Apoſtolicum verbum*: Auferre mala ex vobis: *Mala enim revera ſunt, & indigna communione, quæ ab illis deſignantur. Ne igitur illis aures præbueritis, ſi denuò ad vos contra Athanaſium ſcribant*. Scripſiſsent ne iſta, amabo te, ſi non credidiſſent potuiſse Romanum Pontificem hinc Arianos compeſcere, illinc Athanaſium ſuæ reddere ſedi, ideoque huic, & illis, ſibique, & omnibus ubique ſuperſtare Apoſtolicam Sedem, cujus indeclinabile eſset judicium, ac ſuprema in omnes ſententia?

Eadem Eccleſia ſub Sancto Athanaſio anno 362. in Concilio congregata, ac praeſente, Praeſide, viceſque Liberii gerente S. Euſebio Vercellenſi, Arianos ad Eccleſiae unitatem regreſſos cum priſtinis gradibus recipiendos decrevit quidem ſtudio colligendi in Dominici gregis caulam diſperſas oves, ſed decretum, ut ratum juberet, rogatus eſt litteris Liberius, qui libenter aſſenſum dedit, auctoritatiſque ſuae robur adjecit. Ei morem gerere detrectans Lucifer Calaritanus maluit conflato ſchiſmate ab Eccleſia divelli. Id conſtat ex Socrate lib. 3. cap. 9. Inde eruitur Canonum relaxationem juris eſſe unius Pontificis, a cujus obedientia deſciſcere nihil eſt aliud, niſi ab Eccleſiae unitate diſcedere. Concilium anno 430. Alexandriae congregavit S. Cyrillus, neque aliam ob rem, niſi ut ſententiam in Neſtorium a S. Cæleſtino latam publico in cœtu legendam proponeret, eamdemque executioni mandaret. Inde ſynodica ad Neſtorium miſſa, pri-

mo a Pontifice intortam in ipſum ſententiam denuntiat, cuique ut faceret ſatis, enixe deprecatur, alioquin intelligeret ſe ab illo anathemate damnatum, ab ſe vero Eccleſiaſticam communionem denegandam. Ita Summi, ut oportebat, Romani Pontificis judicium in Patriarchas ipſos pendebatur. Ad haec Clerus Alexandrinus libello Legatis S. Anaſtaſii II. tradito infimis precibus rogans in communionem recipi, præmemorato quod Eccleſiæ Romanæ in fide, & ritibus Alexandrina Eccleſia adhærere religioni jugiter duxiſſet, utpote quae pariter a S. Petro fuerat inſtituta; & prænarratis cauſſis, cur Romana dein Eccleſia a ſua communione Alexandrinam ſuſpendiſſet, ſubjungit: *Volentes ejus ſatisfacere voluntati nos eam fidem tenere, quam Princeps Apoſtolorum Petrus, ejuſque diſcipulus Marcus crediderunt*: & expoſita fide ſubtexunt, Legatos alloquentes: *Veſtra igitur Reverentia ſuſcipiens fidem noſtram ... obteſtamur ... ut hanc chartulam offeratis Apoſtolicæ Sedis Antiſtiti Anaſtaſio ... ut ejus ſanctitas relegens, quæ ſibi fuerint placita ... manifeſtare dignetur. Nam quum a ſanctitate ejus fidei rectæ fuerit ſervata confeſſio ..... Nos paratos exiſtere profitemur ad Urbem Romam Legatos, qui pro unitate ſanctarum Dei Eccleſiarum agere debeant, deſtinare*. Ideo igitur ad Sedis Apoſtolicæ communionem, adeoque ardenter Clerus Alexandrinus adſpirabat, antiquiuſque nihil affectabat, quam de rectis dogmatibus ab eadem edoceri, quod apprime noſset apud Sedem Apoſtolicam rei Chriſtianæ ſummam integram ſtare; factam eidem a Chriſto D. facultatem de rebus ad Religionem attinentibus docendi, & decernendi; atque ex factis eidem a Chriſto D. pollicitationibus fieri nunquam poſſe, ut a fide ab Apoſtolorum Principe accepta vel ipſa tranſiliret, vel averſa traderet.

Agnovit 3. Eccleſia Antiochena, quæ anno 270, vel 272. in Concilio Antiochiæ coacta ex Epiſcopis 70. juxta S. Athanaſium in libro de Synodis, aut 182. juxta Baſilium Monachum in libello ſupplici ad Imperatores contra Neſtorium oblato, anathemate damnato cum ſua hæreſi Paulo Samoſateno, Epiſcopatuque dejecto epiſtolam ſynodicam dedit ad S. Dionyſium Romanum Pontificem, qua rerum ab ſe geſtarum adverſus hæreticum hominem

nem certiorem faciebat, eique in Antiochena Sede Domnum ab ſe ſuffectum, cui ut communicatorias litteras dirigeret, deprecabatur. Quia vero Paulus Epiſcopio abſcedere, locoque migrare detrectabat, interpellatus ab Epiſcopis Aurelianus, ethnicus licet, illi, Paulo ſcilicet, aut Domno domum tradi juſſit, cui Romanus Pontifex concedendam judicaſſet. Itaque Pauli, & Domni cauſſa ad Dionyſium Papam dimiſsa, Pontifex Concilii Antiocheni ſententiam ſua auctoritate confirmavit, qua accepta, juſsuque Aureliani executioni mandata, Paulus e gradu jam dejectus, e domo quoque expulſus eſt. Iſta conſtant ex Euſebio lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 30, & Theodoreto lib. 2. hæret. fabul. cap. 8. Ex iſtis itaque neceſse eſt fateri, exploratiſſimum fuiſse tum in Oriente rerum Chriſtianæ Reipublicæ ſummam penes unum Romanum Pontificem ſtare, ita ut orthodoxos dicam non modo, aut hæreticos, ſed nec Ethnicos ipſos id lateret.

Ad hæc quum S. Damaſus anno 378. habita Synodo Apollinaris hæreſi damnata, trium in Divinis Perſonarum diſtinctionem, atque unam, eamdemque divinam in tribus ſubſtantiam adſtruxiſset, ſynodica deinde cum formula fidei directa ad Orientales Epiſcopos, ut eidem ſubſcriberent edixiſset; ii collecto anno 379. Antiochiæ Concilio, cujus meminit S. Gregorius Niſsenus in epiſt. ad Olympium Monachum, ſeu in vita S. Macrinæ ſororis, ex 145. Epiſcopis, inter quos eminebant S. Meletius Antiochenus, S. Gregorius Niſsenus, S. Euſebius Samoſatenus, S. Pelagius Laodicenus, S. Eulogius Edeſsenus, ultro citroque ſyngrapham adjecerunt ſuam non modo, ſubſcriptamque ab ſe fidei formulam Romam remiſere, ſed Tomo, cujus mentio occurrit in epiſtola Concilii Conſtantinopolitani anno 382, & apud Theodoretum lib. 5. cap. 9, adornato fidei ſuæ expoſitionem formulario a Pontifice præſcripto apprime conformem emiſerunt, ad eumdem Pontificem referendum. Id conſtat ex epiſt. decret. S. Damaſi tom. 1. epiſt. Decretalium; & ex libello ſynodico tom. 2. Concilior. Labbei. In Concilio Mopſveſtæ a Provinciæ Antiocheno Patriarchæ ſubjectæ Epiſcopis anno 450. celebrato adverſus Theodorum olim ejuſdem Urbis Epiſcopum, cujuſque nomine ex ſacris diptychis abraſo S. Cyrilli nomen adjectum

ctum eſt, in epiſt. ſynodica ad Vigilium Papam, quæ collat. 5. Synodi V. inſerta legitur; Vigilii primas eſse partes agnovit de cauſsa trium Capitulorum dignoſcere, & dijudicare, & Concilio ea de re congregato Primatus jure præſidere; *Decebat*, inquiens; *quum primam inter Sacerdotes dignitatem ſortiti eſtis, ea, quæ ad ſanctarum Eccleſiarum ſtatum reſpiciunt, manifeſtæ veſtræ Beatitudini fieri. Hoc bene & Chriſtianiſſimus noſter Imperator* (Juſtinianus) *conſiderans ad veſtram ſcientiam quædam, quæ de Theodoro quondam Mopſveſtenæ Eccleſiæ Epiſcopo mota ſunt, juſſit referri*. Quibus ſatis ſignificabatur nihil firmum, nihil fixum eſse in Eccleſia, donec Romani Antiſtitis acceſſiſset auctoritas; ſuoque nomine valere, omneſque obſtringere is tandem voluiſset.

Agnovit 4. Eccleſia Hieroſolymitana. Ejus erga Apoſtolicam Sedem fidei præclarum ſupereſt monumentum ex apologia Pauli Oroſii capp. 3, & 4, ubi auctor eſt, quod in Concilio Hieroſolymitano anno 415. ſub Johanne Patriarcha nonnihil in partes Pelagii propenſo, poſt longam cum Pelagio diſceptationem, in qua quidem idem Oroſius Catholicæ fidei officium viriliter obierat, a Johanne, ceteriſque Epiſcopis tandem ultro citroque in eam itum ſententiam, *Ut ad B. Innocentium Papam Romanum Fratres, & epiſtolæ mitterentur, univerſi, quod ille decerneret, ſequuturi*. Nempe nemini dubitare ſuccurrebat Romanum Pontificem a fide non poſſe deficere, eique de fide definienti adquieſcere omnes debere. Suppetit præterea aliud præcellens ex Synodo Palæſtina argumentum, ex qua Legatis, & Synodicis litteris ad S. Martinum I. Papam miſſis, quas in Auctuario bibl. PP. refert Combefiſius, Sophronius ejus Patriarcha, & Stephanus Dorenſis Epiſcopus ab eo Legatus ſuppetias a Pontifice adverſus Monothelitas poſtulaturus, Apoſtolicæ Sedis cum ſupremam poteſtatem, tum in fide firmitatem eximiis laudibus celebrarunt, & extullerunt; quas, quia agentes de Concilio Later. ſub Martino I. retulimus, non eſt cur denuo repetamus. Recole ibidem relata. Eadem Eccleſia tandem anno 1160., quo acerrimum apud Latinos graſſabatur ſchiſma, ab Amalrico Patriarcha in Concilio Nazareno collecta Alexandrum III. legitimi Pontificis loco amplexata eſt, habuitque his devotionis plenis ver-

verbis: *Vos in Dominum temporalem, & Patrem ſpiritualem elegimus unanimiter, & voluntarie recepimus.* Nempe nihil habebat antiquius, quam Apoſtolicæ Sedi individue adhærere, unde in Eccleſiam univerſam jura dimanare intelligebat, rectaque dogmata derivare.

Accedit Eccleſiæ in Illyrico conſtitutæ conſenſus, quæ in Concilio anno 367. collecta, in fide S. Romanæ Eccleſiæ ſibi quieſcendum rata adverſus vocum novitates, de quibus, ac præſertim de vocibus *Uſiæ*, *Omouſion*, *Hypoſtaſis*, tum ingenti animorum æſtu agitabantur controverſiæ, ita in epiſtola Synodica ad Aſianam Diœceſim apud Theodoretum lib.4.hiſt. Eccleſ.cap.7. ſcribit: *Nos autem non aliter ſentimus, atque duo Concilia, quorum alterum jam Romæ, alterum habetur in Gallia, nimirum unam, eamdemque eſſentiam eſſe Patris, Filii, & Spiritus Sancti in tribus perſonis, hoc eſt in tribus perfectis hypoſtaſibus.* Sane Illyricos haud latebat Antiochiæ a Paulini parte unam dumtaxat hypoſtaſim in Divinis dici, unamque dicendam dumtaxat a Patribus Synodi Sardicenſis dectetum, teſte Theororeto lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap.6. Ut ut eſſet, tamen Romanæ Eccleſiæ audientes acceptas tres hypoſtaſes, in eamdem pedibus, manibuſque ſententiam abjerunt, perſuaſum habentes periculi nihil prorſus ſubeſſe, quum præuntis Romani Pontificis releguntur veſtigia: quinimo, ut in fidem Romanæ Eccleſiæ ceteri pariter Orientales concederent, Elpidium Apoſtolicæ Sedis apocriſarium ad eoſdem remiſerunt, cunctos in eadem fide confirmaturum. *Neceſſarium habuimus ad vos deſtinare Dominum noſtrum, & comminiſtrum Elpidium a regio Principatu Romanorum has litteras deferentem, ut ſi forte talis eſt prædicatio veſtra, cognoſcat.* Nec demum prætermittendum, quod quum anno 508. ex Illyrico, & Græcia in unum 40' Epiſcopi ad Concilium conveniſſent, poſtquam Theſſalonicenſis Epiſcopi, ideo quod cum Timotheo Conſtantinopolitano ob Imperatoris metum communicaret, communione diſcedendum decreviſſent, fidei profeſſionem ſcripto adornatam Romam miſerunt in Romani Pontificis communione ſe permanere omnino velle profitentes. Narrat id ex Theophane ad cit. annum Anaſtaſius.

Ad hæc Epiſcopi Armenæ Eccleſiæ anno circiter 358., ut eſt apud S. Baſilium epiſt. 79. ad Occident., & apud Sozomenum lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 24., in Concilio Melitinenſi convenientes e gradu dejecerant Euſtahium Sebaſtenum, Silvanum Tarſenſem, & Theophilum Caſtaballenſem Semiariana labe aſperſos homines. At illi a Synodo Lampſacena anno 365. ex Epiſcopis provinciæ Helleſponti, & Bythiniæ congregata Legati ad Liberium miſſi cum mandatis, ne cum Liberio de fide diſceptarent, imo ut Romanæ Eccleſiæ fidem potius profiterentur, quum ea lege a Liberio recepti, ſuis ſedibus reſtituti, litteriſque communionis receptis, ad ſua regreſſi, eaſdem litteras in Concilio Tyanenſi anno 366. retuliſſent, nemine audente eis quidquam faceſſere negotii, quamvis gravi fidei ſuſpicione laborarent, ſuos gradus repetiverunt. Ita refert S. Baſilius epiſt. 73., 74., & 82. Quinimo Tyanenſis Concilii Patres perlectis litteris Liberii, quas Legati illi ex Lampſacena Synodo ad eos miſſi attulerant, ad Eccleſias omnes Orientis litteris datis adhortati ſunt, ut doctrinæ a Liberio illis in litteris traditæ adhærerent, Legatiſque illis ſe communionis ſocios adjungerent. Ita refert Sozomenus lib. 6. cap. 12.

Adnectere his juvat, quæ ab Epiſcopis in Concilio ingenti numero collectis ex Euphrateſia, utraque Cilicia, ſecunda Cappadocia, Bythinia, Theſſalia, & Mæſia ad S. Sixtum III. ſcripſere, S. Cyrilli equidem anathematiſmos explodentes, imo Johanni Antiocheno, quod S. Cyrillo tandem ſe reconciliaſſet, ſuccenſentes, vel errantes tamen in errorem prolabi Romanum Pontificem non poſſe, eique a Patriarchis omnino parendum agnoſcentes, his verbis, quibus ſuo, omniumque nomine epiſtolam exrarunt Eutherius Tyanenſis, & Helladius Tarſenſis. *Olim ſiquidem ſæpius jam ex Alexandria hujuſmodi hæreticis Zizaniis inſurgentibus ſuffecit veſtra Apoſtolica Sedes per univerſum tempus illud ad mendacium convincendum, impietatemque reprimendam, & corrigenda, quæ neceſſarium fuit, muniendumque Orbem terrarum .... Cujus rei gratia, & nos præſumimus has ſupplicationes offerre, ut adjuvetis Orbem terrarum.* Epiri veteris Epiſcopi in Concilio coadunati in ſynodica ad S. Hormiſdam non abſimile devotionis

tionis ſpecimen dedere : poſtquam enim Johannis in Nicopolitanum Epiſcopum electionem Pontifici probari rogaſſent, rogant etiam, atque etiam in fide Catholica ab eo inſtrui, quem a fide deflectere nequire noſcebant. *Nobis*, inquiunt, *aut illi* (Johanni) *Dei gratia efficiamini arma inexpugnabilia commonitionibus veſtris, atque doctrinis, & deprecantibus nobis inclinetis aurem, & pietatem concordiæ repe riatis juxta inſpiratam vobis divinitus Apoſtolicam providentiam.* Johanni vero reſcribens Pontifex eam, quam Orientalibus ceteris propoſuerat, fidei formulam ſubſcribendam præſcripſit, de qua parte 2. agemus.

Quid quod Græci ex pleriſque Orientis provinciis ingenti numero collecti anno 1274. ad B. Gregorim X. exaratis litteris ſub hac forma profeſſi ſunt : *Omne ſchiſma prorſus abjuro, & ſubſcriptam fidei veritatem .... prout tenet, & fideliter docet, & prædicat S. R. Eccleſia, inviolabiliter ſervaturum .... promitto*? Cetera habes in formula apud Wadingum ad annum citatum, de qua dictum ubi de Concilio Lugdunenſi II. Quid plura? Cyprii Epiſcopi, inter quos non nulli ex Maronitis, Armenis, Neſtorianis, & Jacobitis ad melioremfrugem regreſſi, ingenti multitudine in Nicoſienſi Concilio ſub Helia Metropolita anno 1340. congregati, in fidei confeſſione communi ſuffragio confirmata, Pontificis Romani prærogativis nihil non ex animi intimo affectu detulerunt? *Decrevimus*, inquiunt, *fidei profeſſionem explicite declarare, quam ſacroſancta Romana Eccleſia firmiter tenet, docet, & prædicat, ut ipſo veræ lucis lumine mediante queant* (Cyprii) *veritatis ſemitam imitari, & varios errores expellere*. Et infra. *Tenere debet, & publice confiteri, quicumque vult reputari Catholicus, quod ipſa ſacroſancta Romana Eccleſia eſt Mater omnium fidelium, Magiſtra, & ſuper univerſam Catholicam Eccleſiam plenum Principatum obtinet, & Primatum, quem memorata Eccleſia ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor cum plenitudine poteſtatis, recepiſſe humiliter, & veraciter recognoſcit*. Explicant deinde Primatus appendices juxta formulam olim a Pontificicibus Urbano IV., Clemente IV., & Gregorio X. præſcriptam, de qua fuſius par. 2. Plura non congeram, ex paucis

tamen iſtis liquido adparet ab Eccleſia Orientali ante ſchiſmata Apoſtolicæ Sedis Primatum nedum, ſed Primatui adnexas prærogativas jugiter agnitas pariter, & aſſertas. Quid autem poſtea de ejuſdem Sedis prærogativis Græcis ſchiſmaticis diſplicuerit, evocatumque ab illis in dubium fuerit, ſequentis Articuli §.I. te abunde docebit.

Ex Conciliis Particularibus Eccleſiæ Occidentalis.

§. II.

In Eccleſia Occidentali antiqua adeo, atque ab hoſtium, hæreticorum, exlegumque hominum injuriis, inſidiis, inſultibusque ſarta, & tecta ſervata hactenus integra manet traditio, quam propterea fatis nunquam ceſſuram firmiter credimus, quæ Romanum Pontificem a fide deflectere non poſſe, & ſupra generalia Concilia eumdem eſſe potem docet, ac tenet, ut ſupervacaneum videri poſset de ea diſputare: niſi quod ſunt, qui nihilominus diſputant, contra quos propterea quam fruſtra, & quam falſo diſputent, eſt demonſtrandum. Ex dictis de Conciliis generalibus Eccleſiæ Latinæ, ex dicendis de traditione SS.Patrum ejuſdem Latinæ Eccleſiæ id ſatis,ſuperque aut demonſtratum, aut adhuc demonſtrabitur: præſtat tamen, ut impræſentiarum pauca, quoad fieri poterit, ex Conciliis particularibus, iiſque celebrioribus, majorique in pretio habitis in Eccleſia noſtra celebratis, attingamus, ex quibus efficiamus affatim, & dilucide demonſtremus omnes Occidentis Eccleſias in hanc jugiter coaluiſse, & ſibi invicem cohæſiſſe, doctrinam, ut nulla hacce in eadem Eccleſia certior, ſacratior, & conſtantior doctrina habita videatur. Itaque initium ducentes, ut decet, a Romana Eccleſia, ita ſemper eam tenuiſſe, docuiſſe, & tradidiſſe equidem parte 2. Vindiciar. pleniſſime fiet palam, exploratum tamen modo fit ex Conciliis in ea celebratis, quæ omnia perſequi, quum nec facile, neque ſit neceſſe, ex aliquibus dumtaxat inſtituetur demonſtratio. Principio ideſt præcipuam eorum perſtringemus ſeriem, quæ a Romanis Pontificibus in Synodis peracta ſunt, perſpi-

ſpicuum facientes quemadmodum frequens illis,antiquumque fuerit, qua de rebus ad religionem attinentibus peremptorie decernere, præfinire regulas diſciplinæ, leges morum præſcribere, & fidei definitiones decretorie procudere. Qua hæreſibus dicam impingere; hæreticis infligere imfamiam; ad parendum Chriſtifideles omnes præceptis adigere, & inobedientes pro qualitate culparum pœnis afficere. Quum opus eſſet in Epiſcopos ubique auctoritatem diſtringere, & exerere, vadimonium conſtituere, & dicere; jura, gradusque imminuere, adimere, reſtituere, & adaugere. Quum oportebat, Eccleſiæ univerſæ jus dicere, cauſſas omnes Eccleſiaſticas cognoſcere, & decernere; controverſias ubilibet exortas componere, & dirimere; ſexcentaque horum ſimilia præſtare; ex quibus plane conficiemus,primo quidem adverſus Pontificem nihil uſpiam ab ullo rite auſum, vel attentatum: poſtea vero eum proculdubio ſuprema poteſtate etiam ſupra generale Concilium præditum eſſe, atque in fide falli, aut fallere omnino neſcium.

Igitur in Synodo Romana anno 170., ut legitur in libello Synodico veteri apud Fabricium tom. 11. Bibl. Græcæ; & Harduinum ad calcem tom. 5. collect. Concil., ex Epiſcopis 10. conflata, cuique S. Polycarpus interfuiſse perhibetur, adverſus illos Aſianos, qui Judaico more Paſcha Luna 14. celebrabant, aliiſque ritibus, Judaiciſque typis peragebant, S. Anicetus decrevit Paſcha die Dominica poſt Lunam 14. decurrente eſse peragendum.Equidem a quibuſdam S.Pio I. Aniceti deceſsori,ejuſque Synodo decretum de Paſchate celebrando die Dominica adſcribitur, legiturque C.21. de conſecr.diſt.3. *Noſſe vos*, & in Chronico Euſebii. Verum decretalem Pii pſeudo-epigrapham eſse jam eruditi omnes conveniunt: Euſebii quoque Chronicon eo loci interpolatum admonet Arnaldus Pontacus in notis; ideoque a Scaligero in nova editione ejuſdem Chronici expunctum eſt. Verius itaque idem de Paſchate decretum, ut legitur in prælaudato Synodico, poſtea in Synodo anno 198. habita ex Epiſcopis 14, cuique adfuit Theophilus Cæſareenſis in Palæſtina Epiſcopus, inſtauravit Sanctus Victor, qui & in Aſianos a ſuo more non abſtinentes excommunicationis telum intorſiſſe fertur: ejuſ-

dem vero deinde juſſu Theophilus Cæſareæ in Palæſtina, Sanctus Irenæus Lugduni in Gallia, & Epiſcopi Provinciarum Ponti, Meſopotamiæ, & Osroenæ in Aſia, & Corynthi in Græcia, eadem de cauſſa Synodis coactis, juxta traditionem Romanæ Eccleſiæ, juſſionemque Apoſtolicæ Sedis, Paſcha die Dominica poſt 14 Lunam, & poſt vernale Æquinoctium celebrandum decreviſſe leguntur; de quibus confer Euſebium lib. 5. cap. 23, V. Bedam de æquinoctio vernali, & Fabricium loc. cit. Adeundi pariter, qui egregie de hoc argumento egere Doctiſs. Scheleſtratius antiq. illuſt. par. 2. diſsert. 1., & Bencinus in not. ad Anaſtaſium in Sancto Victore. Contra hujuſmodi decretum fecere poſtmodum Novatiani, congregato anno 391. Angari Concilio ſtatuentes Paſcha vel Luna ipſa 14, vel Dominica proxime ſequenti, prout libuerit, celebrari poſſe; ſed pari pœna damnati ſunt a S. Siricio. Adeundus Socrates lib. 5. hiſt. eccleſiaſt. cap. 21. In Synodo anno 198., (quam Auctor Synodici perperam S. Theleſphoro adſcripſit,) Theodotum, Ebionem, & Artemonem hæreſis nomine idem Sanctus Victor damnavit, atque ab Eccleſia ejecit: quam in rem legendus Euſebius lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 28. In Synodo anno 256. cujus meminere Sanctus Cyprianus epiſt. 74. ad Pomp., & Euſebius lib. 7. cap. 3, ſub S. Stephano celebrata contra Aſianos, & Africanos defenſores anabaptiſmi, non eſſe rebaptizandos hæreticos eſt definitum, qua de controverſia fuſe alibi agendum. In Synodo anno 260. S. Dionyſius Papa alterum Dionyſium Alexandrinum Sabellianæ hæreſis apud ſe accuſatum, in jus vocavit, qua de re legendi S. Athanaſius epiſt. de ſent. Dion., & de Synod.; nec non Sanctus Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. ult. Synodus anno 313. ſub S. Melchiade adſiſtentibus Materno Agripinenſi, Rheticio Auguſtodunenſi, & Marino Arelatenſi a Conſtantino Imperatore directis, atque aliis 15 Epiſcopis Italis ſententia lata abſolvit Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem, & anathemate damnavit Donatiſtas. Ea de re auctor ſum tibi, ut adeas S. Optatum Millevit. lib. 1. adverſus Parmen., & S. Auguſtinum epiſt. 162.; atque de ſchiſmate Donatiſtarum alius erit agendi locus.

Vir

Vir doctiſſimus P. Remigius Ceillierius tom. 3. hiſt. general. auctor. ſacror., & eccleſiaſt. cap. 27. art. 1. de Conciliis Apoſt. præfato libello ſynodido trium priorum ſæculorum Concilia referenti fidem omnem abjudicandam autumat, iis ductus momentis: quod libelli Auctor 9. ſæculo, non antea vixerit; cui proinde comperta, quæ priſcis Eccleſiæ ævis factitata ſunt, eſſe non potuerint: quod unus Synodum Romæ ſub S. Aniceto Papa habitam adverſus Quartadecimanos referat, cui S. Polycarpus interfuerit, quum hujuſmodi ne vola quidem apud S. Irenæum, qui alioqui de Romana S. Polycarpi profectione diſſeruit apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 24, extet: quod Concilii Lugdunenſis ex 12 Epiſcopis ſub S. Irenæo adverſus antiquos hæreticos Valentinum, Secundum, Baſilidem, alioſque habiti meminerit, alteriuſque item Lugduni ab eodem S. Irenæo adverſus Quartadecimanos ex 13 Epiſcopis coacti; quum ſub ea tempeſtate difficile ſit creditu tot in Eccleſia Gallicana jam erectas Cathedras Epiſcopales. Verum quia, ut norunt periti Critici, argumento negativo parum, aut nihil probatur, tanti non ſunt hæc Ceillierii conjecturæ, ut ab eo Synodico libello laudando omnino abſtinendum duxerimus. Ad hæc P. Halloixius in vita S. Irenæi teſtatur ab ſe in Bibl. Vatic. repertum fragmentum Concilii adverſus Quartadecimanos ab eodem celebrati: a primis vero Eccleſiæ temporibus miſſos ſæpe in Gallias a Romanis Pontificibus Epiſcopos, qui illas in Chriſtiana religione erudirent, ſuo loco oſtendemus. Adde quod Concilium Romæ habitum ſub S. Victore contra Quartadecimanos teſtata res eſt apud Euſebium lib. 5. cap. 23, & Auctorem libri Pontificalis in S. Victore. Quid ni fieri potuit, ut ſub S. Aniceto quoque ea de cauſſa Concilium haberetur? Quamquam ingenue fateor pleraque in Synodico contineri, quæ cum hiſtoriæ veritate, & temporum canone ſatis cohærere nequeant, ſicut inter alia, quod Victor Papa in Synodo Romana Noeto anathema dixerit; quum tamen longe poſt S. Victorem Noetus hæreſim ſuam propalare cœperit. Quod a S. Teleſphoro in Synodo 12 Epiſcoporum una cum hæreſi proſcriptus fuerit Theodotus Byzantinus; quandoquidem ſub initium Imperii Antonini, id eſt an. 138. paſſus eſt S. Theleſphorus; Theodotus autem errorem propinare non

cœ-

cœpit, antequam Imperium auſpicaretur Marcus Aurelius. Quamquam neque ob iſta fidem omnem laudato libello ablegandam autumarim. Optandum ſane, ut qui in Dupinio optimo jure reprehenderat aut negligentiam in prætermittendis, aut ſubleſtam fidem in alienum in ſenſum intorquendis majorum locis pleriſque, quibus Apoſtolicæ Sedis privilegia celebrantur, ipſe paullo accuratior fuiſſet, paulloque attentior in iiſdem aut colligendis, aut elucidandis.

Eæ omnes Synodi hactenus recenſitæ Romæ ſunt habitæ ante Nicænum Concilium. Poſt illud in Synodo anno 337. S. Julius I anathematis jaculum in Arianos intorſit: in altera anno 342. S. Athanaſium inſtituto judicio abſolvit; eique, atque Marcello Ancyrano, & Aſclepæ Gazenſi communionem, gradumque reſtituit; qua de cauſſa ſuus erit agendi locus. In altera Synodo anno 349. Photino ejurato, Valenti, & Urſacio libello ſupplici efflagitantibus, ac Romanæ Eccleſiæ fidem profitentibus, communionem largitus eſt. In Synodo anno 370. S. Damaſus Ariminenſem pſeudo-Synodum irritam dixit, ejuſque acta ſumma auctoritate evacuavit, cujus rei idem meminit in epiſtola ad Illyricos. De ea S. Athanaſius ad Africanos epiſtolam ſcribens, *Sufficiunt*, inquit, *ſcripta Damaſi magnæ Romæ Epiſcopi, & tam multorum cum ipſo congregatorum Epiſcoporum*: nimirum ut ab omnibus Urſacius, & Valens exploderentur, & expellerentur. In II Synodo an. 372 ab eodem Damaſo Auxentio Ariano, ac in ſedem Mediolanenſem intruſo anathema irrogatum eſt. Macedoniana etiam hæreſis diris omnibus devota, inſcriptaque eſt Synodica epiſtola ad Illyrici Epiſcopos, quam referunt Theodoretus lib. 2. cap. 22; Sozomenus lib. 6. cap. 23, & Nicephorus lib. 11. cap. 31. Exinde conſtat, ut ad eum annum obſervat Pagius in crit. Baronii, Macedonianam hæreſim primo fuiſſe proſcriptam a S. Damaſo; non vero a Patribus Concilii Illyriciani, quod nonniſi poſt acceptam hanc S. Damaſi Synodicam habitum fuit. In Synodo III anno 375. idem S. Damaſus anathemate animadvertit in Apollinarem, ejuſque diſcipulos Vitalem, & Timotheum; adfuit Petrus Alexandrinus Epiſcopus, ut habetur in laudato libello Synodico apud Fabricium. In Synodo IV anno 378 editi ſunt a S. Damaſo ana-

anathematiſmi adverſus hæreticos Arianos, Pneumatomachos, aliosque, directa Synodica ad Paulinum, ſive potius, ut accurati critici obſervant, ad Aſcholium Theſſalonicenſem, quam refert Theodoretus lib. 5. cap. 11; ut ubique hæreticis illis communio Eccleſiaſtica denegaretur. Non neſcio inter eruditos, ac maxime Baronium, Valeſium, Pagium, Holſtenium, Conciliorumque collectores non convenire, nec facile fiet, ut conveniant, ſive circa numerum, ſive circa tempus memoratorum Conciliorum ſub. S. Damaſo. Sed id heic mea nihil intereſt; ſatiuſque habeo Romani Pontificis, quibus de ago, privilegia, bono in lumine, ſuoque loco collocaſſe.

In Synodo an. 386. S. Siricius diſciplinæ leges ſtatuit, Africaniſque Eccleſiis direxit, ut liquet ex epiſtola Synodica ad Africanos, quæ ab Africanis in Concilio Zellenſi anno 418. relecta, ad ejuſdem amuſſim diſciplinæ regulæ Africanis deſcriptæ ſunt. Epiſtolam hancce equidem Papebrochius inficias ivit, ſed vindicavit Pagius ad cit. annum adeundus. In altera Synodo anno 390. idem S. Siricius delatum ad ſe a Pammachio Jovinianum, hæreſis nomine damnavit, atque ab Eccleſia abire extorrem dixit: exinde Siricius epiſtolam ad Eccleſiam Mediolanenſem inſcripſit, qua accepta S. Ambroſius Concilio Mediolani eodem anno collecto ſecundum Siricii judicium in Jovinianum anathema intorſit, ut liquet ex ejus Synodica, quæ inter ipſius epiſtolas extat. Hic hæreo, inque S. Siricio, (cujus nuper memoriam vindicavit BENEDICTUS XIV. Pontifex maximus, nomen Martyrologio inſerendum jubens ad diem 26. Novembris, atque in epiſtola ad Johannem V. Luſitaniæ Regem fideliſſimum eidem Martyrologio ejuſdem juſſu recens edito præfixa, difficultates omnes, quæ olim Baronio moram fecerant, mira eruditione, & claritate diſcutiens, atque depellens,) in S. Siricio, inquam, ſiſto, ne ultra modum excreſcat oratio, ea de re, quod a Siricio epocham auſpicantur ſuam epiſtolæ decretales Romanorum Pontificum, quæ noſtram in rem tot argumenta ſuppeditant, ut quæ ex Synodis Romanis excerpi poſſent, miſſa facere compellamur.

Præteriri tamen nec decet, nec debent Synodi, Romana

ſub S. Felice III. Pontifice M. anno 484. ex 77. Epiſcopis coadunata, in qua Acacius & Petrus Moggus diris cunctis devoti ſunt, quæ ſubinde in Synodica ad Clericos,& Monachos Oriental. his Apoſtolicæ Sedis jura laudibus celebrat. *Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſſas præcipue fidei colliguntur Domini Sacerdotes, conſuetudo* (cujus teſtis accedit S. Petrus Chryſologus epiſt. ad Eutychem) *retinetur, ut ſucceſſor Præſulum Sedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, juxta ſollicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem, cuncta conſtituat, qui Caput eſt omnium: Domino ad B. Petrum Apoſtolum dicente*; Tu es Petrus &c. Addit a Nicænis Patribus ad Romanum Pontificem pro confirmatione decreta delata, idque moris jugiter Synodis ſacrum, integrumque manſiſſe. Tillemontius tom. 16. monum. hiſt. Eccleſ. pag. 356, 358, & 373. laudatis verbis ſignificari dumtaxat in more poſitum contendit, ut Synodi ſententia a Pontifice promulgaretur. Verum ita interpretari, ſi non eſt verba intorquere, apertamque verbis clariſſimis vim facere, neſcio quid aliud ſit: nedum enim promulgari, ſed proferri, ſive *conſtitui cuncta* a Pontifice Synodi expreſſa ſententia eſt: Epiſcopi inſuper iſtius Synodi aperte ſe ſequi Apoſtolicæ Sedis auctoritatem profeſſi ſunt verbis ſequentibus: *Sequens auctoritatem Sedis Apoſtolicæ* ſubſcripſi. Denique S. Gregorius M. lib. 4. Regeſti in Synodo Romana ex 22. Epiſcopis omnia a ſe conſtituta auctor eſt, nam hoc verbo *conſtituto* eſt uſus. Romana ſub S. Gelaſio anno 494. ex Epiſcopis 70. conflata, in qua Catalogo librorum confecto, quem a Proteſtantium dicteriis vindicant Theologi noſtrates, his laudibus Romana Eccleſia celebrata eſt. *Sancta Romana Catholica, & Apoſtolica Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis ceteris Eccleſiis prælata eſt, ſed evangelica voce Domini, & Salvatoris noſtri Primatum obtinuit*; Tu es Petrus, *inquientis*, & ſuper hanc petram &c. *Eſt ergo prima Petri Apoſtoli Sedes Romana Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid hujuſmodi*. Præclara iſta ſua poſtea ſecit S.Nicolaus I. epiſt. 8. ad Michaelem Imperatorem, atque appoſite ad retundendam Græcorum ſchiſmaticorum invidiam adhibuit pariter Æneas Pariſienſis apud Dacherium tom.7.Spicilegii pag.96.& 97.

Ad

Ad hæc Romana dicta Palmaris ſub S. Symmacho anno 501, in qua Epiſcopi probe agnoverunt nefas eſſe adverſus accuſatum Pontificem judicium intentare, quin potius, qua par erat, religione faſſi ſunt id poſitum in Synodi poteſtate non eſſe: *Scientes quia ejus Sedi primum Petri Apoſtoli meritum, vel Principatus, deinde ſecuta juſſionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, ei ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem: nec antedictæ Sedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio*. Romana ſub Bonifacio II. anno 531. apud Holſtenium in collect. Rom., in qua lectus, probatuſque ſupplex libellus Stephani Lariſſenſis Metropolitæ, quo præ aliis præclara hæc de Apoſtolica Sede prædicabat: *Dixi quia auctoritas Sedis Apoſtolicæ, quæ a Deo, & Salvatore noſtro Summo Apoſtolorum data eſt, omnibus ſanctarum Eccleſiarum privilegiis antecellit, in cujus confeſſione omnes Mundi requieſcunt Eccleſiæ*. In ea Synodo vindicata ſpeciatim jura Pontificis qua Patriarchæ in Illyricum ſunt, de quibus part. 2. Romana ſub Johanne VIII. anno 877, in qua cum Pontifex Romanam Eccleſiam non alio, quam magiſtræ, Matris, & Capitis Eccleſiarum nomine inſcribit: tum Epiſcopi Pontifici caput ſubmittentes proponenti non aliis, quam obſequii, obedientiæque verbis reſpondent: *Placet, & valde placet in omnibus veſtra ſanctiſſima ſectari veſtigia. Neque fas eſt, ut a culmine Apoſtolatus veſtri in aliquo diſsentiamus, quem videlicet ipſe Chriſtus Dominus noſter omnium noſtrum ad vicem ſuam in terris eſse voluit Caput*. Romana I. ſub S. Gregorio VII. anno 1074, cujus decreta adverſus Simoniacos, & Incontinentes apologetico egregie vindicavit Pontifex. Apologetici hæc ſumma: nonniſi Apoſtolicæ Sedis auctoritate Concilia congregari, & corroborari: Apoſtolicæ Sedis auctoritati omnes undique Epiſcopos ſubjici: eam a Chriſto Eccleſiarum omnium Caput eſſe conſtitutam, ab eaque regendas Eccleſias omnes: in ea plenitudinem poteſtatis reſidere, ad ceteras Eccleſias exinde manare: ab ea de cunctis Eccleſiis judicari; nullius vero judicio eamdem ſubjacere: ad eam undique appellari, ab ea vero appellare nefas: abſque Synodo ab Apoſtolica Sede ligari, & abſolvi, quos Synodus abſolviſſet, vel ligaſſet. Confer prælaudatum apologeticum præclaris antiquitatis monu-

mentis refertiſſimum, quibus Apoſtolicæ Sedis præfata jura doctiſſimus Pontifex vindicat.

Interea ex relatis obſerves velim 1. religioſiſſime ſervatam in Synodis ab Eccleſiæ naſcentis exordio conſuetudinem, quod quamvis plurium criminum perſonam aliquando Romanorum Pontificum aliqui agerent, nulla tamen Synodus in aliquem animadvertere auſa ſit; ea de re nullus unquam legitur Pontifex a Synodo in judicium vocatus, nullus apud Synodum judicium aliquando eſt expertus. Non Marcellinus a Concilio Sinueſſano, quod nullum extitit, ſicut viris eruditis perſuaſum eſt, ut proinde mirari ſubeat doctiſſimum Sommierium nuper in hiſt. dogmat. Sedis Apoſtolicæ eam Synodum vindicandam ſuſcepiſſe, atque quidem in gratiam Pontificis. Non Liberius, etſi a Conſtantio Imp. vim paſſus ſit. Non Anaſtaſius I, a quo Clerici iniqui ſeceſſionem quidem fecere, non ita tamen bene morati. Non Bonifacius I, niſi Honorii Imper. a ſchiſmaticis decepti juſſu, qui poſtea veritate perſpecta Synodum revocavit, & Bonifacium ſuæ reſtituit Sedi. Non Symmachus; ſed ſponte Synodo coram ab impactis criminibus ſe purgavit, ut ſcandalum omne ab Eccleſia amoveret. Non Honorius, quem ab Orientalibus perperam, ac præpoſtere; vel non abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu damnatum alibi dicemus. Non Leo III, qui quidem a nefariis quibuſdam indigna perpeſſus, multiſque plagis affectus eſt, miraculo tamen ſanatus Apoſtolicam Sedem retinuit. Non Benedictus III, qui a facinoroſis quibuſdam e Patriarchio ejectus, paullo poſt in S. Petri Sedem reſtitutus, veniam iiſdem petentibus largitus eſt. Non Johannes VIII, cui imo debitum honorem contra malevolos decrevit Concilium Ticinenſe. Non Formoſus, qui non niſi poſt fata inaudito facinore e ſepulchro ad judicium vocatus eſt a Stephano V. Non Leo V, niſi a Chriſtophoro ejus familiari, ac poſt natos homines nequiſſimo homine. Non Johannes XII, quem irrito conatu e throno deturbare Otho Imperator ſumma injuria enixus eſt. Non Johannes XIV, qui Bonifacii VII. Antipapæ violentas in ſe manus expertus eſt. Non Gregorius V, qui quidem a Creſcentio Nomentano tyrannidem Romæ exercente Roma expulſus eſt, ſed Ticini collecta Synodo ex ejus ſententia Johan-

nem

nem Placentinum Epiſcopum, ac Sedis Apoſtolicæ pervaſorem anathematis pœna mulctavit, ac ab Othone Imper. ſuæ redintegratus eſt Sedi. Non Benedictus IX, qui tum libens, volenſque loco, cui implendo erat impar, exceſſit; tum a populo, Imperatoreque vi illata cedere coactus eſt. Non Gregorius VI, qui antequam Sutrinæ Synodo ab Henrico collectæ ad judicandum de tribus tum Pontificibus Benedicto IX, Silveſtro III, & Gregorio ipſo, cauſſam ſuam permitteret, ſuapte Pontificatu ſe abdicavit. Non Cornelius, non Damaſus, non Bonifacius II, non Sergius I, non Stephanus II, non Paulus I, non Eugenius II, non Benedictus V, non Paſchalis II, non Gelaſius II, non Innocentius II, in quos non niſi a ſchiſmaticis ſævitum eſt.

Quod ſi in Urbanum VI. minus æqui fuerunt nonnulli, id dubiæ illius electioni adſcribendum, ne dixerim intempeſtivæ illius aſperitati. Quod ſi Conſtantinus, Chriſtophorus, Benedictus XIII, Gregorius XII, Johannes XXIII. a Conciliis Sede ſua moti ſunt, illi vel Pontificatum pervaſerant; vel non habebantur pro legitimis, indubiiſque Pontificibus; vel perſonas ſchiſmatis, aut etiam hæreſis ſuſpectas circumferebant. Quamobrem nefaria, neque uſquam, niſi a Dioſcoro adverſus S. Leonem, & a Photio adverſus S. Nicolaum olim attentata, ſcilicet acta a Conciliabulo Baſileenſi adverſus Alexandrum II; a Conciliabulis Wormatienſi, & Brixinenſi adverſus S. Gregorium VII; a Conciliabulo Papienſi adverſus Alexandrum III; a Conventiculo Ludovici Bavari adverſus Johannem XXII; a pſeudo-Synodo Baſileenſi adverſus Eugenium IV. nefas eſt execrandum adducere in argumentum, aut exemplum. Sed de his ſuo loco. Audiatur interea Romana Synodus ſub S.Symmacho: *Romana Sedes*, ait, *a nemine, nequidem a toto Clero judicari poteſt, ab ipſa vero judicari omnes*. Ita pariter Synodus Romana in cauſſa S. Leonis III. nonnullo crimine falſo accuſati Carolo Magno coram proteſtata his verbis legitur: *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt Caput omnium Dei Eccleſiarum judicare non audemus; nam ab ipſa nos omnes, & Vicario ſuo judicamur, ipſa autem a nemine judicatur; quemadmodum antiquitus mos fuit; ſed ſicut ipſe Summus Pontifex conſuevit, jubeat, canonice obediemus*. Ob-

Obſerves 2. ex Synodis ſupra laudatis Romanos Pontifices ſuprema poteſtate agentes Concilia mox in Oriente, mox in Occidente nunc indixiſſe, nunc diſſolviſſe: celebrata quando generalia, quando provincialia auctoritatis ſuæ robore adjecto, vel detracto, confirmaſſe, vel infirmaſſe; eaque ab Eccleſia habita pro firmis, vel infirmis: ſacrorum Canonum etiam in œcumenicis Conciliis conditorum obſervantiam qua reſtituiſſe, & redintegraſſe, qua remiſiſſe, & relaxaſſe: Eccleſiæ univerſæ per Orbem diffuſæ ſive diſciplinæ leges, ſive morum regulas, ſive fidei formulas, juxta quarum amuſſim vitam, mentem, animumque cuncti inſtituerent, componerent, exigerent, dixiſſe, dediſſe, ſcripſiſſe: Epiſcopos in Synodis etiam œcumenicis qua exaltatos, & qua exauctoratos; ad Apoſtolicum tribunal accerſitos, quando ab Oriente, & quando ab Occidente, quoſdam abſolviſſe, & quoſdam abjeciſſe: Hæreſes, & Hæreticos ubicumque proſcripſiſſe, atque ut ab iis ſibimet præcaverent, Chriſtifidelibus univerſis præcepiſſe: eoſdemque encyclicarum, ſeu canonicarum litterarum ope, ex hæreticis hominibus, quos deberent reſpuere, communioneque excludere, qui ſcilicet veluti luto hæreſibus obfirmato animo hærerent; quoſque deberent recipere, & ſacrorum conſortio excipere, qui ſcilicet ejuratis erroribus Romanæ Eccleſiæ ſinum repetiviſſent, edocuiſse. Verbo: undique ab Oriente, & Occidente Synodos, Epiſcopos, Patres, Doctores, Principes, Chriſtifideles ad Apoſtolicam Cathedram confugiſse, quam ejus communioni conſociari, quam ejus fidem profiteri, quam ejus decretis adquieſcere, quam ejus monitis morem gerere, quam ejus judiciis ſubjici, nihil antiquius habentes, atque optatius; quæ omnia ſuis locis luculenter perſequemur: neque unquam ab ulla Synodo, ab ulloque homine, quaſi ita agentes præter jus, & fas agerent; itaque de fide ſtatuentes contra fidem aliquando ſtatuerent, Pontificem aliquem inſimulatum ivіſse; illique objectum, quare id factitarent? Qua poteſtate? Aut quomodo a fide non aberraret, id abſque Synodi aſsenſu, aut conſilio ab ſe de fide pronuntiatum? Niſi quod ubique, ſemper, & ab omnibus creditum eſt Romanum Pontificem ſuprema poteſtate in Eccleſia potiri; ac de fide pronuntiantem falli, & fallere, peculiari

culiari privilegio ipſi a Chriſto Domino collato, omnino eſse neſcium.

Quid adverſum, pro ingenio perſpicua quælibet inficiandi, adverſarii commentantur, & comminiſcuntur! Scilicet ex Romanis Synodis in rem magis ſuam, quam noſtram unum illud elici, quod ea agendi ratione oſtenderint Romani Pontifices ab ſe decreta fidei dogmata non evadere, niſi Romanæ Eccleſiæ auctoritas, & conſenſus accederet; atque ab ſe jura, & judicia in Eccleſiaſticis cauſſis exercita non valuiſse, niſi robur ſuum iiſdem adjicerent Synodi, rataque eadem haberent. Verumtamen næ ita ajentes vehementer in errore verſantur. Eccleſia enim Romana abſciſso ab ea Pontifice, nec privilegio infallibilitatis in fide pollere, nec poteſtate juris dicundi in reliquas Patriarchales Eccleſias potiri, quis neſciat? Eccleſiæ Romanæ abſque conſilio, aut conſenſu ſæpe ſæpius a Romanis Pontificibus fidei controverſias diremptas; in Epiſcopos, atque in Eccleſias fuiſse jus dictum? verbo: ea omnia peracta, quæ paullo ſuperius commemoravimus, quia par. 2. Vindiciar. apertiſſima in luce collocabimus, non eſt cur hic exponamus. Ab eadem Romana Eccleſia penes unum Pontificem ſtare rei chriſtianæ integram ſummam agnitum, & affirmatum liquet ex Synodo ſub S. Damaſo in epiſt. ad Illyricos, qua Epiſcopi ſtatuta, & decreta a S. Damaſo ſe ſequi ſcribunt. Ex Synodo Romana ſub S. Hilario Papa anno 465, qua can. 1. dicitur: *Nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo, vel divinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare*. Synodo vero quum propoſuiſſet Pontifex Hiſpanorum Epiſcoporum preces, & querimonias; preces in gratiam Irenæi, quem Nundinarius ſibi ſucceſſorem in Eccleſia Barcinonenſi deſignaverat; querimonias contra agendi rationem Silvani Calaguritani Epiſcopi, qui indebitas ordinationes uſurpaverat, reſpondit Synodus: *Auctoritate veſtra reſiſtite huic rei per Apoſtolatum veſtrum . . . Ordinatio Apoſtolica illibata ſervetur*. Ex Synodo Romana ſub S. Felice III, de qua ſuperius. Ex Synodo IV. Romana ſub S. Symmacho, in qua præclare a Laurentio Mediolanenſi Epiſcopo dictum legitur: *Statutis ſynodalibus conſuevit* (Pontifex) *tribuere firmitatem*. Ex Synodo Romana ſub Johanne VIII, de qua ſupradictum. Ex Synodo Ro-

Romana ſub Nicolao II. cap. *Si quis* 25. q. 2, & cap. *Ad abolendam* de hæreticis, quæ, *Si quis*, ait, *dogmata, vel decreta pro Catholica fide, aut Eccleſiaſtica diſciplina a Sedis Apoſtolicæ Præſule promulgata contemſerit, anathema ſit*. Mitto innumera, ne ſim longior, neve in re confeſſa liberali, frugique lectori faſtidium moveam, moraſque attexam.

Tenuiſſe, & credidiſſe 2. Eccleſiam Africanam liquet 1. Ex epiſtola Synodica ad Sanctum Innocentium I, qua Epiſcopi Synodi Carthaginenſis Pontificem certiorem facientes geſtorum ab ſe adverſus Pelagium, roganteſque, ut geſta auctoritate Apoſtolica confirmaret: *Hoc itaque geſtum*, inquiunt, *charitati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda ſalute multorum; & quorumdam perverſitate etiam corrigenda*. Et infra. *Error ipſe, & impietas*, inquiunt, (Pelagii) *quæ tam multos aſſertores habet per diverſa diſperſos, etiam auctoritate Apoſtolicæ Sedis anathematizanda eſt*. Ex Synodo etiam Millevitana ad eumdem Innocentium ſcribentes, *Arbitramur*, ajunt, *adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis tuæ, de ſacrarum Scripturarum auctoritate depromptæ, facilius eos* (Pelagianos), *qui tam perverſa, & pernicioſa ſentiunt, eſſe ceſſuros: ut de correctione potius eorum congratulemur, quam contriſtemur interitu*. Confer epiſtolam 5. Epiſcoporum ad eumdem Pontificem de eodem argumento. 2. Ex Synodis duabus Africanis ſub S. Zoſimo adverſus Pelagium, e quibus Africani Antiſtites ad eumdem Zoſimum ſcribentes, certumque reddentes de accepta ab ſe Innocentii deceſſoris ſui lata in Pelagium, Cæleſtiumque ſententia, *Conſtituimus*, inquiunt, *in Pelagium, atque Cæleſtium per venerabilem Epiſcopum Innocentium de Beatiſſimi Petri Sede prolatam manere ſententiam*. Altera vero Synodica ad eumdem miſſa teſtantur ab ſe ejuſdem Tractoriam vulgo dictam epiſtolam ad totius Orbis Epiſcopos inſcriptam ſummo gaudio perlectam, ſummaque gratulatione ſuſceptam. Periere equidem iſtæ Africanorum Præſulum litteræ, ſed earum fragmenta referunt S. Auguſtinus epiſt. 47. ad Valentinum; S. Pro-

ſper

ſper lib. contra Collat. cap. 10, & Carmine de ingratis cap. 2; & Auctor collectionis capitulorum de gratia adnexæ epiſtolæ S. Cæleſtini I. ad Gallos Epiſcopos cap. *6*, & 8. 4. Ex Synodo Telenſi, ſeu Zellenſi, aut Teleptenſi anno 418. collecta, nec alia de cauſſa, quam ut epiſtola S. Siricii Papæ quondam ad Africanos Epiſcopos ſcripta legeretur, atque ad ejuſdem amuſſim diſciplina eccleſiaſtica inſtauraretur: meminit iſtius Concilii Ferrandus Diaconus in Breviario: Queſnellus vero, qui cum Siricii eam epiſtolam, tum iſtud Telenſe Concilium ad apocrypha amandavit, jure, ac merito vapulat a Natali hiſt. Eccl. ad ſæcul. V. ſynop. cap. 5. art. 3, & Pagio ad cit. annum n. *6*5. 5.

Ex Africana Synodo anno 534, ex qua Synodica miſſa Johannes II. Pontifex Maximus conſultus, rogatuſque de ſententia eſt ſuper Arianis cum gradu recipiendis: *Poteſt enim*, inquiunt, *Sedes Apoſtolica tale nobis interrogantibus dare reſponſum, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat*. Legeſis in Codice canon. Eccleſ. Afric. can. 4*6*, quo ſacræ Scripturæ conſtituto catalogo de ſua circa eumdem ſententia, ac pro confirmando canone Bonifacius II. rogandus decernitur. Canonem 47, quo S. Siricius de baptizatis a Donatiſtis num ad Ordines provehi poſſent, interrogandus, ac, ſi oporteret, efflagitandus ſtatuitur. Et canones *66*, & *6*8. in collect. Harduini tom. 1, quibus id indulgentiæ cum Donatiſtis adhibendæ ſibi a S. Anaſtaſio I. Pontifice facta facultas proditur. *6*. Exploratiſſimum poſtremo iſtud fit ex epiſtola Synodica Africanorum Antiſtitum ex tribus Africæ Conciliis ad Theodorum Pontificem Maximum miſſa, quæ in Concilio Lateran. ſub S. Martino I. lecta, & ſecret. 2. inſerta eſt, tom. *6*. Concil.; qua ſic effantur: *Magnum, & indeficientem omnibus Chriſtianis fluenta redundantem apud Apoſtolicam Sedem conſiſtere fontem, nullus ambigere poteſt, a quo rivuli prodeunt affluenter univerſum irrigantes largiſſime Orbem Chriſtianum; cui etiam in honorem Beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem omnino decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quæ omnino, & ſollicite debent, maxime vero, juſteque ab ipſo Præſulum examinari Vertice Apoſtolico, cujus vetuſta ſollicitudo eſt, mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim*

regulis ſancitum eſt, ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur Provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſset deductum; ut hujus auctoritate juxta quæ fuiſset pronunciatio, firmaretur, indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diverſas totius Mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei incrementa ſalutis. Audis igitur Africanos Epiſcopos loco officii ducere ad Apoſtolicam Sedem Eccleſiaſticas cauſſas deferre, atque ab eadem ſententiis editis adquieſcere: non ambigendum eſſe adſerere, quin rectæ fidei indeficiens fons apud Sedem Apoſtolicam permaneat, atque quæſtiones fidei ejuſdem arbitrio finiri oporteat. Quid iſtis, ſodes, luculentius, & illuſtrius ad oſtendenda duo illa, quibus de agimus, Sedis Apoſtolicæ privilegia?

Tenuiſſe, & credidiſſe 3. Eccleſiam Italicam liquet 1. ex commemoratis paullo ſuperius Romanis Synodis, quæ non niſi ex Italiæ Epiſcopis colligi conſueverant. Liquet 2. ex Synodo Aquilejenſi anno 381, cujuſque, ut ajunt, veluti anima extitit S. Ambroſius; ſiquidem in epiſt. Synodica ad Imperatores Theodoſium, Gratianum, & Valentinianum tom. 2. Concil., & tom. 2. oper. S. Ambroſii pro extirpatione ſchiſmatis Urſicini adverſus S. Damaſum ita ſcribit: *Totius Orbis Romani Caput Romanam Eccleſiam, atque illam ſacroſanctam Apoſtolorum fidem ne turbari ſineret, obſecranda fuit Clementia veſtra: inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant.* Scilicet Apoſtolicæ Sedis ejuſmodi Primatum adſtruit, cum qua in fide communicare ſit neceſſe, & a qua jus omne in Epiſcopos diffluat. Confer epiſtolam e Synodo Mediolanenſi a S. Ambroſio S. Siricio inſcriptam. Liquet 3. ex Synodo Italica eodem anno 381. celebrata, cui idem S. Ambroſius præfuit, quam proinde Mediolani habitam Eruditi quidam exiſtimant; aut veriſimilius dumtaxat interfuit, tametſi potiores in ea egerit partes, quandoquidem Romæ potius celebratam periti alii Critici arbitrantur. In ea Maximi Cynici ordinatio, etſi in Concilio Conſtantinopolitano irritata, probata eſt, ejuſdemque communionis particeps ille eſt factus; ea tamen adjecta lege, ſi id probaretur Romano Pontifici, a quo propediem Romæ ea de

re

re cogendum Concilium intellexerat. Legeſis epiſtolam 13. S. Ambroſii ad Theodoſium, quæ eſt Synodica hujuſce Concilii, qua inter alia ſuo, ac Synodi nomine ſcribit, Maximum, etſi ab Orientali Synodo damnatum, ad Romanum potuiſſe more ſuorum Majorum confugere Pontificem: nec locum eſſe quoque Orientalium querelis, quod eidem Maximo Italiæ Epiſcopi ſuam communionem non denegarint, quandoquidem abſque Epiſcoporum Italiæ ſententia, ac Romani præſertim Pontificis aſſenſu, Maximo ab Orientalibus non fuiſſet abjudicanda communio. *Nos igitur*, inquit, *in Synodo ea, quæ totius Orbis Epiſcopis videbantur eſſe præſcripta, nihil temere ſtatuendum eſſe cenſuimus: adeo ipſo tempore, qui generale Concilium* (Romæ a Damaſo indictum) *declinaverant, Conſtantinopolique geſſiſſe dicuntur. Nam quum cognoviſsent ad hoc partium veniſse Maximum, ut cauſſam in Synodo* (Italiæ) *ageret ſuam, quod etiamſi indictum Concilium non fuiſſet, jure, & more majorum, ſicut & S. memoriæ Athanaſius, & dudum Petrus Alexandrini Epiſcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Eccleſiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugiſse judicium viderentur .... præſtolari utique etiam noſtram ſuper eo ſententiam debuerunt.* Ex his patet nondum habitam ab Occidentalibus Epiſcopis tanquam œcumenicam Synodum I. Conſtantinopolitanam, quæ ejuſmodi tum primo evaſit, quum illi calculum adjecit S. Damaſus ſuum. Profecto Orientalium cauſſæ Occidentis Epiſcoporum judicio finiendæ non fuerant: quæ ergo ſcripſit Italiæ Synodus, ea de Romani Pontificis judicio omnino intelligenda ſunt, ſine quo nullum Epiſcoporum judicium ratum eſse poſſit. Æqui, bonique epiſtolam hancce fecit Theodoſius, plane agnoſcens ab Orientis Synodis adhuc patere ad Pontificem aditum: id unum reſcripſit, plurium criminum perſonam geſtari a Maximo; expedireque, ut in Oriente, ubi eadem comperta, & facile comprobanda eſſent crimina, ille judicium experiretur. Confer epiſt. 14. S. Ambroſii.

Exploratum ſit 4. ex Concilio Taurinenſi anno 395, aut 397. celebrato: in eo enim quum perlecta fuiſset S. Siricii epiſt. ad Galliarum Epiſcopos, qua communione eccleſiaſtica abſtinendum decreverat Felicem Trevirenſem Epiſcopum, eo quod ab Hilarii

partiariis, iis nimirum, qui cædibus in Priſcillaniſtas non pepercerant, ordinatus fuiſſet, etſi præſens Concilio adeſſent Gallicanorum Antiſtitum, quibus Felicis ordinatio probata fuerat, Legati, qui ipſius ordinationem ſuſcipiendam urgerent, ac legitimam vindicarent; Concilii tamen Patres officii loco duxerunt, ut S. Siricio potius, cui S. Ambroſius eo in judicio adhærebat, parerent, ac Felicem proinde ab eccleſiaſtica communione extorrem pronunciarunt. Confer can. *6.* tom. I. Concil. Harduini pag. *959.* Legenda etiam S. Euſebii Mediolanenſis Epiſcopi Synodica ad S. Leonem M., qua magna ſpiritus exultatione, demiſſioneque animi ab ſe, ſuiſque comprovincialibus ipſius litteris ad S. Flavianum fuiſſe ſubſcriptum affirmat; quod ab eo fuerat poſtulatum. Exploratum ſit 5. ex Synodo Ticinenſi anno 87*6*. præſente Carolo Calvo habita, in qua ſic ſtatuunt Epiſcopi canone I: *Ut Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum Caput ab omnibus honoretur, nec quiſquam contra jus, & poteſtatem ipſius agere præſumat*: & canone 2, *ut Johanni VIII. Summo Pontifici* (cujus dignitas a ſceleſtis nonnullis, & ſchiſmaticis in diſcrimen adducebatur) *honor ab omnibus impendatur, & quæ auctoritate Apoſtolica decreverit, cum ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur*. Paucis, ſed præclaris tandem utrumque infallibilitatis, ſupremæque poteſtatis privilegium Romano Pontifici in S. Petri perſona a Chriſto Domino collatum, vel ad ſacras aras Miſſarum inter ſolemnia celebraſse Eccleſia Italica legitur in Codice liturgico, quem Leonianum aliqui, Gelaſianum alii malunt appellare, ſæculo tamen V. exaratum convenientes, apud clariſs. Aloyſium Aſſemanum par. 3. lib. 4. Cod. liturg. Eccleſ. univ. pag. 4*6*, ubi hæc habentur: *Qui* (D.O.M.) *ut hanc ſedem regimen Eccleſiæ totius efficeres, & quod hæc prædicaſset, oſtenderes ubique ſervandum, ſimul in ea & Apoſtolicæ Principem dignitatis, & Magiſtrum gentium collocaſti.* Quæ quidem ſatis, ſuperque haberi poſsunt, quin ad omnem penitus removendam moram, renitenteſque omnino revincendos pleraque, quæ ceteroqui præſto eſsent, in rem extra omnem dubitationis aleam poſitam, atque in aprico, congerere cogamur.

Inquiet hic quiſpiam. At Eccleſiæ cum Ravennatenſis, tum Me-

Mediolanenſis aliquando a Romani Pontificis juriſdictione, & poteſtate deſciverunt, atque in inobedientia durarunt. Et quidem 1, quod ad Ravennatem attinet, Johannes Archiepiſcopus Ravennas ſuperbia inflatus Pelagio II. Pontifici obedientia abjudicata ſui juris eſſe voluit. Maurus, qui teſte Sigonio lib. 2. de Regno Italiæ anno 648. eamdem Eccleſiam adminiſtrabat, opportuno Conſtantis Imperatoris favore fultus, neque ordinari, neque donari pallio a Pontifice voluit, ſed iſtud potius ab Imperatore ſuſcepit, manuum autem impoſitionem a tribus ſibi ſubjectis Epiſcopis. Itaque auctor fuit, ut Eccleſia Ravennatenſis Romanæ abjecta obedientia autocephala evaderet: quumque a S. Vitaliano anathemate fuiset innodatus, eadem ipſe tela in illum intorſit: anno denique 672 proxime moriturus Clericis ſuis in præceptis dedit, ne Pontifici Romano aliquando parerent. Adeundus Agnellus in lib. Pontifical. a doctiſs. Bacchinio egregiis notis illuſtrato par. 2. tom. 2. rer. Italic. In Mauri locum ſuffectus Reparatus eidem agendi rationi inſtitit. Itaque ad Imperatorem profectus ab ipſo & pallium popoſcit, & inveſtituram accepit. Felix, qui an. 708. Ravennati præfectus eſt Eccleſiæ, Romam quidem conſecrandus petiit, ſed fidei ſuæ, & obſequii rationem reddere contempſit: ſed & domum reverſus Ravennatibus ſuis, propoſita antiqua Eccleſiæ dignitate, & libertate, ut a Romanæ Eccleſiæ obedientia reſilirent, auctor exſtitit. Johannes alter Ravennas Archiepiſcopus dictus anno 862 diu cum S. Nicolao I. de obedientia decertavit. Exinde vero ab Eccleſia Ravennate a Romana deſciſcente exemplo accepto, Eccleſiæ nonnullæ ſuffraganeæ ab ejuſdem Romanæ Eccleſiæ juriſdictione ſe ſubtrahere conatæ ſunt. Quod 2. ad Eccleſiam Mediolanenſem ſpectat, anno 844. Angilbertus Mediolanenſis Archiepiſcopus Romam comes Drogonis Metenſis Epiſcopi Ludovici II. Imperatoris patrui, & Caroli Magni filii, profectus, poſtquam cum Pontifice Sergio II. decertaſſet, domum reverſus a Romanæ Eccleſiæ obedientia ſegregem ſe fecit; effecitque, ut Eccleſia Mediolanenſis 200. circiter annorum ſerie, & Nicolaitarum labe gemina conſpurcata, tum diro ſchiſmate a Romana divulſa in errore maneret. Conferendi Puteanus lib. 4, Sigonius lib. 5, & Baronius ad an-

annum 1059. Inter alios Arnulphus anno 999. Archiepiſcopus beneficio Othonis III. Imper. ordinatus, adeo in ſchiſmate animo fuit obfirmatus, ut in Oldericum Aſtenſem Epiſcopum, idcirco, quod a Romano Pontifice ordinatus fuiſſet, anathemate non modo, ſed etiam armis animadverterit, teſte Puricello tom. 1. monum. Eccleſ. S. Ambroſii pag. 344. Quinimo quum Nicolai II. juſſu an. 1059, ut ſcribit Sigonius lib. 9. de Regno Italiæ, S. Petrus Damiani Mediolanum veniſset eam Eccleſiam Romanæ conciliaturus, populi, Clerique facto tumultu Ambroſianam Eccleſiam antiquis Patrum inſtitutis liberam eſſe, nec Romanis legibus adſtrictam, nec Pontifici Romano jus ullum in eam eſſe, conclamatum eſt; atque adeo turbarum ea de re exarſit furor, ut S.Petrus Damianus ab interfectionis periculo non longe abſfuerit. Adeundi mox laudati ſcriptores.

℟. ad 1. Quemadmodum Eccleſiæ Mediolanenſi, qua Simoniaca labe, & qua Nicolaitarum turpitudine abreptæ contigit, facile contigiſſe, ut Archiepiſcopi Ravennates ſuperbia elati, aliiſque ſimilibus male partis affectibus abſtracti Ravennam, quam Valentianus III. plurimis adauxerat prærogativis, ita ut Epiſcopum pallio ex lana confecto, quo tunc temporis Cæſares uti conſueverant, donaverit; eidemque duodecim Urbium Flaminiæ, & Æmiliæ Epiſcopos ſubmittendos juſserit, aut curaverit; eamdemque demum, ut poſt Urbem Romam Italiæ Caput eſſet, conſtituerit;& quam poſteaTheodoricus Oſtrogothorum Rex ſua præſentia maxime illuſtravit; in ea regia Sede locata; atque poſtremo Exarchorum potentia amplificavit,qui in ea Urbe Orientis Imperatorum vicibus fungentes, Italiæ rem univerſam ibidem conſedentes adminiſtrabant; facile, inquam, contigiſſe, ut Archiepiſcopi Ravennates ambitione, & invidia ſe, Eccleſiamque ſuam a Romani Pontificis obedientia, & auctoritate abducerent. At quod fit per nefas, quis id rite fieri inficias non ibit? Ceterum nec deſtitere eam ob rem Pontifices a jure exercendo in Ravennatem Eccleſiam: nec ſub id temporis defuere ex Ravennatibus Epiſcopis, qui Pontificibus Maximis faſces ſubmitterent, ſeque ſubjectos ire intelligerent. Hanc ſubjectionem præclare in epiſt. ad Eutychetem oſtenderat S. Petrus Chryſologus; ac præ-
terea

terea Johannes III. in epiſt.ad Ravennatem Epiſcopum,apud Baluzium tom. 5. Miſcellan.. Haud aliter S. Gregorius M. anno 594 Johannem Ravennatem, de quo primo loco dictum eſt, quia non ſolum in ſacris, ſed etiam in ſupplicationibus publicis Pallio uteretur, ſevere, ut par erat, increpavit, ut qui plus ſibi, quam par eſset, aſſumeret. Is vero officii loco duxit Pontificem admonere ab aliis Antiſtitibus eum morem ſervatum: unde & S. Gregorius ab eo reprehendendo deſtitit; ſed & data ad eumdem S. Gregorium epiſtola inter Gregorianas 55. lib. 2. indict. 11. idem Johannes ſe Apoſtolicæ Sedi obluctari minime audere conteſtatus eſt. Maurum Sedi Apoſtolicæ ſubjici recuſantem ad ſe accerſivit S. Vitalianus, & venire renuentem a ſacris amovit. Sed quid quod idem aliquando ſapuit? Nam S. Martino I. epiſtola, quæ exſtat in actis Synodi ſub eo tempore celebratæ, exarata, obſequium, & obedientiam exhibuit. Quod ſi ad ingenium poſtea reverſus animo in ſchiſmate obfirmato eſt, objitque, pœnas ſceleris poſt mortem luit: ſiquidem Adeodatus Papa, ne Mauro juſta e ritu Eccleſiæ ſolverentur, edixit. Sub Dono Pontifice Eccleſiam Ravennatem ab Eccleſia Romana cauſſa authocephaliæ ſegregem ſe Apoſtolicæ Sedi ſubjugaſſe, ideoque Dono reconciliatum Reparatum Ravennatem Epiſcopum, auctor eſt Anaſtaſius in Dono. Confer notam Bencini. Sane Theodorus Reparati ſucceſſor non in priſtinam ejus ſententiam conceſſit, ſed magis ad S. Agathonem litteris inſcriptis, ſe, Eccleſiamque ſuam Romanæ ſubdidit, paulloque poſt Romam profectus, ad ejus pedes ſe ſe ſupplex abjecit, ac præſens obedientiam, ac fidem quam Maurus, & Reparatus abnuerant, Romanæ Eccleſiæ reddidit. Felicis ſubleſtam fidei confeſſionem a Papa Conſtantino in Confeſſione S. Petri poſitam, poſt aliquot dies incendio afflatam repertam fuiſſe ſcribit Sigonius lib. 2; ab Imperatore vero Juſtiniano Pontifice rogante Felicem fuiſſe in ordinem redactum, luminibus excæcatum, ac in Pontum cum aliis ſchiſmaticis relegatum idem refert. Fertur tamen Felix ad rectam frugem receptum, ſuæque Sedi reſtitutum, in obſequio Pontificis pie e vita exceſſiſſe. Johannem alterum in Apoſtolicam Sedem inſanientem S. Nicolaus I. loco amovit: rogatu Ludovici Imperatoris Romam tuto proficiſci Johannem indulſit;

dulſit; ubi is coram Pontifice culpam ingenue confeſſus, hanc ab eo ſententiam accepit. Ut ſecundo quoque anno coram Apoſtolica Sede ſe ſiſteret: ne Epiſcopos per Æmiliam, niſi ex Pontificis conſenſu, conſecraret: neve Epiſcopos prohiberet, quominus ad Apoſtolicam Sedem accederent: alias hiſce ſimiles leges præſcripſit, quibus omnibus ſe pariturum Johannes juramento, & ſcripto promiſit. Tandem ſub Gelaſio II. ſummo Pontifice Ravennatenſem Eccleſiam ad Romanæ obedientiam integre anno 1118. rediiſſe, eaque de re privilegiis ſuis a Pontifice fuiſſe reſtitutam teſtatur Sigonius lib. 10. de Regno Italiæ.

℞. ad 2. Eccleſiam Mediolanenſem in ſchiſma turpiter prolapſam exemplo ſuo palam fecisſe homines, poſtquam ſemel pravis affectibus pronum animum applicuerint, in pejora quælibet proruere. Ceterum Angilbertus ſchiſmatis incentor, dum Romæ esſet, Pontificis ſummam esſe in Eccleſia auctoritatem agnoverat; nam Drogoni, aliiſque cum Epiſcopis, tum Optimatibus rogantibus, ut Ludovico II. Lotharii Imperatoris filio Romani ſacramento fidelitatis ſe ſe obſtringerent, quo minus id fieret Silveſtrum II. obſiſtentem audivit, & vidit. Arnulphus etiam, qui præ ceteris præfracta fronte adverſus Pontifices de poteſtate contendit, quum Arduini in Italiæ Regem electioni obluctaretur, eumdemque modis omnibus e throno dejicere eniteretur, non aliis potioribus armis id egit, quam S. Gregorii Magni auctoritate, a quo Lege conſtitutum ajebat, ut Italiæ Regno vacante, is demum Italiæ Rex audiret, qui ab Archiepiſcopo Mediolanenſi una cum ſuis ſuffraganeis eſſet electus, & Modoetiæ ferrea corona redimitus, quam ea de re Theodelinda Agilulphi Longobardorum Regis IV. uxor confecerat, ac Modoetiæ in Eccleſia S. Johannis Baptiſtæ repoſuerat. Ita tradunt Sigonius lib. 1, Puteanus de Form. Rom. Imp., & Ripamontius lib. 9. hiſt. Eccleſ. Mediolan. Sunt tamen Scriptores numero, & auctoritate graves, qui de ea S. Gregorii conſtitutione dubitant, imo ſubdititiam dicunt. Vide adnotationes Abbatis Valeriani Caſtilionei in hiſtoriam Arduini ultimi Italiæ Regis, a celeberrimo Abbate Theſauro adornatam. Poſtremo S. Petrus Damiani convocatis in templum Guidone Archiepiſcopo, & Populo in concionem aſcendens de Primatu

matu Romanæ Eccleſiæ longa oratione diſſeruit, inter alia affirmans Romanam Eccleſiam a Deo inſtitutam, ceteras ab eadem exordium ſumſiſse, ac Mediolanenſem maxime, quam S. Nazarius a S. Lino miſſus, & SS. Gervaſius, & Protaſius a S. Paulo ad eamdem directi doctrina, moribus, & ſanguine inſtituerant. Ad hæc S. Ambroſium, ſubtexuit, quum Nicolaitarum hæreſi coercendæ, extirpandæque par non eſſet, a Romana Eccleſia præſidium rogaſse, & accepiſſe, ſcilicet tres Legatos a S. Siricio in auxilium datos, a quibus Civitatis res curatæ ſunt. Itaque oratione adeo Archiepiſcopum, populumque flexit, ut ad omnia ejus mandata paratiſſimum fecerit. Archiepiſcopus humi procumbens culpam omnem confeſſus, ſchiſmate, Simonia, & Nicolaitarum erroribus ejuratis, curaturum ſe diligenter, ut eadem a populo, & Clero extirparet vitia ſub juramento ſpondens, Romano Pontifici obedientiam, fidemque profeſsus eſt, & pollicitus. Idem quoque, ipſius exemplo, Legatique juſsu, Clerus, populuſque præſtitit. Quamquam paullo poſt Clerum facti pœnituit, eaque de re Guidoni ſubinſenſum ſe præbuit. Confer cap. *Omnes* diſt. 22; S. Petrum Damiani epiſt. ad Cler. Mediolan.; Sigonium lib. 9; & Baronium ad annum 1059.

Tenuiſse, & crediidiſse 4. Eccleſiam Germanicam liquet 1. ex Synodo Germanica, ſive Liptinenſi anno 743, quæ Apoſtolicæ Sedis fidem ad ſupremum uſque vitæ diem ſibi colendam propoſuit, ejuſdem unitatem ſummopere cuſtodiendam profeſsa eſt, eique obedientiam omnem, ſubjectionemque præſtandam decrevit: *Decrevimus*, inquit S. Bonifacius Moguntinus Concilii Præſes in epiſt. ad Cudbertum Archiepiſcopum Cantuarienſem, *Decrevimus in noſtro Synodali conventu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam, & unitatem, & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ fine tenus vitæ noſtræ velle ſervare; S. Petro, & Vicario ejus velle ſubjici, ... & per omnia præcepta Petri canonice ſequi deſiderare, ut inter Oves ſibi commendatas numeremur: & iſti confeſſioni univerſi conſenſimus, & ſubſcripſimus, & ad corpus S. Petri Principis Apoſtolorum direximus*. Liquet 2. ex Synodo Aquiſgranenſi anno 860, quæ in epiſt. Synodica ad S. Nicolaum I. agnoſcit Apoſtolicam Sedem adeundam fore in dubiis circa fidem emergentibus,

ab eaque prolato judicio ſtandum, quum in eadem Eccleſiæ, & fidei fundamenta Chriſtus Dominus poſuerit: *Apoſtolicis documentis*, ait, *& Pontificalibus decretis multipliciter informamur, ut veſtri Sanctiſſimi Apoſtolatus apicem Principis Apoſtolorum fide, & nomine conſecratum, quoties ſancta Eccleſia aliqua novitate pulſatur, humiliter adeamus, ibique veri conſilii ſaluberrima inſtituta ſinceriter hauriamus, ubi mitis Magiſter Chriſtus, & ſummum Caput noſtrum fundamentum Eccleſiæ poſuit*. Gemina ad Johannem VIII, non autem IX, ut viſum Labbeo, conſcripſerunt Germaniæ Epiſcopi de Slavis ad fidem converſis ad eumdem referentes: *Nequaquam credimus . . . de illa ſancta, & Apoſtolica Sede, quæ nobis ſacerdotalis Mater eſt dignitatis, & origo Chriſtianæ Religionis, profluerit quidpiam perverſitatis; ſed doctrina, & auctoritas Eccleſiaſticæ rationis*. Liquet 3. ex Synodo Triburienſi an. 895. ex 22. Epiſcopis congregata, quæ can. 30. ſuam, eamque ſummam erga Apoſtolicam Sedem obedientiam, reverentiam, & fidem manifeſtavit his verbis. *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam, & Apoſtolicam Sedem, ut quæ nobis ſacerdotalis Mater eſt dignitatis, eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur jugum, conferamus, & pia devotione toleremus. Si vero, quod non decet, quilibet Presbyter, ſive Diaconus redarguuntur falſam ab Apoſtolico detuliſſe epiſtolam, vel aliud quid, quod inde non convenerit, ſalva fide, & integra circa Apoſtolicum humilitate, penes Epiſcopum ſit poteſtas, utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat cuſtodiam, uſque quo per epiſtolam, aut per idoneos ſuæ partis legatos Apoſtolicam interpellet ſublimitatem, ut potiſſimum ſua ſancta legatione dignetur decernere, quid de talibus juſto ordine Lex Romana ſtatuat definire, ut is corrigatur, & ceteris modus imponatur*.

Perſpectum ſit 4. ex Synodo Altheimentenſi in inferiori Bavaria anno 916. Præſide Petro Ortanenſi Epiſcopo Johannis X. Pontificis Maximi Legato, cujus exemplar ab ſe conſpectum teſtatur lib. 4. rer. Mogunt. in Herigero Archiepiſcopo Serarius; deſideratur vero in Concil. collect. In præfatione enim hujus Concilii, quæ legitur apud Burchardum lib. 11. cap. 68, &

Ivo-

Ivonem, etſi apud iſtum nonnullo errato inſperſa, par. 14. cap. 116, ſic ajunt Epiſcopi: *Convenimus in Eccleſia, ... & mæſti conſedimus. Tum præfatus Sancti Petri, & Domini Johannis Papæ Miſſus proferens chartam Apoſtolicis litteris inſcriptam, qua monebamur, arguebamur, & inſtruebamur de omnibus ad veram Religionem Chriſtianæ fidei pertinentibus. Quæ omnia, ut juſtum, & dignum erat, humiliter accepimus, diligenter tractavimus, & devoto affectu omni modo amplectebamur.* Tanti nempe faciebant Romani Pontificis auctoritatem, ut officio ducerent illi admonenti, edicenti, & objurganti obſequi, obedire, & obtemperare. Perſpicuum fit 5. ex Synodo Quintilineburgenſi in Saxonia prope Halberſtadium an. 1085. congregata adverſus Germaniæ ſchiſmaticos, in cujus actis hæc habentur: *Quum ergo omnes juxta ordinem ſuum conſediſſent, prolata ſunt in medium decreta SS. Patrum de Primatu Sedis Apoſtolicæ: quod nulli liceat ejus judicium retractare, & de ejus judicio judicare: quod de totius Synodi publica profeſſione laudatum, & confirmatum eſt; & hoc utique contra Henricianos, qui Fideles S. Petri conſtringere voluerunt, ut excommunicationem D. Papæ Gregorii ſuper Henricum cum illis retractare præſumerent. Quidam autem*, ſubnectit Synodus, *Bambergenſis Clericus nomine Gunibertus Romani Pontificis primatui derogare volens in mediam Synodum ſe contulit, aſſerens* Romanos Pontifices hunc ſibi Primatum adſcripſiſſe, non aliunde conceſſum hæreditaſſe, videlicet, ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nam illi alicujus judicio ſubjacent. *Qui quum aperte a tota Synodo confutaretur, præcipue tamen a quodam Laico convictus eſt per illud evangelicum:* Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum: *Quum enim hoc in omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus obſervandum deputetur, ne major a minore judicetur, quis hoc Vicario S. Petri denegare poterit, quem omnes Catholici pro Domino, & Magiſtro venerantur?* Hæc Synodus. Quibus conſideranti ſatis ſignificat illiuſmodi Primatum Romano Pontifici ab ſe adjudicatum, quo cum ſuprema ſupra Concilium præfulgeret poteſtate, ac de fide pronuncianti ab omnibus foret parendum, quippe nullius judicio illum ſubjacere, a nullo illius judicium retractari poſſe affirmat: verbo: non ſecus ac S. Petrum, illum Ec-

 cleſiæ

cleſiæ Dominum eſſe, ac Magiſtrum. Confer hoc in Concilio dicta cum dictis in Conciliis mox commemoratis; & viden ſi Germanica Eccleſia diverſimode aliquando credidit, niſi velis ſibi ſatis eamdem non cohæſiſſe; aut magis etiam ab avita majorum ſententia turpiter ſeceſſiſſe: quod quam abs vero abhorret, tam in calumniam cedit.

Tenuiſſe, & credidiſse 5. Eccleſiam Hiſpanicam elucet 1. ex Synodo Tarraconenſi anno 465. celebrata, ex qua Epiſcopi ad S. Hilarum Pontificem Maximum ſcribentes, poſtquam ad Romanum Pontificem undique in cauſſis Eccleſiaſticis confugiendum affirmaſsent; S.Petrum ſupremæ illi Sedi præfectum omnium per Orbem illuminationi proſpexiſse: S. Petri Vicarium eſse Romanum Pontificem: ejus Principatum ſuper omnes eminere, atque ab omnibus metuendum æque, & amandum eſse: quibus ſane prædicant quæcumque nos Romano Pontifici vindicanda privilegia ſuſcepimus; ſubtexunt: *Nos Deum in Vobis penitus adorantes ... ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam; inde reſponſa quærentes, unde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur*. Ea ergo de re Apoſtolicam Sedem adeundam ſcribunt, quia a Pontifice quemadmodum a S. Petro judicia prodeunt ſine errore, & ſine præſumptione: ſed quid id ſignificat quæſo, niſi in fide falli, aut fallere Pontificem Romanum non poſse? Adparet 2. ex Synodo Bracarenſi I, aliis II. anno 560. adverſus Priſcillianiſtas celebrata, in qua poſtquam Lucretius Bracarenſis Epiſcopus retuliſset jam pridem adverſus eoſdem Priſcillianiſtas, S. Leone jubente, celebrata duo Concilia fuiſse in Hiſpania, Synodus ipſa Bracarenſis ex epiſtola ejuſdem S. Leonis ad Turribium, qua, quæ credenda, & quæ ſtatuenda adverſus Priſciallianiſtas ab illis Conciliis eſsent, præſcripſerat, capitula num. 17. contra Priſcillianiſtas relegit, quæ perinde cunctis populis Chriſtianis ſub anathematis pœna credenda, & cuſtodienda præcepit. Putas ne tam confidenter egiſſet Concilium, niſi S. Leone præeunte abeſſe procul errandi periculum credidiſſet? Liquet 3. ex Synodo Toletana III. anno 589. collecta, quæ can. 16. quemdam famoſum libellum a Gothis contra Romanam Eccleſiam elaboratum, quo iſta Arianæ hæreſeos inſi-

inſimulabatur, ſub anathematis pœna proſcripſit: *Quicumque*, inquit, *libellum deteſtabilem*, .. *in quo continetur Romanorum ad Arianam hæreſim traductio* ..., *pro vero habuerit*, *anathema ſit in æternum*. Sciebat ſane Eccleſia Hiſpanienſis hæreſes omnes a Romana Eccleſia confixas ire, & confoſsas, tantumque adeo abeſse, ut ulla ad eam ſacratiſſimam Sedem ab omni ſemper errore immunem accedat, aut valeat accedere. Sciebat a Toletana Synodo I. olim ſtatutum nihil unquam ſive circa Sacramenta, ſive circa fidem: *Contra Sedem S. Petri faciendum*. Cui cohærens Toletana III. cap. 1. Præſulum Romanorum decretales epiſtolas loco, & honore jugiter habendas indixit. Id adeo verum, ut jure in laudem Hiſpanicæ Eccleſiæ Garzias Loaiſa in not. ad Concil. Tolet. XII. n. 55. de Epiſcoporum nominationibus loquens dixerit: *Omnia hæc* (nempe Epiſcoporum electiones ad nominationem Regis, & placitum Synodi) *fiebant conceſſione Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis*, *cujus auctoritatem Eccleſia Hiſpaniæ ſemper majorem in modum coluit*, *& obſervavit*.

Tenniſse, & crediſiſse 6. Eccleſiam Anglicanam patet 1. ex Synodo Cloveshovienſi II. anno 747. ſub Cudberto Cantuarienſi: in ea epiſtola S. Bonifacii Moguntini devotionis erga Apoſtolicam Sedem refertiſſima perlecta: perlecta epiſtola S. Zachariæ Pontificis, & cuncta in eadem geſta, & decreta ad Pontificis juſſionem, & Romanæ Eccleſiæ regulas exacta, ut ex præfat., & capp. 13, 15, 16, & 18. pateſcit: *Scripta*, legitur ibidem, *toto Orbe Venerandi Pontificis Domini Apoſtolici Papæ Zachariæ in duabus chartis in medium prolata ſunt*, *& cum magna diligentia juxta quod ipſe Apoſtolica ſua auctoritate præcepit*, .. *recitata* .. *ſunt*. Proſpicitur 2. ex Synodo Calchutenſi anno 787. Hadriani I. Legatis aſſidentibus, cujus acta dein Romam ad Pontificem pro confirmatione tranſmiſſa ſunt, in qua cap. 1. ſummopere cautum eſt, ut omnes *Apoſtolicam fidem*... *ſicut tradita eſt a S. Romana Eccleſia per omnia confiteantur*, *teneant*, *& prædicent*, *& ſi opportunum venerit*, *pro ea mori non pertimeſcant*. Quam quidem fidem in Anglia duraſse integram ad ſuam uſque ætatem, hoc eſt annum 800, teſtatur Synodus altera Cloveshovienſis eo anno celebrata, *Sicut primitus*, inquiens, *a ſancta Romana*, *& Apoſtolica Sede*, *Beatiſſi-*

tiſſimo Papa Gregorio dirigente, exarata eſt, ita credimus, & quod credimus abſque ambiguitate, quantum poſſumus, exercere ſatagimus. Planum fit 3. ex Synodo Cantuarienſi præſide S. Lantfranco Archiepiſcopo anno 1072, in qua agens idem Archiepiſcopus contra Thomam Eboracenſem Archiepiſcopum, qui de Primatu Angliæ cum Lantfranco ex eo contendebat, quod S. Gregorius declarare potuiſset, ſi voluiſset, quod privilegia S. Auguſtino collata ad ipſius ſucceſsores tranſirent, in hæc reſpondit Synodus S. Lantfranci ore: *Quando Dominus, & Salvator noſter Jeſus Chriſtus dixit B. Petro*, Tu es Petrus &c. *potuiſset adjicere, ſi voluiſset, eamdem poteſtatem ſucceſſoribus tuis concedo. Verum dicti prætermiſſio nihil reverentiæ imminuit ſucceſsoribus Petri. Ibis ne his obviam? Referes ne adverſa? Enim vero omnium Chriſtianorum conſcientiis eſt indictum, ut nihilominus, quam B. Petro, ſucceſsoribus ejus, & minantibus adtremant, & ſerenam dignitatem indulgentibus gaudentes applaudant. Eſtque tunc demum omnium Eccleſiaſticarum rerum rata diſpenſatio, ſi ſucceſsorum B. Petri fuerit comprobata judicio. Quid illud agit? Niſi vis divinæ liberalitatis per Dominum Jeſum a B. Petro in Vicarios ejus diffuſa?... Ita quodam reſpectu Sedes Romana eſt genus, & totum omnium Eccleſiarum, & tamen in unaquaque Eccleſia totius Chriſtianæ fidei tota regnat integritas. Ipſa eſt major omnium Eccleſiarum, & quod in ea valet, debet valere in minoribus, ut poteſtas primi cujuſque Eccleſiæ Principis in ſuccedentes dimanet, niſi ſiquid perſonaliter, & nominatim excipit*. Tanti ponderis eſt, tantique pendenda, ſi iſti credas Synodo, Romani Pontificis poteſtas, ut id ubique, ſemperque valeat, quod illa ſemel juſſerit valere; ut eadem ſit in unoquoque Pontifice integra, quæ fuit in Petro; eidemque ſive indignetur, ſive indulgeat, omnibus acquieſcendum ſit. Confer Johannis Cantuarien. litteras ad Eduardum I. Angliæ Regem.

In aperto ponitur 4., atque in confeſsum venit ex Synodo Oxonienſi anno 1408. præſide Thoma Arundelio Cantuarienſi Archiepiſcopo, quæ præclarum de Apoſtolicæ Sedis privilegiis celebravit præconium, iſtis verbis præfata. *Qui præcepta legum, & canonum ab æternæ vitæ, & mortis Clavigero, vicem non puri homi-*

hominis, ſed veri Dei gerente in terris, & cui ipſe Deus cæleſtis Imperii jura commiſit, rite edita, canonice promulgata, ac etiam a SS. Patribus prædeceſſoribus noſtris uſque ad glorioſam ſanguinis effuſionem, & cerebri voluntariam ſparſionem firmiter obſervata, ſuæ innitentes prudentiæ, temere violare præſumunt, ac eiſdem doctrinis variis contraveniunt; ipſaque verbis, & factis contemnunt, ſunt pœna graviori puniendi, (quam qui Synodorum violant ſtatuta,) *& tamquam membra putrida a corpore militantis Eccleſiæ celeriter abſcindendi. Conſiderare enim deberent, quod ... in novo Teſtamento inter Apoſtolos diſcretio quædam fuit, & licet omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen a Domino conceſſum eſt, & ipſi Apoſtoli inter ſe voluerunt idipſum, ut reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & dictus Cephas, ideſt Caput, principatum Apoſtolorum teneret, cui dictum eſt:* Tu aliquando converſus confirma Fratres tuos. *Quaſi diceret, ſi dubium inter eoſdem emerſerit, ipſorumque aliquis in via fidei juſtitiæ, morum, aut rectæ converſationis erraverit, tu ipſum confirmes in bono; quod profecto non dixiſſet Dominus, ſi alios ſibi minime decreviſſet obedire.* Hæc ſacratiſſima de Apoſtolica Sede Anglis hærebat antiquitus ſententia; Romano Pontifici tamquam ipſimet S. Petro Chriſti D. vices in terris defungenti aures accommodandas, animumque adjiciendum jubens, ſive dum quæ circa fidem credenda eſſent, ſive dum quæ circa mores agenda, ediceret, & edoceret. Heu videant Anglo-Calviniani quam fœde ab avita Eccleſiæ Anglicanæ traditione, majorumque doctrina deſciverint!

Tenuiſſe, & credidiſſe Eccleſiam Gallicanam paullo poſt diſtincto articulo demonſtrabitur: ſcilicet eam Gallicæ gentis eximiam eſſe gloriam, quod ſicuti Reges Chriſtianiſſimi nihil antiquius habuere, quam ut erga Romanos Pontifices munificentiſſime, atque pientiſſime, qua defendendo, qua colendo, qua ditando agerent; ſic Eccleſia Gallicana ab exordio, deinceps, & in hanc uſque diem nihil ſacratius duxit, nihil habuit carius, nihil diligentius ſategit, quam Apoſtolicæ Sedis doctrinæ, moribus, legibus adquieſcere, adaptari, adhærere. Interea ſummopere diſplicet illud, quod quam frequenter, tam falſo ſacratiſſimæ Apoſtolicæ Sedis Oſores uſurpant, jactant, & venditant: ad verbi

Dei

Dei ſcripti, & traditi penitiora teſtimonia diligenter perpenſis, atque hinc, illinc libratis opinionibus, in illam demum ſibi deſcendendum oportuiſſe ſententiam, quæ Romano Pontifici cum ſupremam poteſtatem ſupra Concilia, tum in fide indeficientiam, niſi Eccleſiæ univerſæ acceſſerit auctoritas, abjudicat. Videlicet id viris non inſolens eſt, qui obtrectandi, & obſiſtendi peſſima prurigine exagitati, aut ſtudiis partium præpoſtere abrepti, aut pravis potius affectibus irretiti, ut impune quibusque illicitis laxent habenas, id capiunt conſilii ad fucum faciendum, commodataque ratione ad irrationabilia cohoneſtanda, ut ſe, ſuaque animi ſenſa ſub verbi Dei ſcripti, & traditi tutela tegant, vadeſque iccirco vocent Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Patres, Eccleſias. Ita plane Lelius, & Fauſtus Socini, Johannes Crelius, Jonas Glincthingius, & Johannes Ludovicus Wolzogenius Fratres Poloni nuncupati, a quo Unitarii prodiere, in ſua Bibliotheca tom 8. comprehenſa, quod a Socinis perceperant ſe verbo Dei ſcripto, & tradito adſtringi, ad amandandum Nicænum ſymbolum, tamquam opus tenebrarum, quo mendacii Pater Nicænis Patribus turpiter illuſit. Ita plane Johannes Hus, & Hieronymus Pragenſis Conſtantienſibus Patribus repoſuerunt, ſe ſua placita revocare non poſſe, utpote quæ a ſacra Scriptura, & Traditione religioſe accepiſsent. Ita plane Zuvinglius, & Albertinus ſe novitiam doctrinam de Chriſti Domini præſentia in Euchariſtia, qua Pater mendacii antiquæ Eccleſiæ avitam fidem nequiter fœdavit, & Romanam Eccleſiam turpem in errorem adductam obcæcavit, tam Scripturæ ſacræ, quam veteris Traditionis auctoritate adigi ad eliminandam, proculque abigendam, tanquam quæ inconcuſsæ veritati ſit inimica, & veræ fidei fundamenta ſubvertat, ſcripturierunt. Ita plane Dalæus effutiit ſe ad Scripturæ, & Traditionis æquam lancem dogma de Confeſſione auriculari libratum, & expenſum comperiiſſe illud impatibile eſse jugum Chriſti fidelium cervicibus inique a Pontificibus impoſitum. Ita plane Brennius Daniel Epiſcopii diſcipulus in tract. de regno Eccleſ. in tempore erigendo ex S. Scriptura, & Traditione adverſus Socinum Chiliaſtarum turpem errorem inſtaurare, futurumque millenarium in terris Chriſti Regnum ſuadere ignaris adnixus eſt.

eſt. Ita Limborchius e Remonſtrantium grege errores ſuos, quos cum Epiſcopio habuit communes, ex S. Scriptura ſuadere ſtuduit. Ita Enjedimus in explicat. locor. S. Scripturæ eó collineare omnia contendit, ut tres Perſonas a Divinæ naturæ conſortio penitus extrudant. Ita Sandius lib. S. Script. Trinit. revel., ex S. Scriptura Socinianorum errores ut conſtabiliret, ſategit; quos e contra ex S. Scriptura, & Traditione penitus profligare ſe poſſe confidit Johannes Adamus Scherzerus e grege Lutheranorum in ſuo collegio antiſociniano. Ita Poſtellus ab ſe ſcripta non tam ſua, quam Chriſti Domini eſſe, in quibus veluti Dei verbo omnino ſit adhærendum, neque unguem ab iis abſcedendum. Ita Hideux Doctor Pariſienſis in epiſt. die 2. Januarii anno 1717. ad Cardinalem Noallium inſcripta in hæc improbe exivit: ſe poſt quotidianam, maturamque puriorum S. Scripturæ fontium perveſtigationem, poſtque diurnam, nocturnam, diligentem, navamque ſacræ Traditionis diſquiſitionem, iccirco ut veritatem tandem hauriret, adſtringi ſe, & adigi ad habendam Conſtitutionem *Unigenitus* tanquam opus tenebrarum, quo mendaciorum Pater Eccleſiæ Patris integritati, ſollicitudini, & perſpicacitati fucum fecit, viſum perſonamque erroris impoſuit, illique fœdiſſime illuſit. Sed hos, horumque ſimillimos ſexcentos putidiſſimos, ac perditiſſimos tenebriones apage: atque de his hactenus. Quæ ad hanc adhuc partem I. pertinent, reliqua Tomus II. ſuppeditabit.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

Abdalas Edeſſenus Ignatii Patriarchae, gentis Syrorum, ſuoque nomine fidem, quam tenet, docetque S. Romana Eccleſia, profeſſus eſt, obedientiaque Eugenio IV. ſe obſtrinxit *pag.* 492.

Abaelardus Petrus a Synodo Senonenſi damnatus ad Apoſtolicam Sedem appellavit. Ab Innocentio II. confirmata in ipſum damnatio fuit *pag.* 268, & *ſeq.*

Academiæ Pariſienſis nomine de Pontificis Romani privilegiis egregia profeſſus, effatuſque eſt Petrus Alliacenſis ad Clementem VII. pſeudo-Pontificem *pag.* 320. & *ſeq.* Academiæ Pariſienſis, Viennenſis, Erfordienſis, Colonienſis, & Cracovienſis Concilii Baſileenſis decretis de poteſtate Concilii ſupra Pontificem aliquando ſunt adſtipulatæ. Earumdem ita opinandi cauſſa, agendi propoſitum, ac docendi ratio expenditur. Eiſdem aliarum Academiarum, earumdemmet etiam alias diverſa opinio, aliorum item Doctorum, Nationum, Eccleſiarumque adverſa ſententia opponitur, *pag.* 335, & *ſeqq.* Ab Academiis nonnullis multæ, variæque, excogitatæ, ac propoſitæ viæ fuere Conciliis Piſano, & Conſtantienſi ad ſchiſma extinguendum, extirpandumque: atque ſumma cautela agendum vel cum iis, qui de Pontificatu decertabant, demonſtrarunt *pag.* 352, & *ſeqq.*, 384, & *ſeqq.* Academiæ Pariſienſis propoſitiones in Concilio Conſtantienſi quædam rejectæ, & quædam poſtea a Richerio, Queſnello, aliiſque recoctæ *pag.* 400. Eadem Academia eodem in Concilio propoſitionem de poteſtate Concilii ſupra Papam certos intra caſus cohibuit *ibidem*.

Acta, quæ ſub S. Lini nomine circumferuntur, apocryphis ſunt adcenſenda *pag.* 21.

S. Aelredus Apoſtolicæ Sedi individue adhæſit, ejuſdemque egregias dotes laudibus celebravit *pag.* 277.

Aeneas Silvius, poſtea Pius II. ſenteniam de poteſtate Concilii ſupra Papam abdixit, ac pro Pontificia viriliter poſtmodum ſtetit *pag.* 330, 337, 404, & *ſeqq.*, 407, & 498. Baſileenſe Concilium œcumenici, legitimique gradu dejiciendum oſtendit *pag.* 449, 451, & 469. Supremam, Concilioque ſuperiorem Pontificis poteſtatem acriter defendit *pag.* 495. A Pontifice appellari ad Concilium prohibuit, appellanteſque pro meritis punivit *ibidem*, & *ſeqq.* Pragmaticam ſanctionem abolevit *pag.* 496, & *ſeq.* Orientales recta, ac vera edocuit *pag.* 497, & *ſeq.*

Æthiopes Romanæ Eccleſiæ unitati, ac doctrinæ ſe ſe adſtrinxerunt: Pontificis fidei, poteſtatique integre ſe permiſerunt *pag.* 491, & *ſeq.*

Africana Eccleſia, ejuſque Epiſcopi Ro-

Romani Pontificis dictis, decretiſque ex officio obedire, & obſequi religioni, ut decebat, duxerunt pag. 180, 183, & 261. In Africana Eccleſia ſub ævum S. Auguſtini, & Hunnerici Wandalorum Regis ingens Epiſcoporum fuit numerus pag. 128. Eadem Africana Eccleſia Romani Pontificis Primatum, eique adnexas prærogativas maximo abſe haberi in pretio oſtendit in Conciliis Zellenſi an. 418. pag. 577; Carthaginenſi, an. 402; Milevitano an. 416; Africanis an. 418; Africano an. 534; Africanis an. 646. a pag. 584. ad pag. 586.

S. Agatho ſe in fide infallibilem affirmavit, atque poteſtatem ſupra Synodum generalem VI. exercuit pag. 208, & ſeqq. Synodo legem ſtatuit, quam ex animo ſe amplecti Synodus profeſſa eſt pag. 210, & ſeqq., & 215. S. Agathonis litteras a Synodo VI. examini fuiſſe ſuppoſitas qui ajunt, exagitantur pag. 215, & ſeqq.

Albertus Sartianenſis Ord. Minor. Orientalibus ad ſacra noſtra perducendis ſedulo allaboravit; ac pleroſque reapſe ad parendum ſummo Pontifici adduxit pag. 490, & ſeqq.

Alexander III. Concilium Lateranenſe III. celebravit. Friderico Aenobarbo Imperatori denuntiavit ſui non eſſe Concilium indicere, nec Pontificem ad illud aut Curiam ſuam accerſere pag. 277. De ſuprema Pontificis auctoritate egregie edixit ibidem, & pag. 395; eademque ſuprema auctoritate in Concilio canonem condidit, atque Epiſcopis ſchiſmatis ejurandi formulam præſcripſit pag. 278.

Alexandrina Eccleſia Romani Pontificis ſupremam poteſtatem, ac in fide infallibilitatem profeſſa eſt ſæpe in Synodis congregata anno 339; 362; 430; 496. a pag. 564. ad pag. 566.

Alliacenſis Petrus ſuo, Academiæque Pariſienſis nomine præclare de Sedis Apoſtolicæ privilegiis diſſeruit pag. 320. Pro Concilii poteſtate ſupra Pontificem diſſerens, ea de Pontifice ſcripſit, & protulit, quæ Pontificem ſupra Concilium attollant: ea de Concilii præſtantia ſtruxit, & poſuit, quæ Concilii auctoritatem evertant: ea de Cardinalibus tradidit, quæ veri minus ſimilia ſint: ea tandem commiſcuit, & turbavit, quæ hominem parum ſibi cohærentem, æqualemque produnt pag. 315, & ſeqq. 320, & 422. De auctoritate Piſani Concilii jure, riteque dubitavit pag. 348, & ſeq. Ex Cardinalium Collegio Romanam Eccleſiam potiſſime poſt Papam conflari; ideoque abſque Cardinalium collegio nec Concilium celebrari, nec in Concilio quidquam decerni poſſe recte affirmavit pag. 390, & 399. Decreta Concilii Conſtantienſis ſeſs. 4, & 5. rite ad caſum ſchiſmatis coercuit pag. 415.

S. Ambroſius pro coercenda Nicolaitarum hæreſi in ſua Diœceſi graſſante, cui ipſe par non erat, teſte S. Petro Damiani præſidium a S. Siricio Papa poſtulavit, & impetravit pag. 593.

Amædeus VIII. Sabaudiæ Dux Baſileenſes ad officium reducere, atque Eugenio IV. reconciliare enixe ſtuduit pag. 441. Ignorans ſibi a Baſileenſibus vim inferri paſſus delatum Pontificatum admiſit, quo veritate comperta libens, liberque ſe abdicavit: Privilegiis a Nicolao V. propterea adauctus pag. 445. Baſileenſi ſchiſmate afflari nullo debet, ac po-

ac poteſt modo; qua in re peccatum a Blondo, & Raynaldo eſt. Quinimo optime de Eccleſia promeritus eſt, virtutibus, ſigniſque præfulſit, atque præconiis a Rom. Pontificibus eſt celebratus *pag.* 476, & *ſeq.*

Anaſtaſii Bibliothec. in colligendis, vindicandis, vertendiſque actis Synodi VIII. diligentia laude digna fuit *pag.* 231, & *ſeq.*

Andreas Magorenſis pro ſuprema Concilii poteſtate decertans plurima circa hiſtoriam, Chronologiam, Logicam, Criticam, ac Theologiam turpiter peccavit: ſed & de ſua opinione graviſſime dubitavit *pag.* 321, & *ſeqq.*

Andreas Abbas Ægyptius Johannis Patriarchæ, ſuo, ſuorumque nomine Apoſtolicæ Sedis unitati, ac doctrinæ adſtipulatus eſt *pag.* 490, & *ſeq.*

Anglicana Eccleſia, ejuſque Reges, Epiſcopi, & Doctores optime olim de Romano Pontifice promeriti ſunt, præclaramque de ipſius prærogativis animo prætulerunt ſententiam *pag.* 443, 448. Speciatim vero in Synodis an. 747; 787; 800; 1072; 1408. *a pag.* 597. *ad pag.* 599.

Antiocheni Concilii anno 378. Metropolitæ 7. Epiſcopi 146. Decretis fidei a S. Damaſo adverſus hæreticos editis ultro, citroque ſyngrapham appoſuerunt *pag.* 154.

Antiochena Eccleſia pari religionis, officiique obſequio Romani Pontificis divinas prærogativas, infallibilitatem ideſt, potioremque in Eccleſia poteſtatem ſæpius in Synodis coadunata coluit an. 270; 379; 450. *a pag.* 566. *ad pag.* 568. Vide V. *Orientales*.

Appellantium exempla pleraque, ac præclara tum eorum, qui ante Trullanam, Sardicenſem imo Synodum, tum eorum, qui poſt id temporis ad Romanum Pontificem provocaverunt, proferuntur *pag.* 150, & 151. Ad Romanum Pontificem appellandi facultas facta cuilibet a Synodo Sardicenſi adverſus obtrectatores defenditur *pag.* 152, & *ſeqq.* Ad Imperatorem nequaquam appellavit Neſtorius *pag.* 163. Appellari a Pontifice nemini, nullamque ob cauſſam, nulloque in caſu licet *pag.* 238: neque ad Synodum *pag.* 289, 367, & 495: bene vero a Synodo ad Pontificem cuicumque fas eſt provocare *pag.* 243. Appellantes vel a Synodo ad Sedem Apoſtolicam, vel a Synodo ad eamdem ſedem dimiſſi ſunt *pag.* 268, & *ſeq.* Appellantium nonnullorum a Pontifice ad Concilium exempla exhibentur *pag.* 495, & *ſeqq.* Ita tamen appellantes graviſſimis pœnis affecti ſunt *ibidem*.

Aquilejenſis Eccleſia Romani Pontificis auctoritatem potiori, ſupremoque loco habuit *pag.* 586.

Arcani diſciplina olim in Eccleſia ſacra, quæ, quando, in quibus, & cum quibus adhibita, religioſeque cuſtodita *pag.* 550. Quo tandem tempore ejuſmodi diſciplina in Eccleſia ſive Orientali, ſive Occidentali deſierit *ibidem*.

Archiepiſcopos inter Aquilejenſem, Mediolanenſem, & Ravennatem aliquando de priori loco diſputatum eſt *pag.* 35, & 36.

Arelatenſis Synodus I. anno 314. in epiſtola Synodica ad S. Silveſtrum præclara de Pontificis poteſtate profeſſa eſt *pag.* 253. Textus integer ei reſtitutus, & vindicatus eſt *ibidem*.

Ariminenſis Synodi Epiſcoporum

numerus longe inferior eorum, qui in Eccleſia tum erant Epiſcopi, fuit *pag.* 127, & *ſeqq.* Ariminenſium lapſus Janſeniſtarum, ac Queſnelliſtarum cauſſæ nihil prodeſt *ibidem*. Eorumdem Patrum integra fides ab impacta calumnia vindicatur *pag.* 133, & *ſeqq.*

Armeni Romani Pontificis fidei, poteſtatique integre ſe permiſerunt *pag.* 271, 284, & 490. Ejuſdem divinas prærogativas ſuo loco pariter habuerunt *pag.* 570.

Arnaldus Brixienſis ab Innocentio II. damnatus eſt: ejus libri non ſecus atque libri Abaelardi igni cremandi devoti ſunt *pag.* 270.

S. Athanaſius de Romani Pontificis auctoritate, prolatiſque ab eo ſententiis præclaram animo prætulit opinionem *pag.* 576.

Auctor obſervat. crit. in hiſt. Fleurii ad Romani Pontificis vindicanda privilegia nonnulla fruſtra ex pſeudo-epigraphis abſque delectu protulit *pag.* 146.

Auctores, qui a tempore Concilii Conſtantienſis, & Baſileenſis pro ſuprema, potiorique Pontificis auctoritate pugnarunt, laudibus exornantur, inter quos Anonymus Iacobi Miſnienſis impugnator, Mauritius Pragenſis, Johannes Patriarcha Antiochenus, Cardinales, Epiſcopi, & Doctores quamplurimi in utroque jure peritiſſimi, Theologi, virique plurimi doctrina, ac ſanctitate præſtantiſſimi, Academiæ pleræque, aliique dignitate, ac ſapientia præclari: ex Græcis, aliiſque Orientalibus præterea quamplures dignitatibus, officiis, ac doctrina conſpicui *pag.* 304, & *ſeqq.* Ex adverſo pro Concilii poteſtate ſupra Pontificem ſtetere plerique, e quibus Gerſonius, Petrus Alliacenſis, Andreas Magorenſis, Stephanus Pragenſis, Nicolaus Cuſanus, Æneas Silvius, Nicolaus Panormitanus, Dionyſius Carthuſianus, aliique perpauci, qui ad unum omnes facile aut explicantur, aut repelluntur *pag.* 309, & *ſeqq.* Academiarum nonullarum ſub id temporis docendi, agendique ratio vel exponitur, vel reſpuitur *pag.* 335, & *ſeqq.*

Auxilius Presbyter omnium primus Sedem Apoſtolicam inter, atque Pontificem in ea ſedentem diſtinctionem invenit, invexitque *pag.* 7. Quæ de Auxilio opinio inſederit Johanni Morino. Quid de ejuſmodi diſtinctione ſenſerint Galliarum Antiſtites *ibidem*, & *ſeqq.*

B

Babylonis nomine apud S. Petrum in epiſtola ad Romanos Romam veniſſe certo certius eſt: Aegypti, aut Chaldææ urbem eo nomine deſignatam pugnantes Proteſtantes refelluntur *pag.* 10, & *ſeqq.* Dubitantes num revera Roma deſignata ſit Petrus de Marca, & Harduinus ſugillantur *pag.* 11.

Bagotius Pontificem ex cathedra loquentem perperam explicans exploditur *pag.* 3.

Bailletus cum Queſnello affirmans poſſe quempiam communione, ſacrorumque conſortio cum Eccleſia conjungi, quin cum Romano Pontifice communicet, quinimo etſi ab eo ſit excommunicatus, turpis erroris coarguitur *pag.* 534, & *ſeq.*

Balſamon, & Cedrenus Sardicenſes canones de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam perperam interpre-

pretantes, aliorſumque intorquentes a Chriſtiano Lupo egregie vexantur, & vapulant pag. 154.

Baluzius libello Virgilii ad Juſtinianum, & Theodoram a Synodo VI. falſis adnumerato auctoritatem vindicans repellitur pag. 201, & ſeq.

Barchoſius cum Janſeniſtis aliis, Queſnellianiſque S. Paulum æque, atque S. Petrum Romanum Epiſcopum fuiſſe, egiſſeque ſcripturiens refellitur pag. 24, & ſeqq.

Baronius acta Synodi V. interpolata autumans non audiendus eſt pag. 208. Litteras S. Leonis II. ſubdititias exiſtimans emendatur pag. 214. Iulianum Cardin. Cæſarinum Synodo VIII. minus æquum corrigens commendatur pag. 238. Decretum Gelaſianum de libris ſacris, & ſuppoſititiis defendens laudibus celebratur pag. 251.

Baſileenſe Concilium ſententiæ de poteſtate Pontificis ſupra Concilium nihil nocuit, quinimo plurimum profuit pag. 424, & ſeqq. Eam agendi rationem tenuit, ut ab initio uſque ad exitum ſe illegitimum proderet: totumque in id incubuit, ut ſemet præpoſtere, ac nefarie ſupra Pontificem erigeret pag. 425, & ſeqq. In Baſileenſi Concilio Pontificis privilegia egregie, enixeque tuiti ſunt Eugenii IV. Legati pag. 428, & ſeq.; Legatis illis reſponſiones nonnullas Concilium dedit, quibus ſuaderet ſibi primas ſupra Pontificem eſſe tribuendas: ſed eas imo parvi eſſe pendendas oſtenditur pag. 429, & ſeqq. Eo in Concilio Eugenii Legati nihil adverſus Pontificis auctoritatem peccarunt pag. 437. Baſileenſium audaciam, & attentata in Pontificem Imperator, Regeſque vehementer execrati ſunt pag. 440. In Baſileenſium partes incaute, inſciteque nonnulli pertracti ſunt pag. 441. Eadem in pſeudo-Synodo impudentiſſime a nonnullis Præſulibus multo nomine objurgandis in Eugenium animadverſum eſt pag. 442. In Eugenii tamen obedientia, & obſequio religioſe, reverenterque manſit, & permanſit Eccleſiarum potior pars pag. 443, & 448. Contra ſteterunt alii ibidem. Neutram partem alii ſunt amplexati, qui poſtea tamen Eugenio, ut par erat, obedientia ſunt adſtricti ibidem, & ſeq. Nihil ex eo Concilio extundi adverſus ſuperiorem Pontificis poteſtatem poteſt pag. 445, & ſeqq. Nec œcumenicum, nec legitimum fuit, nec ab Eugenio approbatum pag. 446, & ſeqq. Neque in eo invicem conſenſerunt, qui illud componebant: diſſenſere vero, aut defuere Apoſtolicæ Sedis Legati pag. 449, & ſeqq. Neque iterum in eo libera erant ſuffragia; ſed plurima a pleriſque uno ex odio in Eugenium, aut ex partium ſtudio præfracte, atque præcipitanter agebantur pag. 450, & ſeqq. Nigris notis a viris dignitate, ſanctimonia, doctrinaque præclaris idem Concilium perſtrictum fuit pag. 453, & ſeq. Turpiſſimos in errores prolapſi Baſileenſes ſunt pag. 456. Ab Eugenio maxime, & ſub eo congregata cum Ferrariæ, tum Florentiæ Synodo proſcripta pſeudo-Baſileenſis Synodus eſt pag. 456, et ſeqq. 465, et ſeqq., 470, et ſeq. A Leone X. deinde, et a Concilio Lateranenſi V. pag. 501, et ſeq. A ſchiſmatis macula expurgari nequit pag. 473, et ſeqq. Notari tamen eadem macula non debent nonnulli, qui eidem Con-

Concilio adhæſere aliquando *pag.* 475,et *ſeqq.*Qui pro ejus auctoritate pugnant exagitantur, & refelluntur *pag.* 456, et *ſeqq.*, 471, et *ſeqq.*

Beguardi, & Beguinæ, una cum Johanne Olivi a Clemente V. in Concilio Viennenſi ſuprema, decretoriaque ſententia damnati ſunt *pag.* 302.

Bellarminus recte canonem 3. Concilii Lateranenſis IV. eſt interpretatus *pag.* 282. De Lateranenſi V optime eſt opinatus *pag.* 504.

Berardi Sebaſtianus adverſus Turrianum, atque Echellenſem pro 20 dumtaxat Nicæni Concilii canonibus pugnavit *pag.* 145.

S. Bernardus de Romani Pontificis divinis prærogativis optime ſenſit, dixit, ſcripſit *pag.* 267, et 269. A Cardinalibus objurgatus aliquando eſt, quod Romana Eccleſia inconſulta ſymbolum in Concilio Remenſi procudiſſet *pag.*271, et *ſeq.*

S. Bernardinus Senenſis, etſi græci idiomatis ignarus, tamen afflante Spiritu Sancto græce in Concilio Florentino egregie adeo diſſeruit, ut magna cauſsæ pars fuerit, cur Græci ad frugem regreſſi ſint *pag.* 481.

Beveregius. Videſis V.*Wanefpenius*.

Blanchinii, & Blanchi eruditæ conjecturæ de itinere Romano, itineris occaſione S. Petri, ejuſdemque anno emortuali *pag.* 21, et 22.

Blanchinius Conſtantinum Imperatorem a S. Silveſtro revera baptizatum, ab Euſebio Nicomedienſi autem confirmationis Sacramento ſolummodo initiatum autumavit *pag.* 147. S. Scripturæ canonem a S.Gelaſio adornatum a Proteſtantium invidia liberavit,egregieque defendit *pag.* 251. Blanchus Vigilii libellos ad Juſtinianum, et Theodoram, atque viciſſim, tanquam eos, qui fuerunt revera ab Hæreticis confiсti, atque propterea fuiſse a Synodo VI. confixos adverſus Baluzium oſtendit *pag.* 202.

S. Bonaventura in Romano Pontifice ſupremam poteſtatem, poteſtatiſque ſummam in ceteros derivandam conſiſtere docuit *pag.* 547.

Boſſuetius ob ea, quæ præclare in laudem S. Petri, atque Romani Pontificis, diſſeruit, deque ipſius privilegiis egregie dixit, præconiis exornatur *pag.* 8, 105, 126, 154, 262, 350. Ideo vero, quod Romani Pontificis privilegiis ideſt infallibilitati, ac præ Concilio potiori auctoritati parum ſe æquum præbuit, atque eſt adverſatus redarguitur, et repellitur *pag.* 3, 114, 159, 174, 189, 214, 222, 240, 264, 297, 302, 339, 347, 352, 375, 390, 405, 446, 454, 456, 503.

C

S. CÆleſtinus I. ſupremo jure uſus Neſtorium nefandæ hæreſis nomine condemnavit *pag.* 160, et *ſeqq.* In Epheſinam Synodum coactivam auctoritatem, ſupremamque exercuit *pag.* 161, et *ſeqq.* Quædam ejuſdem Synodi acta infirmavit, et infregit *pag.* 166. Eccleſiæ totius curam divinitus demandatam ab ſe circumferri edixit *ibidem*.

Callixtus II.in Concilio Lateranenſi I. pro ſuprema ſua poteſtate canones condidit *pag.* 266.

Canones 3. Concilii Conſtantinopolitani I., & 28. Chalcedonenſis Concilii

cilii Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ cum Romana æqualitatem minime præferunt *pag.* 170 , & *ſeq.* Canones in Conciliis ſe ſolo condere, aut conditos a Conciliis etiam œcumenicis infirmare , & infringere Romanus Pontifex poteſt *pag.* 565. Vide verbo Concilium Conſtantinopolitanum I, Chalcedonenſe , Nicænum II, Conſtantinop. IV, Lateranenſe I , II , & III , Lugdunenſe II, Viennenſe, Conſtantienſe, Baſileenſe , Florentinum , Lateranenſe V, & Tridentinum .

Cardinalium inſtitutio cuius juris ſit exiſtimanda ; cujuſmodi olim eorum nomenclatio , ac munus : quibus fuerint adaucti *pag.* 316. Unanimi ſententia , ac viriliter in Concilio Conſtantienſi Romani Pontificis privilegia loco ut ſtabilirent ſuo , ac illibata ſervarent, ſategerunt *pag.* 359, & *ſeq.*, 382, & *ſeqq.*, & 400. Nonnulli Iulio II. inobedientes , ipſoque inſcio Synodum Piſis indicere auſi pœnas juſtas dederunt: culpam agnoſcentes, ac confeſſi , veniam impetrarunt , dignitatemque recuperarunt *pag.* 499, & *ſeq.*

Cariophylus Matthæus inſignem S. Johannis Chryſoſtomi locum de SS. Petro, & Paulo egregie, riteque expoſuit *pag.* 28, & 29.

Carolus V. præter jus, & fas, atque conſcientiam, conſenſumque Romani Pontificis Edicta in religionis cauſſa evulgavit, quæ propterea a Paulo III. ſunt abrogata *pag.* 508., & *ſeqq.* Edicto ejuſdem *Interim* inſcripto Catholici ubique contradixerunt : ex Acatholicis vero adhærere alii , ſed alii ſunt adverſati *ibidem* , & *pag.* 510.

Caſſander Georgius firmiſſime Pontificis Romani in Eccleſia Primatum , ac Monarchicam auctoritatem adſtruxit *pag.* 40. Laudatus etiam a Grotio eſt *ibidem* .

Catalanus Joſephus ob egregias obſervationes in Concilia , eorumque canones laudibus exornatur *pag.* 91; ob increpatum item , caſtigatumque jure, meritoque Queſnellum *pag.* 207.

Cavalcanti Archiepiſcopus Conſentinus minus vere epiſtolas pſeudo-epigraphas S. Marci Papae ad Athanaſium , & S. Athanaſii ad Marcum probavit *pag.* 143.

Caveus Guillelmus e Proteſtantium grege Legatos S. Leonis in Concilio Chalcedonenſi depravati canonis Nicæni temerarie traducens caſtigatur *pag.* 171. A S. Leone M. infirmis argumentis canonem 28. Chalcedonenſem impetitum impudentiſſime effutiens exſuflatur *pag.* 172. Decretum denique Gelaſianum de libris genuinis, & apocryphis inique inficiatus refellitur, & refutatur *pag.* 251.

Cauſſæ Eccleſiaſticæ majores ſive civiles , ſive criminales ad unum Romanum Pontificem pertinent . Philippus Galliarum Rex iis ſe ingerere præſumens a Pontifice eſt objurgatus *pag.* 300. Theodoſius e contra Imperator ultrocitroque eaſdem ad Pontificem dimiſit *pag.* 587.

Ceillierius levibus admodum ductus momentis librum Synodicum ſubdititiis deputavit *pag.* 575. Quamquam integram præfato libello fidem haud eſſe præbendam graviora alia ſuadent *pag.* 576.

Chaldæi Romanæ Eccleſiæ unitati , ac fidei ſe ſe adſtrinxerunt *pag.* 490.

Chamierus , Spanhemius , aliique Acatholici , ex Catholicis imo nonnulli S. Cypriani teſtimonio , auctoritateque abuſi caſtigantur *pag.* 3, 71, 94, & 106.

Clavium poteſtatem non S. Petro , non Apoſtolis , non Pontifici , non Epiſcopis , ſed Chriſtifidelium commu-

nitati a Chriſto D. collatam quinam commenti ſint *pag.* 22, 23, & 24. qui ad unum omnes caſtigantur *pag.* 25, & *ſeqq.*
Clemens IV Græcos de Apoſtolicæ Sedis in fide infallibilitate, potiorique in Eccleſia poteſtate egregie erudivit *pag.* 292, & *ſeq.*
Clemens V. Pontificis Romani privilegia egregie expreſſit *pag.* 299, & *ſeq.* Conſtitutiones nonnullas in Concilio Viennenſi pro ſuo arbitrio edidit, mutavit, reſcidit, & reſtituit *pag.* 301. Hæreticis pleriſque dicam appinxit *pag.* 302.
Clemens Alexandrinus a BENEDICTO XIV. novæ Martyrologii editioni iccirco non eſt inſcriptus, quia nec ſatis ab erroribus eſt expurgatus, nec ſatis de ejus ſanctitate, cultuque eidem impenſo conſtat *pag.* 70, & *ſeq.*
Cluniacenſes Monachi Sedi Apoſtolicæ ſtudentiſſimi, ac individue adſtricti laude omni digni ſunt *pag.* 266, & *ſeq.*
S. Columbani epiſtola ad S. Bonifacium IV. de tribus Capitulis expenditur: num genuina ea ſit dubitant eruditi: quæ S.Columbani germana fuerit, de Pontificis Romani infallibilitate ſententia, attingitur *pag.* 188, & *ſeq.*
Communio ſub utraque ſpecie, ſive Calicis etiam uſus num Bohemis, Germaniſque concedi deberet, in Concilio Tridentino diſceptatum eſt, inque plures itum ſententias. Res tandem decernenda ad Romanum Pontificem eſt dimiſſa *pag.* 526.
Communio, & conſenſio cum Romana Eccleſia in rebus ad religionem attinentibus omnibus ad ſalutem aſſequendam neceſſaria omnino eſt *pag.* 533, & *ſeqq.*, 563, & *ſeqq*, & 566. Qui contra pugnant Increduli, & Proteſtantes ſub vario ementito nomine increpantur, ſed & Catholicorum non nemo objurgatur *pag.* 535., & *ſeqq.* Quibus olim modis communio iſta, & conſenſio conſoveretur, et conficeretur *pag.* 548, et *ſeqq.* Vide verbo *Fermentum*, & *Formatæ litteræ*.
Concilia indicere cujuslibet generis Pontifex ubique poteſt, ſive qua Primas, ſive qua Patriarcha: quotuplicis generis Concilia ſint: quæ olim Romæ celebrata, quæ Pontificis juſſu celebrata in Oriente, et quæ in Occidente *pag.* 244, et *ſeqq.*, et 274. Ad Concilia Romæ, aut alibi indicta, qui, et a quibus, ac unde vocati *pag.* 250, et *ſeqq.* Concilia diverſi generis Generalia, Patriarchalia, Nationalia, Provincialia, et Diœceſana ſive Romæ, ſive alibi, qua in Oriente, qua in Occidente convocare, eiſque per ſe, vel per Legatos præſidere Pontifex poteſt; et frequens quidem convocaſſe, ac per ſe, aut per Legatos præſediſſe teſtimoniis, exempliſque fit evidens *pag.* 245, et *ſeqq.* Quo tempore, a quibus aliis, et quænam indici poſſint *ibidem*.
Concilii potioris, ſuperioriſque poteſtatis indicium non eſt ad examen aliquando Pontificia decreta deducere *pag.* 177, et *ſeqq.*, 184, et *ſeq.*; 215, et *ſeqq*, 213, 240, et *ſeq.* Concilii generalis auctoritas ſupra Pontificis auctoritatem ex S.Scriptura non ſuadetur *pag.* 122, et *ſeqq.* Concilium generale abſque Pontifice eſſe nequit *pag.* 123, et *ſeqq.* Ei auctoritas ex Pontificis aſſenſu accedit, quo accedente tum demum certæ fidei evadit *pag.* 124, et *ſeqq.*; quo deficiente in caſſum omnino cedit *pag.* 176. Acatholici, et Janſeniſtæ id inficias euntes exagitantur *pag.* 125, & *ſeqq.* Illud indicere non Imperatoris, ſed unius Pontificis eſſe probe Epiſcopi agnovere *pag.* 276. Conciliorum generalium decreta a Pontifici-

bus approbata, quæ ad fidem pertinent, ad examinis incudem revocari nequeunt *pag.*217. Concilia approbantes Pontifices Conciliorum decreta omnia, & canones approbaſſe illico non debent intelligi *pag.*463, & *ſeq.* Vide V. *Canones*. Conciliis ſolemne fuit ſemper ad Pontificem Romanum Synodicas mittere pro accipienda gerendarum rerum regula, ſive pro rerum geſtarum ratione reddenda *pag.*557, & *ſeqq.* A Conciliis quod attentatum adverſus Pontifices aliquando eſt, per ſummum nefas id factum, vel nonniſi factum cum Pontificibus dubiis, aut ſchiſmaticis declaratur *pag.* 581. Pontificem a Concilio in judicium expoſtulari non poſſe; quinimo Pontifici a Concilio omnino parendum, auſcultandumque, & a Pontifice in Concilia ipſa ſupremum jus diſtringi poſſe Concilia frequens affirmarunt *ibidem*, & *ſeq.*, item *pag.* 595.

Concilium Nicænum, & Sardicenſe. Vide V. *Nicænum*, & *Sardicenſe*. Conſtantinopolitanum I. ſupremam Pontificis Romani poteſtatem, ac infallibilitatem agnovit *pag.* 154, & *ſeqq.* Ex confirmatione Pontificis œcumenicum evaſit *pag.*156, & *ſeq.*, Ejuſdem canon 3. ſola Pontificis auctoritate infirmatus eſt *pag.*158. Symbolum fidei ab eo adornatum nonniſi longe poſt ab Eccleſiis latini eloquii uſurpari cœpit *pag.* 158. Concilium Epheſinum. Vide V. *Epheſinum*. Concilium Chalcedonenſe quoto, quantoque Epiſcoporum numero conſtiterit *pag.* 166. Pontificis ſupra ſe poteſtatem iſtare probe agnovit; ipſumque in fide infallibilem eſſe adfirmavit *pag.* 167, & *ſeqq.* Ejus latinam verſionem adornavit, aut Ruſticus Rom. Eccleſiæ Diaconus, aut Julianus Coenſis Epiſcopus *pag.*169. Actio II. ejuſdem Concilii eſt genuina, Queſnelluſque id inficiatus repellitur *ibidem*. Actiones 16., & deinceps germanis Concilii actionibus haud ſunt adcenſendæ *ibidem*. Pleraque ad S. Leonem Papam decernenda, ac determinanda Concilium dimiſit *pag.* 176. S. Leonis litteras examini minime ſubmiſit *pag.* 174, & *ſeqq.* Concilium Conſtantinopolitanum II. Pontificem ceu ſuperiorem inferiori ſibi ſuperſtare agnovit *pag.* 180., & *ſeqq.* Ad Concilium neceſſariam eſſe Pontificis vel præſentiam, vel aſſenſionem, eumdemque falli, & fallere eſſe neſcium perſpectum habuit *pag.* 182., & *ſeqq.* Pontificis ſententias examini non ſubjecit *pag.* 184. Concilium iſtud approbarunt Pontifices *pag* 185, & *ſeq.*, quorum demum auctoritate motæ ceteræ Occidentis Eccleſiæ amplexatæ ſunt *pag.* 187, & *ſeq.*, & 193; paucis exceptis, quibus propterea ſchiſmatis nota deinceps adhæſit *pag.*187, a qua tamen nota plerique alii jure optimo expurgantur *pag.*189. Eo in Concilio de perſonis dumtaxat, neutiquam de fide actum eſt *ibidem*, & *ſeqq.* Eo a Concilio nihil adverſus Chalcedonenſe eſt attentatum *pag.* 195, & *ſeq.*

Concilii Conſtantinopolitani III. acta ſpuria non ſunt, ut perperam cenſuit Albertus Pighius caſtigatus propterea a Combefiſio, ſed legitima ſunt, neque fuere interpolata, ut falſo exiſtimavit Baronius exploſus perinde ab eruditis pleriſque *pag.* 208. Idem Concilium poteſtatem ſupremam in Pontifice, ejuſdemque in fide infallibilitatem confeſſum, & veneratum eſt *ibidem*, & *ſeqq.* S. Agathonis litteras, aut S. Martini I. decreta ad examen mini-

 ni-

nime revocavit *pag.* 215, & *ſeq.* Concilium Nicænum II. Vide V. *Nicænum II.* Concilium Conſtantinopolitanum IV. ad unius Pontificis nutum, voluntatemque cuncta peregit, ab ejuſdem placitis omnino pendens *pag.* 226, & *ſeqq.* Formulari fidei a Pontifice miſſo ſubſcribentes Epiſcopi præclara de Pontifice ſunt profeſſi *pag.* 230. Ejus acta a Photio, Græciſque ſchiſmaticis fuerunt interpolata *pag* 231, & *ſeq.* Cauſſas Pontificem attingentes ad ipſum dirimendas dimiſit *pag.* 232, & *ſeq.* Pontificis judicio Epiſcopos omnes ſubeſſe, ac ſtare debere agnovit: Pontificem vero a fide indeficientem, ac præ Concilio potiori auctoritate pollentem *pag.* 233, & *ſeq.*, & 237. Id inficias euntes exploduntur *pag.* 235, & *ſeq.* Œcumenicum certe fuit, contra quam ſenſit Julianus Cæſarinus *pag.* 238. Confirmationem actorum ab Hadriano petiit *p.* 239. Pro diſpenſationibus ad eumdem Pontificem confugit *p.* 240. Se in Pontificem nullo modo poſſe planum fecit *p.* 242, & *ſeqq.*

Concilium Lateranenſe ſub S. Martino I, ſub Callixto II, ſub Innocentio II, ſub Alexandro III, ſub Innocentio III. Vide V. *Lateranenſe.* Concilium Lugdunenſe I. ſub Innocentio IV.; Lugdunenſe II, ſub Gregorio X. Vide V. *Lugdunenſe*. Concilium Remenſe ſub Eugenio III. Vide V. *Remenſe*. Concilium Viennenſe ſub Clemente V. Vide V. *Viennenſe.* Concilium Piſanum. Vide V. *Piſanum*. Concilium Conſtantienſe adverſus Pontificis legitimi privilegia nihil egit, nihil decrevit, nihil attentavit, quinimo Pontificem prorſus infallibilem, ac potiori auctoritate præditum agnovit probe, & adfirmavit *pag.* 356, & *ſeqq.* Ejuſdem Concilii variæ collectiones adornatæ, editioneſque procuſæ prodierunt: quæ omnium exactior haberi poſſit *pag.* 357, & *ſeq.* Eo in Concilio Cardinales præfata Pontificis privilegia enixe vindicarunt *pag.* 359. Item Doctores in utroque Jure quamplurimi, iique præſtantes *pag.* 360, & *ſeq.* Ex decretis ſeſſ. 4, & 5. ejuſdem Concilii nihil extundi poteſt, quo Pontificis ſupremæ auctoritati derogetur *pag.* 374, & *ſeqq.* Nam decreta ſeſſ. 4. infirmæ admodum ſunt auctoritatis *pag.* 377, & *ſeqq.* Decreta vero ſeſſ. 5, vel legitima non ſunt ex defectu conſenſus, & examinis *pag.* 381, & *ſeqq.*; vel infirma, eo quod œcumenicum Concilium tum non eſſet, nec proinde ea decreta conciliariter facta fuerint *pag.* 391, & *ſeqq.*: vel quod ea decreta haud probaverit Martinus V. Pontifex Maximus *pag.* 398, & *ſeqq.*: vel ea demum decreta locum dumtaxat habuerint in caſu Pontificis dubii, ac illegitimi, non etiam legitimi, & indubii *pag.* 406, & *ſeqq.*: ſed & Concilium cautela ſumma agendum duxit erga Pontifices dubios, illegitimos, ſchiſmaticos, hæreſiſque ſuſpectos *pag.* 409, & *ſeqq.* Concilium Baſileenſe, Florentinum, Lateranenſe V, Tridentinum. Vide ſub ſingulorum titulis. Quod pertinet ad Concilia particularia indicabuntur a peculiaribus Eccleſiarum nominibus, in quibus habita ſunt.

Conſtantinopolitana Eccleſia Romani Pontificis primatum, eidemque adjunctas prærogativas loco, & honore habuit, frequens in Conciliis particularibus congregata an. 382, 449, 497, 520, 536, 1276., a *pag.* 561, ad *pag.* 564. Vide V. *Concilia Conſtantinopolitana*: & V. *Orientales*.

Con-

Conſtantinum Imperatorem non Romæ a S. Silveſtro, bene vero Nicomediæ ab Euſebio baptizatum fuiſſe, qui nam referant, quinam confirment, quinam pernegent *pag.* 147.

Controverſiæ fidei juxta veterem, jugiterque in Eccleſia uſitatam diſciplinam adPontificem ſunt deferendæ:Ita aſſeruere Patres, ita Eccleſiæ præſtitere *pag.* 542, 545, & 586; A Pontifice definitæ in fidei dogmata evadunt nullo etiam expectato Eccleſiæ conſenſu *pag.* 583, & *ſeq.*; 593, & *ſeq.*; 595, & *ſeq.*; 600., & *ſeqq.* Qui e contra id privilegii Pontifici nullo accedente Eccleſiæ conſenſu abjudicant, heterodoxorum huic in re haud abſimili relegunt veſtigia *ibidem*.

Correctio alia ex juſtitia, alia fit ex charitate: illa convenit ſuperiori erga ſubditum: iſta ſubdito erga ſuperiorem: iſtaque poſteriori erga S. Petrum uſus eſt aliquando S. Paulus *pag.* 27.

Coutantius minus recte conjecit in cauſſam morarum,ob quas Orientales olim convenire ad Synodum Romæ a S.Damaſo Papa indictam detrectarunt *pag.* 155.

Cypria Eccleſia probiſſime de Romano Pontifice, ejuſque divinis privilegiis cenſuit, & credidit *pag.* 260, & 571. Vide V. *Orientales*.

S. Cyprianus de Primatu Romani Pontificis, eidemque adnexis prærogativis optime loquutus oſtenditur adverſus ejuſdem obtrectatores *pag.* 3, 71, 94, & 106. Ejuſdem de Apoſtolatu, & Epiſcopatu germana ſententia a ſiniſtra Proteſtantium interpretatione vindicatur *ibidem*. Ejuſdem item de religioſe retinenda cum Romana Eccleſia a ceteris ubique Eccleſiis communione locus laudatur *pag.* 544, et *ſeq.*

S. Cyrillus Alexand. ad fidei definitiones, et hæreticorum damnationes Romani Pontificis ſententiam omnino deſiderari ſcripſit, et docuit *pag.* 161. S. Cæleſtini vicibus in Concilio Epheſino defunctus eſt *pag.* 162. Id inficiatus Launojus a Baluzio repellitur *pag.* 164. Idem œconomia ſapienter erga Theodorum Mopſveſtenum aliquando uſus eſt *pag.* 198.

D

DAllixius Calviniſticæ ſectæ homo jure, ac merito vapulat a Natali, iccirco quod Conciliorum generalium, in hiſque Tridentinæ Synodi decreta ad incudem revocari poſſe ſcripturivit *pag.* 217.

S. Damaſus jure ſummo cum Orientalibus egit; atque hæreticis ignominiæ dicam appinxit *pag.* 154, et *ſeqq.* Conſtantinopolitani I. Concilii canonem 3. non admiſit; nec Symbolum fidei ibidem adornatum *pag.* 158.

Decius Philippus Juriſconſultus pſeudo-Synodum Piſanam auſus eſt defendere, ac Pontificiæ illius poteſtatem anteferre. Contra eum pugnavit Cajetanus; Cajetanum vero oppugnare fruſtra adnixus eſt Almainus *pag.* 499.

Deſing Anſelmus ob egregiam, quam Proteſtantes de jure naturæ, gentium, civili etc. peſſime ſcripturientes, exagitavit, operam laudibus excipitur *pag.* 85, et 102.

Dionyſius Carthuſianus excuſatione dignus eſt, ſi aliquando Pontifici Concilii poteſtatem prætulit: ea in opinione ſibi æqualis non permanſit *pag.* 333, et *ſeq.*

Diplomata Romanorum Pontificum alia olim forma ſigilli obſignata ſunt; alia

alia nunc obſignantur *pag.*22, et *ſeq.*; Aliquando S. Petrum in ſiniſtro loco, et S. Paulum ad dexterum latus exhibent *pag.* 33, et *ſeq.*

Diſpenſationes a Summo Pontifice Synodi œcumenicæ ſuppliciter petierunt. Vide V. *Canones*: *Concilia*: *Pontifex Romanus*.

Duguetius, & Gerbaſius Canones Sardicenſes de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam ſiniſtre, et aliorſum interpretantes refelluntur *pag.* 151, et *ſeqq.* Idem Duguetius poſt Dupinum Patriarchæ, ac Primatis jura in Pontifice turbans, ac pervertens, atque ab eo in Occidente olim exercita inficiatus perſtringitur *pag.* 244, & *ſeqq.*

Dupinus, & Launojus fidei ſubleſtæ homines, atque Sedi Apoſtolicæ infeſti multo nomine refelluntur, ac refutantur *pag.* 2, 49; 68, 99, 114, 151, 244, 375, 390, 410, & 503.

Durandus Mimatenſis dicta Romani Pontificis auctoritati minus accomoda a Boſſuetio perperam accepta qua demum ratione accipi debeant *pag.* 302, & *ſeq.*

E

Eccleſia, ut una eſſet Chriſtus D. omnino voluit; unitatis autem bono uno conſtituto in Eccleſia Capite Romano Pontifice optima demum ratione Deus O. M. conſuluit. Veritati huicce vel hæretici ſuffragati ſunt *pag.* 40, 533, & *ſeqq.* Eccleſia Canone quidem regenda eſt, ſed quem Romanus Pontifex ſtatuerit, vel ab Epiſcopis ſtatutum ipſe probaverit *pag.* 50. Eccleſiæ perſonam qua ratione geſſiſſe S. Petrus dicendus ſit *pag.* 46, & *ſeq.*; 51, & *ſeq.* Eccleſiæ auctoritas non alia eſt plane ab auctoritate Pontificis, a quo in ipſam veluti a capite in corpus profluit *pag.* 545, & *ſeqq.*; 585, & *ſeq.* Exemplis omnis ætatis id fit exploratiſſimum. Eccleſiæ aſſenſus Romani Pontificis decretis iccirco, ut in dogmata fidei evadant, ut accedat non opus eſt. Eccleſiarum unanimi dùmtaxat conſenſione fidei definitiones obtinere, qui docent, & defendunt, exagitantur, & exſufflantur *pag.* 115, 159, 265, 273, 583, 586, 588, 599, & *ſeqq.*

Eccleſia Romana qua ratione demum cum ceteris per Orbem Eccleſiis a SS. Patribus fuerit comparata *pag.* 546, & *ſeq.* Eccleſiis ceteris cum Romana communicandi, & conſentiendi neceſſitas omnino incumbit *pag.* 541, & *ſeqq.*; 555, & *ſeqq.* Qua ratione ejuſmodi communio, & conſenſio conficiatur, & confoveatur *pag.* 548, & *ſeqq.* Eadem Romana Eccleſia Pontificem ſupra Concilium potem eſſe, ac in fide falli, & fallere prorſus neſcium tenuit ſemper, & credidit a *pag.* 573. ad *pag.* 576.

Eccleſia ſive Occidentalis, ſive Orientalis omni tempore nihil antiquius habuit, quam Romani Pontificis in Eccleſia Primatum, eidemque adnexas prærogativas maximopere pendere, magnoque habere in pretio *pag.* 561, & *ſeqq.*; 572, & *ſeqq.* Et quidem ex Orientalibus ſpeciatim Eccleſia Conſtantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hieroſolymitana, Mopſveſtena, Illyrica, Armena, Euphrateſia, Cypria &c. *ibidem*. Vide V. *Orientalis*, nec non ſub ſingulis harum nominibus. Ex Occidentalibus autem Africana, Italica, Aquilejenſis, Mediolanenſis,

Tau-

Taurinenſis, Ticinenſis, Germanica, Hiſpanica, Anglicana, Gallicana &c. *ibidem*, Vide ſub ſingularum vocabulis, nec non V. *Occidentalis*.

Edictum Caroli V. *Interim* inſcriptum circa quæ verſaretur; a quibuſnam conſarcinatum; quibus acceptum; a quibus improbatum; a quo Pontifice reprobatum; & quibus hæreticorum ſectis ortum fecit *pag.* 510, & *ſeqq.*

Elipandus Toletanus, & Felix Urgelitanus a Concilio Francofordienſi damnati ſunt; reſervata tamen Romano Pontifici ſuprema ſententia *pag.* 225, & *ſeq.*

Epheſini I. Concilii Epiſcopi Pontificis Romani mandatis ſe omnino obſtringi intellexerunt; ejuſdemque ſibi adhærendum eſſe ſententiæ *pag.* 162, & *ſeqq.* Ab ſe decretis, ut in Eccleſia obtinerent, Pontificis auctoritatem, aſſenſumque accedere debere non ignorarunt *pag.* 165, & *ſeq.*

Epiri, & Euphrateſiæ Epiſcopi cum Romano Pontifice communione conjungi peroptant: confirmari ab eo Epiſcopi electionem petunt: contra hæreſes, ac ſchiſmata auxilium ab eo poſcunt, cujus præ ceteris eſſe hæreſes profligare, & ſchiſmata compeſcere prædicant *pag.* 570, & *ſeq.*

Epiſcopi olim quoto, quantoque numero ſub ævum SS. Cypriani, & Auguſtini, nec non Conciliorum Ariminenſis, Epheſini, & Chalcedonenſis ſive in Oriente, ſive in Occidente recenſerentur *pag.* 127, & *ſeqq.* Epiſcopi Judices in Conciliis ſedent: eorumdem eſt quidem judicium ferre, non tamen finire *pag.* 265, & *ſeq.*; 273, & *ſeq.* Epiſcopis locum confirmari a Pontifice petitur *pag.* 571. Eiſdem gradus a Pontifice auferri poteſt *pag.* 587, & *ſeq.* Epiſcopi e Laicis ad Epiſcopalem dignitatem aſſumti quinam licite, et quinam illicite *pag.* 235, et *ſeq.* Eiſdem quae credere, docere, exercere, et decernere deberent antiquiſſimo jure præſcriptum eſt a Pontificibus. Vide V. *Concilia*, & *Pontifices*. Epiſcopi præſertim recens inaugurati Romano Pontifici fidei ſuæ rationem reddere tenebantur; eique obedientiam, et fidelitatem deſpondere. Ea de re aut Romam proficiſci conſuebant, aut Romam accerſiri a Pontifice; vel Synodicas dirigere oportebat; vel fidei formulis a Pontifice præſcriptis ſyngrapham apponere *pag.* 542, et *ſeqq.* Vide V. *Litteræ*, & *Formulæ fidei*.

Epocha opinionis Pontifici abjudicantis cum infallibilitatem in fide, tum potiorem Concilio poteſtatem tempus Concilii Conſtantienſis non antevertit *pag.* 303, et *ſeqq.*

Eraſmus ſine cauſſa de vera S. Cypriani ſententia circa Pontificis Romani Primatum dubitavit *pag.* 106.

Euchariſtiæ conficiendæ materia olim Romæ e Patriarchio Lateranenſi Sacerdotibus adminiſtrabatur *pag.* 551.

Eugenius II. Patrum ſententias pro cultu SS. Imaginum confirmando conquiri Gallicanis Epiſcopis ea lege, ut collectæ ad ſe tranſmitterentur expendendæ, indulſit *pag.* 223.

Eugenius III. Concilium Remenſe celebravit, egregiaque in eodem egit *pag.* 271, et *ſeqq.*

Eugenius IV. Concilium Conſtantienſe illegitimum plurimo ex capite pronunciavit *pag.* 382. Nonniſi certis adhibitis exceptionibus Concilium Conſtantienſe probavit *pag.* 403. Apertiſſime, ac conſtantiſſime ſupra Concilium ſemet extulit, potemque eſſe affirmavit *ibidem*. Baſileenſis gra-

graviſſimi errati, pravæque interpretationis in decretis Concilii Conſtant. ſeſſ. 4, et 5 exponendis coarguit *pag.* 406, et *ſeq.* Graves ob cauſſas Baſilea Concilium diſſolvit *pag.* 426. Ejuſdem Nuncii poteſtatem ipſius ſupra Concilium plurimis, egregiiſque evexerunt *pag.* 428, et *ſeq.* Eiſdem Concilium reſponſiones adhibuit nec veras, nec rectas *pag.* 429, et *ſeqq.* Indulgentia agens Eugenius Concilium Baſileæ continuari, certis tamen adjectis legibus, conceſſit *pag.* 433, et 436. Ejuſmodi leges Concilium adimplere detrectans ab Eugenio iterum diſſolvitur *ibidem*, et *ſeq.* Idem Pontifex ſupra Concilium ſe potem, multo minus ſe inferiorem, declaravit, et oſtendit *pag.* 434, 437, et *ſeqq.* Ex defectu adimpletarum conditionum, quas Eugenius appoſuerat, decreta Baſileenſia infirma abierunt *pag.* 438, et *ſeq.*; et 465. Ea decreta potius Eugenius eſt execratus *pag.* 439, et *ſeqq.* Sed et tertio Concilium diſſolvit, et Ferrariam tranſtulit *pag.* 441. Illud iterum, illiuſque decreta devovit *pag.* 453, et 462. Qui ab Eugenio Concilium illud probatum fuiſſe, aut quod pejus eſt, probari non indiguiſſe comminiſcuntur, næ ii magno in errore verſantur *pag.* 456, et *ſeqq.*; 471, et *ſeqq.* Quid imo quod Eugenius bis, ac ter, atque apertiſſime decreta illa reprobavit, ac repulit? *pag.* 465, et *ſeqq.* Græcos ad agnoſcendas, Pontificique Romano adjudicandas integras prærogativas adduxit, et adegit *pag.* 481, et *ſeqq.* Armenos, Jacobitas, Æthiopes, Syros, Chaldæos, Maronitas etc. obedientiam, obſequiumque omne ſibi deſpondentes admiſit, et edocuit *pag* 490, et *ſeqq.* De Conciliis Conſtantienſi, et Baſileenſi; nec non de Concilii, ac Pontificis poteſtate ſententiam demum ſuam decretorie aperuit *pag.* 494.

Eulogiæ vetuſtiſſimo Eccleſiæ uſu in mutuæ communionis ſacræ ſignum, dari, mitti, et accipi conſueverant *pag.* 550.

S. Euſebius Mediolanenſis, et Epiſcopi Italiæ a S. Leone M. de fide definitis adquieſcere officii, religioniſque loco duxerunt *pag.* 172. Nec abſimilis Galliarum Epiſcopis animo ſententia inſedit *ibidem*.

Eutyches a S. Leone M., et Concilio Chalcedonenſi hæreſis nomine confixus eſt *pag.* 167, et *ſeqq.* Ad Romanum Pontificem confugit, eumque Synodis omnibus ſupereſſe agnovit, ac ſuperiorem habuit *pag.* 175.

Eutychii Alexandrini Annales nauci, floccique fieri debent: nec ex eis quidpiam recte hauriri poteſt ad æqualem Presbyteros inter, et Epiſcopos gradum ſtatuendum *pag.* 92.

F

FAlſarii ſcriptorum, ſive libellorum adulteratores diris cunctis devoti ſunt, ac damnati a SS. Martino I, et Nicolao I. in Synodis Romanis; nec non à Patribus Synodi VI, et VIII; ſeu Conſtantinopolitanæ III, et IV. *pag.* 200, 226, et 237.

Felix Urgellitanus. Vide V. *Elipandus.*

Fermenti nomine olim in Eccleſia frequentati, de quo SS. Melchiades, Siricius, et Innocentius I. decreta ediderc, quid veniret, quidve ſignificaretur *pag.* 549, et *ſeqq.* An Eulogiæ; an Euchariſtia; an Euchariſtiæ particula; an Euchariſtiæ potius materia: variæ de ea acceptione eruditorum

torum opiniones *ibidem* . Communionis in rebus ſacris ſocietas cum Romano Pontifice dubio procul ſignificabatur *ibidem* .
Fevardentius,accuratum Eccleſiarum, ſive Orientis, ſive Occidentis, quæ Romanæ Eccleſiæ unitati , fideique nullo non tempore ſe devinxerunt , devoveruntque , catalogum attexuit *pag.* 542.
FlorentinumConciliumRomanumPontificem loco ſuperiori præ Concilio, ac in fide infallibilem habuit *pag.* 477, et *ſeqq.*; *pag.* 485 , et *ſeqq.* Particulam *Quemadmodum* in definitione fidei adhibitam a Pontifice approbante Concilio qui alienum in ſenſum detorquent , næ ii luci tenebras offundere ſtudent *pag.* 486 , et *ſeq.* Incertus eſt Auctor editionis Græco - Latinæ Concilii Florentini *pag.* 487, et *ſeq.* Is tamen Auctor multimode erravit *pag.* 488 , et *ſeq.* Etiam poſt Græcorum diſceſſum Concilium Œcumenicum, ac legitimum fuit; atque legitimi , œcumenicique loco habendum fore affirmavit in Tridentino Marcellus Cardinalis Cervinus *pag.* 493 , et *ſeq.* Qui id inficiaS eunt exploduntur *ibidem* .
Fontaninus ob defenſum S.Gelaſii decretum de libris genuinis , et apocryphis laudatur *pag.* 251.
Formatæ litteræ . Vide V. *Litteræ* .
Formulari fidei a Pontifice procuſo Synodi VIII. Patres ſyngrapham apponere juſſi ſunt ; cui ſubſcribere iidem religioni duxerunt *pag.* 230. Formular iſtud fraude poſtea Græcorum , ac præſertim Photii decurtatum fuit *pag.* 231. Formulari illi ſubſcribere renuentes a Synodo rejecti ſunt *pag.* 232. Formula ejurandi ſchiſmatis a Pontificibus frequens præſcripta fuit : in Concilio Lateranenſi III. ab Alexandro III. ſpeciatim Epiſcopis fuit propoſita *pag.* 278 ; 473 , et *ſeq.* Univerſim ſchiſmaticis ſubſcribenda *pag.* 491 , et *ſeqq.* Formulæ fidei , obedientiæ , et fidelitatis ab Eccleſiaſticis perſonis Pontifici nuncupatæ , aut a Pontificibus pro ſubſcriptione miſſæ , atque poſt ſubſcriptionem receptæ ſæpius leguntur *pag.* 544 , et *ſeqq.*; 564 , 567, 569 , et *ſeqq.*; 576 , et 593.
Francofordienſis, et Pariſienſis Synodi Epiſcopis quæ cauſſa fuerit de Nicæna II. Synodo dubitandi non modo,ſed eam minoris habendi *pag.* 217. Ea profecto in re errore cum juris, tum facti peccarunt *pag.* 224. Eiſdem tamen hæreſis dica non eſt conſcribenda : neque ii Hadriano I. Pontifici Maximo obviam iverunt , obedireque contempſerunt *ibidem*, et *ſeq.* Elipandi Toletani , et Felicis Urgellitani poſtremum judicium , ut par erat , Pontifici reſervarunt ; appellandique jus ad Apoſtolicam Sedem integrum illis reliquerunt *pag.* 225 , et *ſeq.*
Fidericus II. Imperator a Gregorio IX , et Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi I. ſacris interdictus eſt, locoque dimotus *pag.* 285 ; et *ſeqq.*

G

GAlliarum Reges de Romanis Pontificibus optime promeriti ſunt . Ad eorumdem Tribunal res demum fidei decretorie , ac finitive dirimendas deduci oportere dictis , factiſque demonſtrarunt *pag.* 223 , 224, & 225. De eorumdem honore procurando , impendendaque

Digitized by Google

que eis obedientia ſe maxime ſollicitos præbuerunt *pag.* 277, 278, 339, & 386. Piſana pſeudo Synodo Pontificibus infeſta abdicata, Concilio Lateranenſi Leoni X. accepto adhæſerunt *pag.* 500. Pontificibus jubentibus Pragmaticam ſanctionem Eccleſiæ juribus incommodam abrogarunt *pag.* 497, et 501.

Galliarum Regum Oratores in Concilio Florentino legitimi Pontificis partes adjuvare, ac promovere ſtuduerunt, eaſque ſibi acceptiſſimas declararunt *pag.* 339. In Concilio Conſtantienſi adverſus decreta ſeſſ. 4, & 5. pro virili parte interceſſerunt *pag.* 382, & *ſeqq.* In Concilio Baſileenſi haud probavere decreta Pontificiæ auctoritati incommoda, & adverſa *pag.* 448. Ad Concilium Lateranenſe V. proficiſcentes, quove minus pervenirent impediti ſe pſeudo - Synodo Piſana ejurata legitimo Concilio adhærere profeſſi ſunt *pag.* 500. In Concilio Tridentino perperam decretis de Romani Pontificis prærogativis contradixerunt *pag.* 518, & *ſeqq.*

Gallicani Epiſcopi, & Doctores præclaram de Romani Pontificis divinis prærogativis animo prætulerunt, ac frequens protulerunt opinionem *pag.* 7, 8, 172, 253, 267, 268, 339, 387, 388, 443, 448, 526 &c. Nempe penes Romanum Pontificem Apoſtolicæ Sedis auctoritatem integram vigere *pag.* 7, & 8. Pontifici de fide definienti integro ex animo eſſe adquieſcendum *pag.* 172. Ad Pontificem pertinere res fidei vel a Conciliis definitas undique ad Chriſtifidelium notitiam deducere, univerſoſque ad earumdem obſervantiam urgere *pag.* 253. Pro legitimo Pontifice, ipſiuſque juribus pugnandum fuiſſe *pag.* 267. Pontificis tribunal appellatione pulſandi cuicumque factam eſſe facultatem: ſupremamque de quæſtionibus fidei definitionem eidem deferendam, exindeque expectandam *pag.* 269. Pontifice inſcio, aut inconſulto fidei ſymbolum procudere nec Synodis fas eſſe, ac licere *pag.* 271, & 272. Pontificis legitimi partes obedientiæ, obſequiique officio proſequendas fore *pag.* 339, & 443. Apud Pontificem integrum permanere Eccleſiaſticæ poteſtatis fontem, ex quo omnis in ceteros poteſtas derivat, & profluit *pag.* 387. Ab uno per ſe ſolo Pontifice Eccleſiam univerſam repræſentari *pag.* 388. Pontificem Concilio ceu inferiorem ſuperiori non ſubeſſe *ibidem*, & 448. Pontificem demum in Eccleſiæ gubernio ſpeciali Spiritus S. adſiſtentia dirigi *pag.* 526.

Gallicana Eccleſia in Concilii Tridentini decreta ultro citroque juravit; per ipſam non ſtetit, quominus illa reciperentur: ſæpius illius decretis ſe ſubdidit; ſæpiuſque pro illorum promulgatione Galliarum Regibus ſupplicavit *pag.* 530, & *ſeqq.* Gallicanæ Eccleſiæ perperam, ac peſſime appingitur opinio ſive de Concilio Florentino non admiſſo, generaliumque loco non habito *pag.* 520, & 522; ſive de Concilii generalis ſupra Papam auctoritate *pag.* 520, & 525. Videſis V. *Appellantes*, & V. *Concilium Conſtantienſe*.

Gelaſianum decretum de libris germanis, & apocryphis S. Scripturæ, & SS. Patrum SS. Damaſo, aut Hormiſdæ abjudicatur, & S. Gelaſio adſeritur: Proteſtantes vero decretum iſtiuſmodi ceu ſubditi-

tium

tium traducentes caſtigantur *pag.* 251.

Georgiani Romanæ Eccleſiæ communione conjungi, & Apoſtolicæ Sedi adſtipulari obſequio, & obedientia deſiderarunt *pag.* 284.

Gerbaſius Vide V. *Duguetius*.

Germani legitimo Pontifici egregie affectos, æquoſque ſe præbuerunt *pag.* 444, et *ſeq.* Germanica Eccleſia in Conciliis collecta Liptinenſi an. 743; Aquiſgranenſi anno 860; Triburienſi anno 895; Altheimentenſi anno 916; Quintiliniburgenſi anno 1085. ſuæ erga Pontificem obedientiæ, de ejuſque prærogativis opinionis egregia ſpecimina ſæpius exhibuit a *pag.* 593. ad *pag.* 596.

Gerſonius de Eccleſiæ notione, Eccleſiaſtica poteſtate, Eccleſiaſtica hierarchia, Eccleſiæ Paſtoribus, Eccleſiaſticis legibus; de Pontifice, de Concilio, de Cardinalibus plurima perperam, ac peſſime ſcriptitavit; unde multo nomine ſugillatur *pag.* 309, et *ſeqq.* De Piſani Concilii auctoritate rite dubitavit *pag.* 351. Martini V. Conſtitutionem, qua a Pontifice ad Concilium appellari prohibuit, impudenter impetivit, qua de audacia redarguitur, et repellitur *pag.* 367, et *ſeq.* Opinionem ſuam de præſtantia Concilii ſupra Papam ab aliis pleriſque exagitatam faſſus eſt, de eademque ipſe gravem in ſuſpicionem, dubitationemque venit *pag.* 423, et *ſeq.*

Gloſſa egregia de Romanæ Eccleſiæ unitate, fide, et auctoritate adnotavit *pag.* 296, et *ſeq.* Eadem Gloſſa parum ſibi cohæſit *pag.* 297, et 301. Eccleſiæ totius ſententiæ præferendam eſſe ſententiam Pontificis docuit *pag.* 548.

Græca Eccleſia a Romanis Pontificibus de ipſorum divinis prærogativis erudita eſt, deque Romani Pontificis Primatu, infallibilitate, ac ſuprema poteſtate egregia ipſamet edixit *pag.* 291, et *ſeqq.*; 308, et *ſeq.*; 330, 479, et *ſeqq.*; 485, et *ſeq.*; 571, et 579. Videſis V. *Eccleſia Orientalis*.

S. Gregorii M. epiſtola 36. lib. 2. exarata ne fuerit ad Epiſcopos Hiberniæ, an Hiberiæ, an Iſtriæ, variæ de ea eruditorum conjecturæ *pag.* 188, et *ſeq.* Sapientiſſima œconomia cum Theodelinda Regina uſus aliquando eſt *pag.* 198. Judæos, et Paganos temporalibus qua beneficiis, qua pœnis ad Chriſtianam Religionem amplexandam alliciendos, adigendoſque docuit, et decrevit *pag.* 220. Privilegium, quod ab ipſo factum Archiepiſcopis Mediolanenſibus eligendi, inaugurandique Reges Italiæ circumfertur, genuinum aliis, ſed aliis ſuppoſititium adparuit *pag.* 592.

S. Gregorius VII. Apologetico elucubrato Romani Pontificis divinas prærogativas egregie defendit, et vindicavit *pag.* 579, et *ſeq.*

Gregorius IX. in Fridericum Imperat. jus diſtrinxit *pag.* 285.

B. Gregorius X. Græcos ſchiſmaticos ad frugem perducere ſtuduit, eoſdemque recta de Romani Pontificis privilegiis divinitus collatis inſtruere ſollicitus fuit *pag.* 294, et *ſeq.* Summo jure uſus in Concilio Lugdunenſi vel invitis Cardinalibus conſtitutionem edidit *pag.* 297.

Gregorius Corrarius Pontificiæ auctoritati parum æquus parvipenditur *pag.* 333, Pontifici poſtmodum primas recte detulit *pag.* 452.

Grotius Pontificis Romani in Eccleſia Primatum agnovit, et faſſus eſt:

eum poſtea tamen non divinæ, ſed humanæ dumtaxat inſtitutioni deputavit: qua de re objurgatur: cujus ſimillima ſcripſit Leibnitius *pag.* 40, 41, et 81.

H

HAdrianus I. Synodo VII, ſive Nicænæ II. auctoritate ſu prætulit, eidemque legem ſequendam præſcripſit: ſe infallibilem prædicavit; atque ſibi a Synodo parendum denuntiavit *pag.* 218, et *ſeqq.* Ipſius litteræ a Nicæna Synodo nequaquam ad examen fuerunt deductæ *pag.* 220. Præ libris Carolinis Apoſtolicæ Sedi auſcultandum, ceu ſupremam habenti auctoritatem, atque a fide deficere neſcienti adfirmavit *pag.* 224, et *ſeq.*

Hadrianus II. auctoritatem ſuam ſupra Synodum VIII. extulit. Photianam pſeudo-Synodum eſt execratus. In Photium, et S. Ignatium, imo in Synodum ipſam ſummum jus exeruit *pag.* 229, et *ſeqq.*; 241, et *ſeq.* Fidei formulam a Synodo ſubſcribendam procuſit, præſcripſit, præcepit *pag.* 230. Synodum VIII. ab ipſa enixe rogatus confirmavit *pag.* 239, et *ſeq.* Synodus pro diſpenſationibus ipſi ſupplicavit *pag.* 240. A Synodo ejuſdem litteræ examini non fuerunt ſuppoſitæ *ibidem*, et *ſeq.*

Hæretici plerique S. Petrum Romam veniſſe, Romanum Pontificatum geſſiſſe, ibidemque demum fatis defunctum ingenue faſſi ſunt *pag.* 13, et 14. Contra pugnantes, inficianteſque profligantur *pag.* 10, 11, 19, 20, et *ſeq.* Primatum poſtea Romani Pontificis in Eccleſia elevantes refelluntur, et refutantur *pag.* 99, et *ſeqq.* Hæreticorum quamplures Conciliis generalibus honorem detulerunt, auctoritatemque attribuere: alii vero impudenter abjudicarunt *pag.* 125. Eccleſiam univerſam turpem in errorem prolapſam qui effutierunt exſufflantur *pag.* 126, et *ſeqq.* Ex hæreticis plerique ad ſenſum S. Scripturæ aſſequendum, nec ſpiritui privato, nec privatis Doctoribus, nec imo SS. Patribus auſcultandum hodie volunt, ſed unum naturalis rationis lumen, ductumque ſequendum *pag.* 108. Hæreticorum nonnulli, uti Macedoniani, Pontifici docenti adquieſcendum fore agnoverunt *pag.* 154, et *ſeq.*, ita etiam Neſtorius *pag.* 161. Hæretici obtrudentes canone 28. Chalcedonenſi ſtatutam ex æquo fuiſſe Romanam inter, et Conſtantinopolitanam Eccleſiam dignitatis, et auctoritatis paritatem redarguuntur *pag.* 170, et *ſeq.* Hæretici cum Spalatenſi Pontificem jus proponendi in Concilio Tridentino ſibi attribuentem invaſi juris arguentes, impudentiæ, et ignorantiæ coarguuntur *pag.* 208.

Hæreticorum damnatio potiſſime Romanis Pontificibus ab ipſis Synodis adſcribitur *pag.* 215, et *ſeq.* Hæreticorum, ac præſertim Lutheranorum, et Calviniſtarum impudentia in Concilio Tridentino rejiciendo retunditur *pag.* 217. Hæreticos damnantes Epiſcopi calamum in Chriſti ſanguine aliquando intinxerunt *pag.* 238. Hæretici Romani Pontificis dignitatem Primatis, et Patriarchæ aut pernegantes, aut perturbantes, aut pervertentes revincuntur, rejciuntur, redarguuntur

tur

tur *pag.* 244, et *ſeqq.* Hæreticis in Gelaſianum decretum de libris Canonicis, et ſpuriis obloquentibus os obſtruitur *pag.* 251. Ab Hæreticis non niſi commentando, et calumniando S. Martinus I. Novatiana hæreſi afflatur *pag* 262. Hæretici ingenti numero, varioque ſub nomine adſcititio vel Religionem evertere, vel in Religionem Tolerantiſmum inducere tentarunt, quorum catalogus exhibetur *pag.* 535, & *ſeqq.*: contra quos tamen ex Catholicis non modo, ſed ex Proteſtantibus ipſis pugnant alii plerique *pag.* 537, & *ſeqq.*

Hæreticorum prudentiores plurimi Romanæ Eccleſiæ communione cohoneſtari enixe curarunt *pag.* 544, & *ſeq.* In hæreſi animo obfirmati a Pontificibus anathemate devincti ſunt *pag.* 574, & *ſeqq.* Hæreticis ſolemne ſemper fuit errores ſuos ex Dei verbo ſcripto, & tradito per ſummum nefas, nefariamque interpretationem confirmare. Quamplurium eorum, qui id facere non erubuerunt, regeruntur exempla *pag.* 600, & *ſeq.*

Harduinus in opiniones abiens vero abſimillimas, & abſonas, abjicitur *pag.* 11. Ejus de Concilio Epaonenſi conjectura retexitur *pag.* 255. Ejuſdem item de interpolatione decreti Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 4. ſententia regeritur *pag.* 378.

Henricus Kalteiſen dum Pontifice Concilium potius fecit, vel ſibimet non cohæſit, vel in ea opinione leviter admodum hæſit *pag.* 334, & *ſeq.*

Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradus, ordines, & officia inſtituere, diſtribuere, inſtruere, dirigere, ad Pontificem Maximum pro jure ſuo pertinet *pag.* 503. Vide V. *Monarchia Eccleſiaſtica.*

S. Hieronymi locus, quo abutuntur hæretici, ut Epiſcopis poteſtate æquales Presbyteros faciant, recte explicatur *pag.* 94. Ejuſdem egregius alter locus adverſus illos, qui ad Pontificias definitiones Epiſcoporum pariter aſſenſum accedere debere contendunt, producitur *pag.* 117. Ejuſdem celebris locus de Orbe ſe Arianum eſſe demirato rite exponitur *pag.* 135. S. Doctor ab epiſtolis S. Damaſo triennio, quo ille ſupervixit, fuit; atque conſultationibus undique ad Apoſtolicam Sedem delatis reſponſa dabat *pag.* 545: cujuſmodi conſuetudinis teſtes accedunt Pontifices, aliique Patres *ibidem.*

Hieroſolymitana Eccleſia apud Apoſtolicam Sedem rei Chriſtianæ ſummam conſiſtere, ab ea nihil rectæ fidei abſonum proficiſci, ad eamdemque pertinere de rebus Chriſtianis judicium finitivum promere agnovit *pag.* 259, & *ſeq.*, ac ſæpius in Synodis congregata an. 415, 649, & 1160. affirmavit *pag.* 568, & *ſeqq.*

Hiſpaniarum Epiſcopi in Conciliis Tarraconenſi an. 465, Bracarenſi an. 560, & Toletano III. an. 589, congregati quanti ab ſe fierent Apoſtolicæ Sedis decreta, ac fidei dogmata palam fecerunt. Eximiis propterea laudibus pro meritis Eccleſiam Hiſpanicam Garzias Loaiſa celebravit *pag.* 596, & *ſeq.*

Honorii I. nomen actis Synodi V. ab hæreticis aſſutum conjectarunt Baronius, & Bellarminus *pag.* 200. Honorius a Synodo VI. quatenus perſona ſingularis dumtaxat vapulavit *pag.* 212. Græcorum fraude, ac præſertim Photii illius nomen actis Synodi VIII. adjectum fuit *pag.* 231.

pag. 231. Ex Honorii damnatione argumentum pro auctoritate Concilii ſupra Pontificem adſtruenda, deſumi, exculpique nequit pag. 242.

S. Hormiſdas cum Monachis Acæmetis œconomia ſibi agendum prudenter arbitratus eſt pag. 198. Vide V. Oeconomia.

Hypoſtaſis nomen variemode olim uſurpatum eſt: mox pro ſubſtantia apud Orientales; mox pro perſona apud Occidentales: ſed ea tandem acceptio obtinuit, quæ Romanis Pontificibus fuit probata pag. 569.

I

Jacobitæ ad frugem regredientes Romani Pontificis fidei, ac placitis integre ſe, ac religioſe permiſerunt pag. 284, & 490.

Jacobus a Primadiciis Ord. Min. Armenos Sedi Apoſtolicæ ſubjugavit pag. 490.

Janſenius Eccleſiæ fidem ſub tempus Ariminenſis Concilii adverſus Voetium ab errore defendit, & vindicavit pag. 130, & ſeq. Janſeniſtæ poſt Donatiſtas, Luciferianos, Pelagianos, Lutheranos, Calviniſtas, aliaſque hujuſce genus peſtes Eccleſiam univerſam una cum Pontifice errare in fide poſſe effutientes exſuflantur pag. 126, & ſeqq. Pontifici ex Cathedra loquenti ſatis eſſe ſilentio obſequi obgannientes erroris, mendacii, & ſacrilegii coarguuntur pag. 236.

Iconoclaſtæ a quibus Pontificibus, & Synodis fuerint condemnati pag. 218, & ſeqq. A quibus Patribus, & Scriptoribus confutati pag. 221, & ſeqq.

S. Ignatius Conſtantinopolitanus Epiſcopus quam ſublime, ſuppliciterque de Pontifice Romano ſenſerit, ſcripſeritque pag. 226, & ſeqq.; & 232.

Illyrici Epiſcopi Pontifici definienti, aut præcipienti auſcultare, ſeque accomodare religioni, officioque habuerunt pag. 154, 168, & ſeq.; 569. Vide V. Orientales.

Innocentius II. Pontificis Primatum, eique adnexas prærogativas ſuo loco collocavit; ſupra Synodum ſe potem egit: in Epiſcopos jus exeruit: Hæreticis, ut Arnaldo, et Abælardo dicam conſcripſit pag. 268, et ſeq. Pontificem falli, et fallere omnino neſcium, ſupremaque in Eccleſia poteſtate potiri aſſeruit: Canones in Concilio ſuo nomine procudit; eiſdemque Epiſcopos omnes coaptari præcepit pag. 270.

Innocentius III. Romani Pontificis jus Primatis, et Patriarchæ, ſub eoque compoſitos gradus hierarchicos univerſi Orbis rite, egregieque expoſuit pag. 257, et ſeq. Patriarcharum jura declaravit, et ſancivit pag. 279. Infallibilem ſe affirmavit ibidem: Jus ſuum in temporalia extendit, exercuitque pag. 280, et ſeq. Imperatoribus gradum confirmandi jus ſibi adſcripſit pag. 283. Concilio ſe ſubjectum nullo cognovit, egitque modo ibidem, et ſeq.

Innocentius IV. Fridericum II. Imper. e culmine Imperii dejecit, ſeque ipſum Concilio Lugdunenſi ſuperiorem fecit pag. 285, et ſeqq. Eam ob rem ab injuria conflata Innocentius vindicatur pag. 286, et ſeqq. Eidem Pontifici Græci profeſſionis ſuæ de Pontificis Rom. Primatu, adnexiſque prærogativis capitu-

Digitized by Google

pitula exhibuerunt *pag.* 293, et *ſeq.*
Joachimus Abbas ideo ab hæreſis infamia fuit abſolutus, quod ſcripta ſua omnia Apoſtolicæ Sedis judicio omnino ſubmiſiſſet *pag.* 279.
Johannes XXIII. multo nomine Concilium Conſtantienſe reprehendit *pag.* 385, & *ſeq.*; 398, & *ſeq.* Concilio ſponte ſe ſubmiſit *pag.* 408, & *ſeq.* Concilio ſuperiorem ſe oſtendit, egitque *pag.* 410, & *ſeqq.* Subleſta fide diu, multumque egit *pag.* 416, & *ſeqq.* Ob ſchiſma, dubiamque electionem gradu detruſus eſt: ſuæ detruſioni conſenſit demum, ſubſcripſit, dignitateque ſe abdicavit *pag.* 417, & *ſeq.*
Johannes Antiochenus Patriarcha latinus pro ſtabilienda poteſtate Concilii ſupra Papam aut futilia prorſus, aut falſa poſuit *pag.* 332.
Johannes de Montenigro Ord. Præd. in Concilio Florentino adverſus Græcos ſchiſmaticos pro rectæ fidei dogmatibus, ac Pontificis Romani divinis prærogativis viriliter dimicavit; ac facile eos devicit *pag.* 479, & *ſeq.*; 481, & *ſeq.*
Johannes Olivi. Vide V. *Beguardi.*
Joſephus Græcorum Patriarcha prope moriturus, quam de Romano Pontifice egregiam præferret ſententiam expreſſit *pag.* 480. In eadem ſententia cohæſere Joſephus alter Methonenſis Epiſcopus, Græcique alii *pag.* 485, et *ſeq.* Iſaacius item Maronita; Timotheus Tarſenſis; Abdalas Edeſſenus etc. *pag.* 491, et *ſeq.* Videſis V. *Græca Eccleſia*: et *Orientales*.
Itali Epiſcopi de Apoſtolica Sede optime meriti ſunt, eximieque jugiter ſenſerunt, atque ſcripſerunt *pag.* 137, 156, 172, 177, 180, 194, et *ſeqq.*; 209, et *ſeq.*; 246, et *ſeq.*; 250, et *ſeq.*; 262, 359, 428, et 485. Videſis V. *Eccleſia Romana*, et *Italica*.
Judæos, et Paganos ad ſacra noſtra, qua beneficiis, qua pœnis alliciendos eſſe, adducendoſque S. Gregorius M. docuit, decrevitque *pag.* 220.
S. Julius I. Synodo generali ſe poteſtate præſtare, verbo, et facto docuit, et oſtendit *pag.* 148, et 153.
Julianus Cardinalis Cæſarinus ob privata impendia opinioni de præſtantia Concilii ſupra Pontificem aliquando adhæſit, a qua poſtea reſilivit *pag.* 331, et 405. In Concilio Baſileenſi Præſidem non tamen Pontificis nomine, ſed proprio, atque quidem lege appoſita egit *pag.* 450. De Pontificia auctoritate præterea optima protulit *pag.* 478.

L

Lampſacenæ Synodi Epiſcopi cum Romano Pontifice de fide diſceptandum non fore, neque in adverſam partem deſcendere fas eſſe probe intellexerunt *pag.* 138.
Lateranenſe Concilium ſub S. Martino I. in Monothelitas anathemate animadvertit. Ex eo Pontificis ſuprema poteſtas, ac in fide infallibilitas liquido adparuit *pag.* 259, & *ſeqq.* Ex Gallicanæ Eccleſiæ conſenſione auctoritatem, roburque minime accepit *pag.* 263, & *ſeq.*
Lateranenſe I. Concilium ſub Calixto II. nihil plane ſuppeditat, quo Pontificis ſuprema poteſtas vel leviter elevetur *pag.* 264, & *ſeqq.*
Lateranenſe II. ſub Innocentio II. ad Pontificis ſupremam poteſtatem

tem comprobandam plurimum confert *pag.* 266. Ejuſdem canones ab Innocentio cuſi, eiſque ſe coaptare Epiſcopi juſſi ſunt *pag.* 270. Lateranenſe III. ſub Alexandro III. poteſtatis, & infallibilitatis Pontificiæ egregia pariter ſpecimina præbuit *pag.* 276, & *ſeqq.*

Lateranenſe IV. ſub Innocentio III canones pleroſque ſancivit, ſive a Pontifice adornatos ſuſcepit. M. Antonius de Dominis, & Ludovicus Servinus id inficiati refelluntur *pag.* 278, & *ſeq.* Lateranenſe V. ſub Leone X. quoto Epiſcoporum numero fuerit conflatum: quot Regum, ac Principum Oratores interfuerint: quæ Nationes ei demum adhæſerint, & ſint adſtipulatæ *pag.* 500, & *ſeq.* Generalis, & legitimi haberi loco debet *pag.* 503. Baſileenſibus, & Bituricenſibus decretis Pontificiæ poteſtati nihil fuit detractum, derogatumque: Pontificem Concilio præſtare, eſſeque potiorem declaravit, decrevitque *pag.* 501, & *ſeq.* Pontificis alias prærogativas fecit planiſſimas *pag.* 503. Qui Concilium iſtud expungendum a generalium cenſu voluntexploduntur *pag.* 504, & *ſeq.*

Latina Eccleſia. Vide V. *Eccleſia Occidentalis*.

Launojus inficiatus S. Cyrillum S. Cæleſtini vicibus defunctum repellitur: effingens Innocentium III. Concilio ſe inferiorem feciſſe reprobatur: *pag.* 164, & 284. Videſis V. *Dupinus*.

Leibnitius. Vide V. *Grotius*.

Legati a Romanis Pontificibus ad Synodos Orientales alii vice Romanæ Eccleſiæ, alii Eccleſiæ Latinæ nomine dirigi ſub S. Agathone cœperunt *pag.* 206. Legatis Romanæ Eccleſiæ prior conſedendi, ac proferendi locus in Synodis dabatur *ibidem*. Legatis ad Synodos Orientales dimiſſis a Pontifice provincia imponebatur deferendi, ac denuntiandi prolatas a Pontifice ſive in Synodo, ſive ſe ſolo definitiones, ab omnibus Orientis Epiſcopis ſuſcipiendas, & ſubſcribendas. *ibidem*.

Legatos Romanæ Eccleſiæ eoſdem ſemper Legatos Eccleſiæ, ſive Synodi Occidentalis in Synodis Orientis egiſſe Queſnellus effutiens exploditur *pag.* 207. Legatorum Romanæ, & Latinæ Eccleſiæ ad Synodos Orientales quæ eſſent partes, quæque agenda ipſis ex Pontificis mandato præſcripta *ibidem*, & *ſeq.* Legatorum erat decernenda in Concilio Pontificis nomine proponere *pag.* 513, & *ſeq.* Legati in Concilio Tridentino pro ſuprema Pontificis auctoritate invicte ſteterunt *pag.* 516, & *ſeqq.*

Lenfantius Jacobus etſi Calviniſta recte affirmavit Piſanum Concilium ab Œcumenici gradu deiciendum *pag.* 347. Rite pariter clauſulam de reformatione Eccleſiæ in Capite, & in membris decreto Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 4. aſſutam codicis Baſileenſis exemplaribus aliena manu fuiſſe adjectam *pag.* 380, & *ſeq.*

S. Leo M. jure ſummo cum Anatolio Conſtantinopolit. Epiſcopo egit *pag.* 166, & *ſeq.* imo cum Epiſcopis Concilii Chalcedonenſis *pag.* 167, & *ſeqq.* Eutychetem ab ſe damnatum Concilio damnandum denuntiavit *ibidem*. Litteris ab ſe ad Flavianum exaratis a Synodo ſubſcribendum indixit *pag.* 168, & *ſeq.*

ſeq. Litteris illis ingens aliorum ubique Epiſcoporum numerus ſubſcripſit *pag.* 173. Subſcribere detrectantes peſſime in Concilio excepti ſunt *pag.* 168, & *ſeq.* Maximi Antiocheni Ordinationem valere, acceptamque Concilio eſſe juſſit *pag.* 169. Pſeudo-Synodum Epheſinam infregit, ab eaque dejectos Epiſcopos ſuis gradibus redintegravit *ibidem*. Canoni 28. robur detraxit *ibidem*, & *ſeq.* Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopum ſe inſcripſit *pag.* 172. Quo ſenſu eum titulum aſſumpſerit, quove S. Gregorius M. reſpuerit *ibidem*. S. Leonis litteras a Concilio Chalcedonenſi examini fuiſſe ſuppoſitas ſcripturientes repelluntur *pag.* 173, & *ſeqq.* S. Flavianum ad Apoſtolicam Sedem appellantem excepit, infractaque pſeudo-Synodi Epheſinæ ſententia ſuo loco reſtituit *pag.* 176.

S. Leo II. Synodo VI. calculum adjecit ſuum, eamque confirmavit: in litteris confirmationis Sedis Apoſtolicæ ſupremam auctoritatem, ac in fide firmitatem prædicavit *pag.* 213. Synodi VI. acta in Hiſpaniam ſuſcipienda, ac ſubſcribenda direxit. Ejus ea de re litteræ ad Ervigium Regem, & Epiſcopos Hiſpaniarum nuncupatæ ſpuriis non ſunt adcenſendæ, ut Baronius eſt arbitratus; ſed legitimæ ſunt, uti Pagius, & Baldinus demonſtrarunt: iis in litteris prælaudata Apoſtolicæ Sedis privilegia fiunt planiſſima *pag.* 213, & *ſeq.*

Leo X. in Concilio Lateranenſi V. Pragmaticam ſanctionem ex decretis Baſileenſibus in Conventu Bituricenſi conſarcinatam abolevit, & abrogavit; Concilio ſe poteſtate potiorem, oſtendit, & egit *pag.* 501, & *ſeq.* Pontificiæ poteſtatis particulas, eaſque præclaras explicavit *pag.* 503.

Leo Allatius ob egregias in verſionem Concilii Florentini obſervationes adornatas laudatur: non recte tamen in ejuſdem verſionis auctores conjecit *pag.* 488.

S. Liberius a lapſu Ariminenſis Synodi immunis omnino manſit; Synodi imo acta reſcidit, lapſoſque ad frugem reduxit *pag.* 136, & *ſeqq.*

Libros approbare Pontificii juris particula eſt *pag.* 268, & 270. Libros ſuos Apoſtolicæ Sedis judicio ſubmittentes a cenſura abeunt immunes *pag.* 279. Libellos adulterantes, ſive confingentes gravi nota afficiuntur *pag.* 237.

Litteræ formatæ Eccleſiaſticæ unde ſic denominatæ: quæ erant, & quotuplicis genus: a quibus conſcribi, quibus concedi, quave de cauſſa conſueverant *pag.* 552, & *ſeqq.* Diverſæ ſpeciei audiebant, Communicatoriæ, Canonicæ, Pacificæ, Clericæ, Rationales, Denuntiativæ, Declarativæ, Indicativæ, Tractoriæ, Tractatoriæ, Enthroniſticæ, Salutatoriæ, Commendatitiæ, Dimiſſoriæ, Diaconicæ, Memoriales, Commonitoriæ, Encyclicæ, Catholicæ, Synodicæ, Paſchales, Decretales, Apoſtolicæ, Confeſſorum, Captivorum &c. *ibidem*, & *ſeqq.* Pagani, & Hæretici harum litterarum uſum a Chriſtianis acceperunt: hiſce litteris communionis hæreticos erroris coarguebant Doctores Eccleſiæ *pag.* 555: hujuſmodi litteræ ad præcavendas fraudes certis notis afficiendæ erant *pag.* 556, & *ſeq.*

Harum litterarum in Eccleſia uſus ſacer, antiquus, & ſolemnis eſt *ibidem*: Litteras ſpeciatim ſynodicas a Conciliis mitti ad Pontificem pro accipienda gerendarum rerum regula, ſive geſtarum rerum pro reddenda ratione ſolemne ſemper extitit: a Pontificibus pariter ad Concilia dirigi ſolebant ſive pro regulis præſcribendis, ſive pro ſententia ſua proponenda. Exemplis ex omni Eccleſiæ ætate excerptis fit iſtud exploratiſſimum *pag.* 557, & *ſeqq.*

Lotharingi Cardinalis in Concilio Tridentino expoſtulatio adverſus Pontificis prærogativas; nec non ejuſdem epiſtola ad Britonem ſecretarium ſuum Romæ agentem eodem de argumento expenditur *pag.* 517, & *ſeq.*; 520, & *ſeqq.* Parum ille ſibi cohæſit, æqualiſque fuit; quinimo plurimum a Gallis aliis opinione deflexit *pag.* 521, & *ſeq.*

Lugdunenſe Concilium I. ſub Innocentio IV. Pontificiæ poteſtatis eximium ſpecimen exhibuit *pag.* 285, & *ſeqq.* Vere œcumenicum, ac legitimum fuit; in eoque legitime, ac conciliariter actum adverſus Fridericum II. Imperat. *pag.* 289, & *ſeq.* Concilii ſententiam in Fridericum ejaculatam habuerunt acceptam Eccleſiæ vel Germanica, vel Gallicana *pag.* 290, & *ſeq.* Lugdunenſe II. ſub B. Gregorio X. unionis Græcorum cum Romana Eccleſia negotium perfecit, felicemque ad exitum perduxit. Præclara de Romani Pontificis privilegiis argumenta præbuit *pag.* 291, & *ſeqq.*

Lupus Chriſtianus Ord. S. Auguſt. quæ ad augenda Concilii Nicæni decreta afferuntur, expendit *pag.* 145. Quæ ad elevandam Sardicenſis Synodi auctoritatem a maleferiatis congeruntur exploſit *pag.* 149. A Sardicenſi Synodo editos canones de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam loco ſtabilivit *pag.* 154. Vigilii Tapſenſis locum a Chiffletio detruncatum reſtituit *pag.* 149. Ad Apoſtolicam Sedem appellandi jus in tuto collocavit *pag.* 236.

M

Macedoniani a S. Damaſo, & a Concilio dein Conſtantinopolitano I. damnati ſunt *pag.* 154, & *ſeqq.* Definitis a Pontifice adquieſcendum fuiſſe, ſtandumque ejus ceu ſupremæ, finitivæque ſententiæ probe compertum habuerunt *ibidem*.

Maimburgus Piſanum Concilium haud indubie œcumenicum fuiſſe, ac legitimum recte affirmavit *pag.* 349. Rationem agendi a Piſano Concilio cum Gregorio adhibitam non attigit *pag.* 351. Vim in decretis Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 4, & 5. faciens exploditur *pag.* 375. Hallucinatus turpiter eſt circa tempus, quo Gerſonius in Concilio Conſtantienſi ſuam de poteſtate Concilii ſupra Papam orationem habuit *pag.* 379. Notatu digna refert de Oratoribus Gallis inique ferentibus attentatum a Concilio Conſtantienſi adverſus Johannem XXIII. *pag.* 386. Appoſite, egregieque obſervavit in veterem, ac novam de præſtantia Concilii ſupra Papam opinione in Eccleſiam invecta *pag.* 389.

Mamachius Thomas Ord. Præd. de loco digniori olim facto SS. Petro, & Paulo eximie diſputavit *pag.* 35. S. Petri ſupra S. Paulum in Eccleſia Primatum a Chriſto Domino collatum egregie demonſtravit *pag.* 48, & 63.

Maronitæ ſe animo erga Apoſtolicam Sedem optime affectos nullo non tempore oſtenderunt *pag.* 284, 492, & 503. Vide V. *Orientales*.

S. Martinus I. in Monothelitas ſententiam dixit, quæ a Synodo VI. examini nequaquam fuit ſuppoſita *pag.* 214, & *ſeqq.* Qui libellos confingerent, conſcriptoſque adulterarent confixit, diriſque devovit *pag.* 237. Heraclii Ecthesim, Typumque Conſtantis condemnavit *pag.* 261; Chriſtifideles undique admonuit de cavendis Monothelitis ab ſe damnatis. Orientales de Ordinationibus Patriarcharum ab ſe abrogatis commonefecit. In Oriente, qui vices ageret ſuas, conſtituit. Orientales, Occidentaleſque ad ſubſcribendum ſententiæ ab ſe latæ in Monothelitas adegit. A Novatianorum hæreſi procul ipſe abfuit *pag.* 262. In Monothelitas ejaculatam ab ſe ſententiam Gallicanæ Eccleſiæ conſenſu confirmari indiguiſſe non indicavit *pag.* 263, & *ſeq.*

Martinus V. multis Concilio Conſtantienſi ſe poteſtate præcellere oſtendit, *pag.* 366, & *ſeqq.*; 419, & *ſeqq.* A Pontifice appellationes ad Concilium prohibuit *pag.* 367. Acta Concilii dumtaxat conciliariter agitata, ac in materia fidei elucubrata confirmavit *pag.* 368, & *ſeqq.*, 398., & *ſeqq.* Concordata cum Nationibus ſuo dumtaxat nomine ſancivit *ibidem*. Concilio inferiorem ſe nunquam exiſtimavit, egitque *pag.* 370, & *ſeqq.* Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 4, & 5. legitimi, œcumenicique loco non habuit *pag.* 397, & *ſeqq.* Quid nomine decretorum a Concilio Conſt. in materia fidei venerit, quidque Martinus intellexerit *pag.* 401, & *ſeqq.* Non venere proculdubio, neque intelligenda ſunt decreta ſeſſ. 4, & 5. *ibidem*.

Mediolanenſis, & Ravennatenſis Eccleſiæ diro, diuturnoque ſchiſmate a Romana aliquando deſciverunt. Utriuſque ſchiſmatis origo, duratio, & demum extirpatio exponitur *pag.* 588, & *ſeqq.* Earumdem Eccleſiarum Epiſcopi plerumque de Pontifici impendenda obedientia, diviniſque ejuſdem prærogativis cogitaverunt *ibidem*. Eccleſia Mediolanenſis a Diſcipulis eò directis a SS. Petro, & Paulo inſtituta eſt *pag.* 593.

Monarchia Eccleſiaſtica a Chriſto D. inſtituta quibus demum argumentis confirmetur *pag.* 83, & *ſeqq.* Quænam præſertim ex Leonardo Froereiſenio ſuppetant *pag.* 85, et *ſeqq.* Quibus potiſſimum adverſus Monarchiam Eccleſiaſticam Proteſtantes pugnent, Independentes ideſt, Eraſtitæ, Puritani, Richeriſtæ, Janſeniſtæ, Queſnelliſtæ &c. *pag.* 88, & *ſeqq.* Quæ, ac quam præclara de Monarchia Eccleſiaſtica diſſeruere Eugenius IV. Papa, & Petrus Meldenſis Epiſcopus *pag.* 121, & *ſeq.*

Monothelitæ, qui primipili, auctoreſque fuerint: a quibus Pontificibus infamiæ nota confixi; quibus in Conciliis anathemate proſcripti, et a quibus doctoribus diſputatione

ne profligati *pag.* 205 , & 216.

Montanus a Romano Pontifice communionis litteras fraude , doloque extorquere ſtuduit *pag.* 544, & *ſeq.*

Mopſveſtena Synodus potiorem in Eccleſia poteſtatem unum apud Pontificem integram conſiſtere exploratum habuit *pag.*179. Vide V. *Orientales* .

Moyſes Archidiaconus Antiochenus Patriarcharum Alexandrini , Antiocheni , et Hieroſolymitani nomine Pio II. Papæ fidem, obedientiamque deſpondit *pag.* 497.

N

NAtalis Alexander idcirco, quod de Eccleſiaſticis dogmatibus optime promeritus eſt , laudibus exornatur : præſertim quod Lutheranos , & Calviniſtas impudentiæ coarguit *pag.* 217 : quod occaſione diſpenſationum , quas a Pontifice Synodus VIII. poſtulavit, de Pontificis primatu eximie diſſeruit *pag.* 240: quod Maimburgum turpis errati recte redarguit *pag.*379, & *ſeq.* : quod adverſus Cardinalem Lotharingum a Gallicana Eccleſia Concilium Florentinum fuiſſe receptum, illudque legitimi , œcumenicique loco fore habendum demonſtravit *pag.* 522 : quodque Concilio Tridentino etiam quoad capita diſciplinæ Eccleſiam Gallicanam ſe coaptare ſtuduiſſe , utque in regno publici juris fieret , enixe fategiſſe planiſſimum fecit *pag.*529, & *ſeqq.* Ideo vero , quod erga Pontificis ſupremam poteſtatem , ac infallibilitatem ſubinfenſum animum , parum æquum , atque partium ſtudio præoccupatum geſſerit , & oſtenderit dignis excipitur *pag.* 4, 114, 120, 169, 174, 189 , 193 , 214 , 240 , 263 , 273 , 281 , 283 , 285 , 289 , 340 , 349 , 352 , 366 , 368 , 375 , 390 , 400 , 405 , 431 , 434 , 446 , 454 , 473, 486 , 489, 492, 503, 525, & 528.

Neſtorius ſtare ſupra ſe Pontificem optime perſuaſum habuit *pag.* 161, & *ſeq.* a Pontificis , ac Synodi ſententia ad Imperatorem minime appellavit *pag.* 163. a S. Cæleſtino I. ejuſque juſſu ab Epheſina Synodo in hæreticis eſt deputatus , & anathemate damnatus *ibidem* .

Nicæni I. Concilii incertus canonum numerus *pag.* 141 , & *ſeqq.* A Nicæno Concilio pleraque fuiſſe adornata decreta inter canones non adnumerata veriſimillimum eſt *pag.* 143,& *ſeqq.* Nicænos canones Arabicos dictos Orientales omnes magno in pretio habent *ibidem* . A Nicænis Patribus Romani Pontificis Primatus , adnexæque prærogativæ agnitæ profecto , & aſſertæ probe fuerunt *pag.*145,& *ſeqq.* Nicæna II. Synodus quam ob cauſſam a Synodis Francofordienſi , & Pariſienſi in dubitationem fuerit adducta , injuriamque paſſa *pag.* 217. Pontificem infallibilem in fide , ac poteſtate ſibi ſupereminere probe intellexit *pag.* 218, & *ſeqq.* A Pontifice in Synodum ipſam auctoritatem derivari , ac profluere agnovit *pag.* 219 , & *ſeq.* Definitis a S. Gregorio III. religioſe detulit , nec non decretis ab Hadriano I. *pag.* 220. Canones Apoſtolicos dictos , & Trullanos ab ea admiſſos Romana Eccleſia reſpuit , ſed & canonem 82. ab ea elucubratum rejecit *ibidem* . Pontificis litteras ad exa-

Digitized by Google

examinis incudem minime revocavit *pag.* 222, & *ſeq.*

S. Nicolaus I. in Photium, et Ignatium jus ſummum diſtrinxit: Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, dignitatemque potiori, ſupremoque loco poſuit, eamdemque eſſe falli, et fallere omnino neſciam prædicavit *pag.* 226, et *ſeqq.* Photianam pſeudo-Synodum devovit, delevit, et damnavit *ibidem*. Pontificem iterum in fide eſſe infallibilem, poteſtateque ſupra Synodum potiri demonſtravit, edixit, et declaravit *pag.* 234, 236, 240, et *ſeq.* Novam non invexit diſciplinam, nec inuſitatum jus Pontifici attribuit, jus ſcilicet indicendi ex toto Occidente ceu Patriarchæ Concilium, ſed vetus imo in tuto collocavit, veteremque diſciplinam vindicavit, et defendit *pag.* 257.

Nicolaus Cardinalis Cuſanus a ſententia de ſuperiori Concilii auctoritate, cui ex indignatione in Eugenium IV. adhæſerat aliquando, veritate demum adſpirante reſilivit, ac receſſit *pag.* 332.

Nicolaus Abbas Panormitanus pro ut e re ſua eſſet, aut ei noceret, opinionem de Concilii præſtantia ſupra Pontificem mox admiſit, mox abjecit *pag.* 331., et *ſeq.* Opinioni de potiori Concilii poteſtate Eugenium Papam apertiſſime adverſatum faſſus eſt *pag.* 470.

Noriſius Vigilii Judicatum in V. Synodo minime perlectum adverſus Petrum de Marca putavit *pag.* 191. Vigilium inconſtantiæ minus vere inſimulavit *pag.* 193, et *ſeqq.* Gelaſianum decretum de libris Canonicis, et pſeudo-epigraphis egregie defendit *pag.* 251.

O

Obſequioſum ſilentium a Janſeniſtis invectum ad eludendas Pontificias conſtitutiones perſtringitur *pag.* 236.

Œconomia erga Schiſmaticos, & hæreticos licite, & laudabiliter ſæpius uſi ſunt qua Pontifices, qua Patres, uti S. Hormiſdas, Vigilius, & S. Gregorius M.; Patres Antiocheni, S. Cirillus Alexand., & S. Proclus Conſtantinopolit. *pag.* 198. Pontifices iterum erga refractarios Synodo VII. *pag.* 217. Œconomia, quam Nicolaus V. cum Baſileenſibus, & quam Patres Conſtantienſes cum Pontificibus ſchiſmaticis adhibuere, diverſæ plane rationis fuit *pag.* 396, & *ſeq.*

Orientales Romano Pontifici ab omnibus parendum, atque a Pontifice definitis de fide ſtandum omnino fore probiſſime agnoverunt, faſſique ſunt *pag.* 154, 161, 165, 174, 176, 179, 200, 232, 259, 271, 284, 490, 491, 492, 497, 561, *ſeqq.*, & 567.

Origenem, Evagrium, & Didymum a V. Synodo hæreſis nomine haud fuiſſe damnatos pluribus adverſus hiſtoricos nonnullos, neque contemnendis conjecturis Valeſius contendit *pag.* 202, & *ſeqq.* bene vero inter hæreticos fuiſſe deputatos in altera Synodo Conſtantinopolitana circa an. 538. habita *pag.* 203, & *ſeq.*

Orſius Joſephus Auguſtinus ob egregiam, multamque, quam in defendendis Romani Pontificis juribus, ac divinis privilegiis, impendit, operam laudibus pro meritis

tis celebratur *pag.* 340, 401, & 458.

P

PAgius Romanam S. Petri ſeſſionem intra 11. annos coarctans reicitur *pag.* 17, & 18. Ejus de Vigiliano Judicato conjecturæ ceu veri minus ſimiles reſpuuntur *pag.* 191, & 192. Auctorem verſionis Græco-Latinæ actorum Concilii Florentini multi erroris rite coarguit *pag.* 488, & *ſeq.* Erudite de arcani diſciplina, ejuſdemque veteri in Eccleſia uſu, ac ceſſatione diſſeruit *pag.* 550.

Panvinius S. Petri ſeſſionem Romæ anteceſſiſſe ſeſſionem Antiochiæ exiſtimans audiendus non eſt *pag.* 19.

Particulæ *Filioque* additio ne Symbolo fieret Græci a Pontifice petunt *pag.* 294. Eam particulam dein addi Symbolo a Pontifice nec debuiſſe, nec potuiſſe affirmantes erraverunt, nec ſibi æquales ſteterunt *pag.* 484.

Partiarchæ, aut Primates Concilia nationalia, aut regionaria indicendi jus habent: indicentibus obedire Metropolitæ, & Epiſcopi tenentur *pag.* 244, & *ſeq.* Patriarcharum jura ſtatuere, declarare, inſtaurare, & confirmare ad Pontificem pertinet: quæ, & quot iſtiuſmodi Jura ſint *pag.*. 279. Patriarchæ Conſtantinopolitani a quo tempore pallio uti cœperint, quin illud a Pontifice acciperent, numque id licite, an illicite *ibidem*, & *ſeq.* Patriarcharum privilegia ex Romani Pontificis conceſſione, & conſenſu obtinent *pag.* 296. Patriarchæ ſupra ſe Pontificem ſtaré, illi ceu ſuperiori faſces ſubmittendos fore: prolatis ab illo ſententiis adquieſcendum; de fide ab illo definitis adhærendum: illo inſcio, inconſultoque fas non eſſe quidpiam adgredi, agereque: ab illo gradum ſibi confirmari oportere, illique fidei ſuæ rationem reddere; juraque ſua integre dirimenda dimittere agnoverunt, ac ultro citroque adfirmarunt *pag.* 180; 497, 562, & *ſeqq.*; 567, & *ſeq.*, & 587.

S. Paulus Epiſcopus quidem fuit, non ſecus atque ceteri Apoſtoli, contra quam pugnaverint Salmaſius, Caſaubonus, aliique Proteſtantes *pag.* 37, & 38. non fuit tamen Romanus Epiſcopus, contra quam propugnare non erubuerunt Queſnellus, Barchoſius, aliique e grege Janſeniſtarum *ibidem*, & *ſeq.*

Paulus III, Julius III, & Pius IV. ſummo jure cum Tridentina Synodo uſi ſunt *pag.* 507, & *ſeqq.* nempe Synodum indicendo, ſuſpendendo, reſumendo, transferendo, continuando, confirmando *ibidem* Paulus III. Edictum Spirenſe, & *Interim* Caroli V. ſuprema auctoritate ſua infregit, & infirmavit *pag.* 508, & *ſeqq.* Pius IV, ne Pontificis, ſi vacare Apoſtolicam ſedem contingeret, electio fieret a Concilio, bene vero a Cardinalibus cautum omnino voluit *pag.* 515. In Concilio Tridentino ſupremam ſibi auctoritatem vindicavit, & aſſeruit *pag.* 523, & *ſeqq.*

Perronius una, atque Harlæus inſignem locumepiſtolæ SynodicæConcilii Arelatenſis ad S.Silveſtrum integritatiſuæ reſtituit *pag.* 253. Canonem 3. Concilii Lateranenſis IV. recte interpretatus eſt *pag.* 282.

Petitdidierus ob egregiam ad vindicandam Romani Pontificis infallibilitatem, ſupremamque poteſtatem operam impenſam laudatur *pag.* 294. Ob ingentem laborem, inſignemque in expendendis actis, & decretis Concilii Conſtantienſis exantlatum,ut ex iis demum oſtenderet Pontificis divinis privilegiis nihil fuiſſe derogatum,laudibus pariter excipitur *pag.* 357, & *ſeq.*

Petra Vincentius Cardinalis de antiquis Romanorum Pontificum ſigillis, veterique, ac nupera eorum forma egregie differuit *pag.* 32. Papebrochius item *ibidem*.

S. Petrum Romam profectum, ibi Pontificatum adminiſtraſſe, ibique demum mortem adſpexiſſe docent SS. Patres, ſcriptoreſque graves qua Latini, qua Græci *pag.* 12, & *ſeqq.*; quorum in ſententiam pedibus, manibuſque deſcenderunt Proteſtantium plerique. Qui contra pugnant refelluntur *pag.* 14, & *ſeqq.* Quo anno S. Petrus Romam advenerit; quot annos ibi ſit demoratus; quo demum anno ibidem vita defunctus *pag.* 15, & *ſeqq.* S.Petrum una cum S.Paulo Romanum Epiſcopum egiſſe plerique effutierunt *pag.* 22, & *ſeqq.* At ſolitarie abſque S. Pauli conſortio eo munere defunctum fuiſſe demonſtratur *ibidem*. SS. Patrum dicta de SS. Petro, & Paulo a Barchoſio aliorſum intorta germanæ ſuæ interpretationi reſtituuntur *pag.* 27, & *ſeqq.* S. Petro ſiniſtra, & S. Paulo dextera in Sarcophagis, imaginibus, muſivis, & diplomatibus ſæpe data conſpicitur *pag.* 33. Qua demum ratione id factum fuerit Eruditorum variæ cònjecturæ, ſententiæque ſunt *ibidem*, & *ſeqq.* Variatus ſæpe eorumdem ſitus eſt *pag.* 35, & *ſeq.* S. Petri in Eccleſia Primatus nedum ordinis, aut honoris, ſed etiam juriſdictionis adſtruitur ex Dei verbo ſcripto, & tradito *pag.* 43, & *ſeqq.*, 59, & *ſeqq.* Proteſtantes S. Scripturam aliorſum, ſiniſtreque intorquentes, ſive adverſus traditionem obtinentes, dimicanteſque oppugnantur, & profligantur *pag.* 44, & *ſeqq.*; 68. & *ſeqq.*

Petrus de Marca in opiniones parum æquas imprudenter ſe abripi ſæpe permiſit *pag.* 11. Primatum Romani Pontificis loco ſtabilire pro virili parte adnixus eſt, laudemque perinde promeruit *pag.* 107, 115, & 122. Præjudicatam de Pontificis privilegiis opinionem animo prætulit pag. 149, & *ſeqq.* A Neſtorio ad Imperatorem fuiſſe provocatum perperam opinatus eſt *pag.* 163. Peſſime conjecit in cauſſam, ob quam a S. Leone M. canon. 28. Chalcedonenſis fuit infractus *pag.* 169. S. Leonis epiſtolam a Concilio Chalcedonenſi ad fidei regulas fuiſſe expenſam falſo affirmavit *pag.* 174, & *ſeq.* Vigilium ab omni inconſtantiæ labe abſterſit, ejuſque agendi rationem prudentiæ recte adſcripſit *pag.* 193. Hadriani II. Legatos in Synodo VIII. ſumma auctoritate defunctos rite obſervavit *pag.* 232. Sardicenſem Synodum ob appellationes ad Apoſtolicam ſedem delatas inique exagitavit *pag.* 236.

Petrus Diaconus Æthiopum Orator Imperatoris, Gentis, ſuoque nomine Eugenii IV. fidei ſe integre dedidit,obedientia ſe devinxit, deque rectis dogmatibus edoceri voluit *pag.* 491, & *ſeq.*

Petrus Meldenſis Epiſcopus ex Gallicanæ Eccleſiæ nomine, & ſententia adverſus pſeudo - Synodum Baſileenſem in Concilio Florentino de Pontificis ſuprema poteſtate, & infallibilitate præclare diſſeruit *pag.* 339.

Petrus Sotus Pontificem Concilio ſupereminere, eſſeque ſuperiorem vivens, morienſque conteſtatus eſt *pag.* 522, & *ſeq.*

Photius homo hominum profligatiſſimus auſu nefario, inauditoque ſcelere in S. Nicolaum I. anathema intorſit *pag.* 228. Vide V. *S. Nicolaus I, Hadrianus II, & Concilium Conſtantinopolit. IV.*

Piſana Synodus pro extirpando diro ſchiſmate tum graſſante indicta quoto Epiſcoporum numero, aliorumque conſtarit *pag.* 341. Quænam adverſus contendentes de Papatu decreverit: quoſve decreti hujuſmodi adverſarios habuerit *pag.* 342, & *ſeq.* ob unam Schiſmatis, hæreſiſque cauſſam Pontifices, & quidem dubios in jus accerſivit *pag.* 343. Varia eſt de ejuſdem Synodi auctoritate doctorum ſententia *pag.* 344, et *ſeqq.* Œcumenicis Synodis gravibus intercedentibus cauſſis adcenſenda non eſt *pag.* 346, et *ſeqq.* Eam veluti vere œcumenicam valuiſſe contendentes reiciuntur *pag.* 437, et *ſeqq.* Ex ea nihil Pontificis ſupremæ poteſtati adverſum extundi poteſt *pag.* 352, et *ſeqq.* Qua cautela vel cum dubiis Pontificibus agendum ſibi propoſuerit *ibidem*.

Piſana altera pſeudo-Synodus a Cardinalibus Julio II. infenſis illo inſcio indicta, quamvis a maleferiatis nonnullis defenſa, peſſimo tamen loco a bonis omnibus habita eſt *pag* 499. Decreta ab eadem adornata de Concilii poteſtate ſupra Pontificem veluti legitima auctoritate deſtituta nauci floccique fieri debent *pag.* 500, et *ſeq.* Eadem reſcidit Concilium Lateranenſe V, execrati ſunt vero cordati omnes *ibidem*.

Pius II. Vide V. *Æneas Silvius*.

Pius IV. Videſis V. *Paulus III.*

Pontifex Romanus loqui ex Cathedra quomodo intelligatur *pag.* 2, & *ſeqq.* Diſtinctionem in Pontifice qua perſona ſingularis eſt, et qua publicus Eccleſiæ magiſter, vel peſſime irridentes, vel prave interpretantes exploduntur, exſuflantur *pag.* 3, et *ſeqq.* Diſtinguenda neutiquam eſt ſedes Apoſtolica a Pontifice in ea ſedente: qui primus diſtinxit, Auxilius Presbyter dignis vapulat *pag.* 7, et *ſeqq.* Pontificibus in Eccleſiaſticis rebus decernendis Synodorum, aut Epiſcoporum, aut Romani Cleri conſilia adhibere ſolemne erat, non tamen ſemper adhibuere, neque ſi non adhibeant, propterea infallibilitatis privilegio excidunt *pag.* 4, et *ſeqq.* Pontifici Romano in Eccleſia collatum a Chriſto D. fuiſſe Primatum honoris, auctoritatis, et juriſdictionis, cujuſque appendices eſſent privilegia infallibilitatis, ac poteſtatis ſupra Concilia probatur ratione fundamentali *pag.* 76, et *ſeqq.*; 95. et *ſeqq.* Probatur perinde ex S. Scriptura junctis SS. Patrum, SS. Pontificum, Synodorum, et Scriptorum interpretatione, teſtimonio, et traditione *pag.* 97, et *ſeqq.* Proteſtantes, Richeriſtæ, Janſeniſtæ, Queſnelliſtæ etc. S. Scripturæ textus ſiniſtre intorquentes exagitantur, exſuflantur *pag.* 99, et *ſeqq.* S. Scrip-

Scripturæ teſtimoniis ad Pontificis privilegia elevanda, aut evertenda abutentes corripiuntur, caſtigantur *pag.* 119, et *ſeqq.* Pontifices quamplurimi, et quidem ſapientia, et ſanctitate perſpicui præfata privilegia integra ſibi jugiter manere juſſerunt, et curarunt *pag.* 108, et *ſeqq.*, 137, et *ſeqq.*, 150, 177, et 216. Pontificum nava opera ſedatum, abolitumque tandem ſchiſma eſt ob tria Capitula creatum *pag.* 187, et 193. Pontificum litteræ dogmaticæ, et decretales vel a Synodis Oecumenicis ad examen revocari nequeunt, neque uſquam ſunt revocatæ *pag.* 174, et *ſeqq.*, 184, et *ſeq.*, 215, et *ſeqq.* A Pontifice vel in Synodos ipſas œcumenicas vis, et poteſtas velut a capite in ſubjectum ſibi corpus dimanat, et defluit *pag.* 219, et *ſeq.* Ad Pontificem cauſſæ ipſum attingentes a Synodis etiam œcumenicis dimittuntur dirimendæ *pag.* 232, et *ſeq.*

Pontificem Romanum in fide falli, et fallere nequire, potiorique auctoritate præ Synodo potiri a Synodo VIII. agnitum, et aſſertum eſt *pag.* 234. Id inficiantes in eadem Synodo exploſi ſunt *pag.* 235, et *ſeq.* A Pontificibus frequens, precibuſque infimis poſtulatum, ut adverſus hæreticos, ſchiſmaticos, ac refractarios decreta ederent, et evulgarent plerique Patres perhibuerunt *pag.* 239. Diſpenſationes a Pontifice Synodus VIII. petiit *pag.* 240. In Pontificem vel a Synodo dici ſententia nullo poteſt modo: poteſt vero Pontifex Synodos, aut Synodorum canones infirmare, et infringere *pag.* 241, et *ſeq.* Videſis V. *Concilia* Pontificis eſt Vicarios, qui Apoſtolicæ ſedis auctoritate, et nomine cuncta diſponant, in Oriente, et Occidente quos, et quando e re eſſe judicarint, et voluerint creare, et conſtituere *pag.* 252, et *ſeq.* Primatis, ac Patriarchæ ſupremum gradum, ſub eoque compoſitos gradus omnes hierarchicos in Romanis Baſilicis egregie, riteque expreſſerunt *pag.* 257, et *ſeq.* Poteſtatem ſuam damnandi hæreticos, detrudendi Patriarchas, deſignandi Vicarios, et Epiſcopos omnes, ac Chriſtifideles ubique gentium obſtringendi ad ſubſcribendum, quieſcendumque latis ab ſe ſententiis in hæreticos ſæpius oſtenderunt *pag.* 261, et *ſeqq.* Decreta ab ſe edita a Synodis executioni demandanda eſſe: ab Antiſtitibus omnibus ubique admittenda, ex ſeque nullo præhabito examine, vel aſſenſu vim obligandi obtinere docuerunt, et demonſtrarunt *pag.* 265, et *ſeq.* Quamobrem formulam illam *Sacro approbante Concilio* in Synodis adhibere cœperint, et conſueverint *ibidem*.

Pontificii juris particula eſt appellantes vel a Synodo admittere, fidei controverſias dirimere, in hæreticos pœnas diſtringere *pag.* 268, et *ſeq.* præterea fidei ſymbolum procudere *pag.* 371, et *ſeq.* perinde de fidei quæſtionibus finitivam, ſupremamque proferre ſententiam: id ſibi Pontifices, id ipſis Patres adſcripſerunt *pag.* 273, & *ſeq.*, 298, & *ſeq.* Ejurandi ſchiſmatis formulas vel Synodis præſcribere ad Pontificem attinet *pag.* 277, & *ſeq.* Ad hæc libros approbare, ſeu damnare. Amplius. Patriarcharum jura declarare, inſtaurare, confirmare *pag.* 279. Se potes in temporalia

Principum autumarunt Pontifices *pag.* 280, & *ſeqq.* Imperatoribus imo gradum confirmandi jus ſibi adjudicarunt *pag.* 283; atque prout oporteret, gradu illos deturbandi *pag.* 285, & *ſeqq.* De privilegiis propriis Græcos erudierunt *pag.* 291, & *ſeqq.* Peculiaria quædam eorum Patriarchis fecere communia *pag.* 296. Conſtitutiones in Conciliis edere, aut editas recipere, aut reſpuere Pontifices poſſunt *pag.* 297, & 301.

Pontificis proprium, & perpetuum eſt de germano S. Scripturæ ſenſu decernere, & dicere *pag.* 302. De Pontifice indubio, & legitimo tempore etiam ſchiſmatis loco deturbando nunquam cogitatum, cœptumque conſilium eſt *pag.* 350. Id conſilii inceſſit dumtaxat de Pontificibus dubiis, ſchiſmaticis, aut, hæreſis ſuſpicione laborantibus *ibidem*, & *ſeqq.* Qua imo cautela, quove conſilio vel cum hujus genus Pontificibus de Pontificatu decertantibus actum fuerit a Conciliis Piſano *pag.* 352, & *ſeqq.*, atque a Conſtantienſi, a quo plane Pontificis ſupremæ poteſtati nihil detractum, derogatumque *pag.* 374, & *ſeqq.* Vide V. *Conſtantienſe Concilium*, & V. *Martinus V*, & *Johannes XXIII.* Neque etiam Pontificis ſupra Concilium poteſtatem læſit, aut labefactavit Concilium Baſileenſe *pag.* 446, & *ſeqq.* Vide V. *Baſileenſe Concilium*, & V. *Eugenius IV.* Pontifices aliquando ex vi, & metu agentes excuſandi ſunt *pag.* 462, & *ſeqq.* Græci ad agnoſcenda privilegia Pontificis adacti ſunt *pag.* 481, & *ſeqq.* Agnoſcere detrectantes gravi in errore verſati, nec ſibi æquales ſteterunt *pag.* 484. Græcis, Armenis, Maronitis, Jacobitis, Syris, Chaldæis, Æthiopibus fidei formulæ præſcriptæ fuerunt, juxta quas Pontifici ceu ſuprema poteſtate defungenti, atque de fide docenti ceu a fide neſcienti deflectere obedire, & obauſcultare deberent *pag.* 490, & *ſeqq.*; et 497. Ad Pontificem attingit hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradus, ordines, & officia diſtinguere, diſtribuere, dirigere *pag.* 503. In Tridentina Synodo Pontificis ſuprema poteſtas emicuit *pag.* 507, & *ſeqq.* Ut Tridentina Synodus in Gallia publici fieret juris apud Galliarum Reges Pontifices obnixe egerunt *pag.* 532. Fidei, & fidelitatis formulas Epiſcopis conſcribere, eoſque ad fidei ſuæ rationem reddendam compellere Pontificibus in more poſitum erat *pag.* 542, & *ſeqq.* Ad Pontificem controverſiæ finiendæ undique deferebantur *ibidem*, & *pag.* 544. A Pontifice in Eccleſiam univerſam poteſtas promanat *pag.* 545, & *ſeq.*; & 598. Quibus modis Eccleſiæ unitatem, ac cum Romana communionem ſignificare, ac cuſtodire ſolerent *pag.* 548, & *ſeqq.* Vide V. *Fermentum*, & *Litteræ*. Decretales, aut Synodicas ad Synodos dirigere, agenda, decernendaque præfinire; Synodicas a Synodis accipere, ab iiſque decreta, actaque probare, vel reprobare Pontificibus ſolemne fuit *pag.* 557, & *ſeqq.*

Pontifices Romanos poteſtate ſuprema potiri, atque in fide eſſe prorſus infallibiles agnovit ſemper Eccleſia ſive Orientalis, ſive Occidentalis. Vide V. *Eccleſia*. Adverſus Arianos Paſcha die Dominico poſt Lunam 14. decurrente celebrandum indi-

indixere SS. Anicetus, & Victor eam in rem Conciliis in Oriente, & Occidente multis indictis *pag.* 573, & *ſeq.* In hæreticos vario nomine anathema diſtrinxerunt SS. Victor, Melchiades, & Siricius *pag.* 574. Adverſus Africanos baptizatos ab hæreticis haud rebaptizandos decrevit S. Stephanus *ibidem*. Arianis dicam appinxit; Antiſtites vero orthodoxos abſolvit, & reſtituit S. Julius I. *pag.* 576. Apollinariſtas, Macedonianos, Arianos &c. damnavit S. Damaſus *ibidem*. Diſciplinæ regulas ſancivit S. Siricius *pag.* 577. Jovinianum idem devovit, vitandumque denuntiavit *ibidem*. Pontificis eſſe partes ex ſua, Epiſcoporumque perſona res fidei definire, ſententiaſque proferre, eumdemque de fide definientem a fide deflectere non poſſe affirmarunt Concilia, confirmarunt Pontifices, & comprobarunt Doctores *pag.* 578. Contra Pontifices a Concilio nihil rite attentari poſſe Concilia ipſa conteſtata ſunt *pag.* 579: præcipienti imo Pontifici ſibi onus incumbere obediendi *ibidem*, & *pag.* 581, 583, & 599. Pontifex nullus unquam ab ulla Synodo rite in judicium expoſtulatus eſt, vel judicium in Synodo ulla jure eſt expertus: ſed in Pontifices deſævitum eſt dumtaxat a ſchiſmaticis; vel in ſchiſmaticos Pontifices a Synodis: exemplis per ſingulos Pontifices injuriam paſſos, invidiamque preſſe excurrendo fit iſtud exploratum *pag.* 580, & *ſeq.* Penes unum Pontificem rei Chriſtianæ ſummam ſtare, eique decernenti ab Eccleſia univerſa adquieſcendum Concilia edixerunt *pag.* 583, & *ſeq.* Ut canonem S. Scripturæ ab ſe adornatum comprobaret Pontifex ab Africanis Præſulibus enixe depoſcitur. In Pontifices inſurrexerunt aliquando, ac de obedientia pugnarunt Epiſcopi Mediolanenſes, & Ravennates, ſed Pontificibus tandem faſces ſubmittere, moremque gerere compulſi ſunt *pag.* 588, & *ſeqq.* Pontifici definienti, ut in fidei dogma, infallibiliſque evadat definitio, non opus eſt, ut Eccleſiæ accedat aſſenſus *pag.* 113, & *ſeq.*; 600, & *ſeq.*

Poteſtas alia ordinaria, alia extraordinaria: illa Petri, iſta aliorum Apoſtolorum *pag.* 26, 48, & 94: item aliud poteſtas, aliud poteſtatis uſus: penes Pontificem integra illa ſtat: hujus in partem Epiſcopi veniunt vocati *pag.* 82.

Pragmatica ſanctio Avarici Biturigum ex Baſileenſis Concilii decretis conſarcinata a Pio II, ac dein a Leone X. abolita, & abrogata eſt: Pontificibus, ut oportebat, paruerunt Ludovicus XII, & Franciſcus I. Galliarum Reges: Pariſienſis Senatus, & Academia a Pontifice ad Concilium temere appellaverunt, ſed auſcultatum illis non eſt *pag.* 496, & *ſeq.*; 501, & *ſeq.*

Q

Queſnellus Paſchaſius, (quo in errore pariter volutati ſunt Richerius, & Barchoſius,) in Romano Epiſcopatu gerendo S. Petro ſocium, ſupparemque S. Paulum dedit, ſed depellitur *pag.* 38, & *ſeq.* Canonibus Sardicenſibus de appellationibus ad Romanum Pontificem invidens una cum Petro de Marca, auctore epitom. hiſt. Ecleſ.

cleſ., aliiſque caſtigatur *pag.* 149. 151, & *ſeqq.* Concilii Chalcedonenſis actionem 11. inficiatos a Baluzio vapulat *pag.* 169. S. Leonis M. litteras, antequam in fidei dogma admitterentur, a Concilio Chalcedonenſi ad examinis incudem expenſas fuiſſe oggerens repellitur *pag.* 174, & *ſeq.* Legatos Eccleſiæ Romanæ ad Synodos Orientales legatione pariter Eccleſiæ Occidentalis defunctos commentus exploditur *pag.* 207. Synodi Sardicenſis de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam canones vexans, elevans, vellicans iterum retunditur, & refellitur *pag.* 236. Pontificis jura Patriarchalia turbans, & pervertens torquetur, & perſtringitur *pag.* 244, & *ſeqq.* Pontificem ab Eccleſia poteſtatem accipere affirmans ignorantiæ, impudentiæque infami nota afficitur *pag.* 410.

R

Ravennas Eccleſia a Romana aliquando ſchiſmate divulſa cum eadem de obedientia decertavit. Vide V. *Mediolanenſis*.

Regimen generatim in duplici genere poſitum eſt: aliud Monarchia, alterum Polyarchia audit, quæ perinde in Ariſtocratiam, Democratiam, & Olygarchiam diſcinditur *pag.* 76. Præſtantior omnium eſt Monarchia *ibidem*, & *ſeqq.* Regimen Eccleſiæ Monarchicum a Chriſto D. inſtitutum adverſus Proteſtantes demonſtratur ex S. Scriptura *pag.* 78, & *ſeqq.*; ex SS. Patribus, aliiſque Scriptoribus *ibidem*: præterea invictis rationum momentis *pag.* 80, & *ſeqq.* Qui contra pugnant, profligantur *pag.* 82, & *ſeqq.* Regimen Eccleſiaſticum nunquam vel apud Plebem, vel apud Preſbyteros conſtitit *pag.* 90; & *ſeqq*: nec penes Epiſcopos ſolos, ſed apud Pontificem integra regiminis ſumma jugiter ſtetit *pag.* 92, & *ſeq.*

Regularibus jus ferendi ſuffragii in Conciliis ab Apoſtolica Sede elargitum fuit *pag.* 515, & *ſeq.*

Religionem vel omnem evertere, ac profligare, vel inducto Tolerantiſmo turbare, & inficere quinam, & quot olim, ac nunc enixi ſint *pag.* 535, & *ſeqq.*; 539, & *ſeq.* Varia religionis ſyſtemata ab illis excogitata ſunt; & variæ religionis cum aliis ſectis comparationes ab iſtis inſtitutæ: a quibuſnam ſive iſti, ſive illi proſtrati fuerint, & protriti *pag.* 537, & *ſeqq.*

Remenſe Concilium ſub Eugenio III. ex ingenti Epiſcoporum, aliorumque numero coaluit. Symbolum fidei adverſus Gilberti errores ab eo adornatum inconſulta Romana Eccleſia a Cardinalibus graviſſimis reprehenſum fuit *pag.* 271.

Richerius Edmundus Monarchiæ Eccleſiaſticæ peræque, atque Spalatenſis, aliique Proteſtantes, infenſus, infeſtuſque refellitur, & refutatur *pag.* 22, 38, 88, & 99. Accipiens aliorſum, ac ſiniſtre Sardicenſes canones de appellationibus ad Apoſtolicam Sedem ſugillatur *pag.* 151, & *ſeqq.* Pontificem propriam ab Eccleſia accipere auctoritatem commentus caſtigatur *pag.* 410.

Robertus Creygthon peſſimæ fidei in vertendis actis Concilii Florentini coarguitur *pag.* 488.

Rodulphus Wormatienſis Decanus graviſſimis, quibus ſupremam Romani Pontificis poteſtatem prædica-

dicavit, verbis Dietherum Archiepiſcopum Moguntinum a Pontifice ad Concilium appellantem a ſententia deterruit, atque ad revocandam interpoſitam appellationem deduxit *pag.* 496.
Rollinus particulam *Quemadmodum* in definitione fidei ab Eugenio IV. approbante Concilio Florentino appoſitam alioſum intorquens exploditur *pag.* 486, & *ſeq.*
Ruffinus a S. Siricio litteras communionis extorquere ſtuduit, quas contra S. Anaſtaſii ſententiam in ſe latam jactaret *pag.* 545.

S

SArdicenſis Synodus dubio omni procul legitimæ, œcumenicæque loco haberi debet *pag.* 148, & *ſeqq.* Ex ingenti Epiſcoporum numero coaluit *ibidem*. Adverſarios aliquando paſſa eſt S. Baſilium, Aurelium Carthagin., Photium, & Auxilium Presbyterum *pag.* 149. Ejus canones ab Eccleſia ſive Orientali, ſive Occidentali approbati, & admiſſi ſunt *ibidem*, & *ſeq.* Apoſtolicam Sedem appellatione etiam a generali Concilio interpoſita pulſandi facultatem cuique patere, ad eamdemque majores Eccleſiarum cauſſas deferendas fore ſancivit, et decrevit *pag.* 150, et *ſeq.* Ejuſmodi canones qui inficiantur, aut ſiniſtre intorquent perſtringuntur, et profligantur *pag.* 151, et *ſeqq.*
Sarpius Paulus, ſive Suavis Polanus a Concilio Tridentino declaratum fuiſſe Pontificem Concilio ſuperiorem ſcripſit *pag.* 525. Perſuadere peſſime enixus eſt Concilium Tridentinum ab omnibus eſſe explodendum: nefarium conſilium iſtud ſimiliter injerunt, et urſerunt Le Courrajer, Molinæus, Gentiletus, Kemnitius etc. *pag.* 531, et *ſeq.*
Scheleſtratius Emanuel ob vindicatum, reſtitutumque adverſus Decanum Londinenſem Arelatenſi I. Concilio integrum textum laudibus excipitur *pag.* 253. Ob reſtituta, vindicataque legitima acta Concilii Conſtantienſis ab ipſius obtrectatoribus defenditur *pag.* 358.
Schiſma Aquilejenſe quando, a quibus, et quam ob cauſſam occeperit: quo tandem tempore, ſub quove Pontifice finem acceperit *pag.* 187, et *ſeq.*
Scripturæ Sacræ ſenſum authentice interpretari ad unum Pontificem pertinet *pag.* 302.
Serrius Jacobus Hyacinthus Romano Pontifici in definitionibus fidei, ut infallibilis evadat, Romanæ Eccleſiæ aſſenſum non rite accumulavit *pag.* 4, et 114. Apoſtolos a Chriſto D. in ultima cœna Sacerdotes, nec non Epiſcopos ſimul ordinatos ex Tridentini ſententia non recte aſſeruit *pag.* 38.
Sigilli Romani Pontificis diverſa ſæpius forma fuit *pag.* 32: in eo diverſum ſæpe ſitum SS. Petri, et Pauli Imagines obtinuerunt *pag.* 33, et *ſeqq.* Sigillo Pontificio a Concilio Conſtantienſi ſuum ſuffectum fuit *pag.* 413.
S. Siricio cultum decrevit, ac vindicavit BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus *pag.* 577.
Sirmondus Gallicanorum Præſulum, qui Synodo Romanæ ſub Stephano III. interfuerunt, nomina in Codicibus Anaſtaſii excíſa reſtituit *pag.* 251, et *ſeq.*
Spondanus a Gallicana Eccleſia Con-

cilii Baſileenſis decreta nequaquam approbata fuiſſe, et admiſſa affirmavit *pag.* 340. Neque Martino V. Concilii Conſtantienſis decreta de præſtantia Concilii ſupra Papam accepta recte animadvertit; unaque decreta ejuſmodi praxi, doctrinæque Eccleſiæ adverſa eſſe *pag.* 373, et 400.

S. Stephanus Junior Monachus egregie de Romani Pontificis privilegiis ſenſit, et prædicavit *pag.* 221.

Stephanus Pragenſis quæſtionem de poteſtate ſuperiori Pontificis, an Concilii inter diſputationes mere ſcholaſticas adnumeravit *pag.* 330.

Succeſſio alia localis, alia univerſalis: iterum perſonalis alia, alia realis: quæ S. Petri, ac Pontificis; et quæ Apoſtolorum, et Epiſcoporum *pag.* 31.

Symbolum Conſtantinopolitanum non niſi longum poſt tempus a Latina Eccleſia, ac præſertim Romana admiſſum eſt: ſed primo ab Hiſpana, deinde a Gallicana, et Germanica, ac poſtremo a Romana *pag.* 158. Symbolum condere inconſulta S. Romana Eccleſia nec etiam Synodo licet *pag.* 271, et *ſeq.*

Synodi ſive in Oriente, ſive in Occidente celebratæ, quæ Pontificis Romani privilegia ſuo loco, et honore habuerunt, ſummatim ordine ſuo recenſentur: ſunt autem Alexandrina anno 339, 362, 430, 496. *pag.* 564, et *ſeqq.* Antiochena anno 270, 379, 450. *pag.* 566, et *ſeqq.* Conſtantinopolitana anno 382, 449, 497, 520, 536, 1276. *pag.* 561, et *ſeqq* Hieroſolymitana anno 415, 649, 1160. *pag* 568, et *ſeq.* Mopſveſtena *pag.* 567. Illyrica *pag.* 569. Tyanenſis *pag.* 570. Euphrateſiæ, Epiri, et Cypri *pag.* 570, et *ſeq.* In Latina Eccleſia Romanæ quamplures *pag.* 573, et *ſeqq.* Africanæ *pag.* 577, et 584. Carthaginenſis, et Milevitana an. 402, et 416. Africanæ an. 418, 534, 646. *pag.* 584, et *ſeqq.* Aquilejenſis an. 381. *pag.* 586. Mediolanenſis *ibidem*. Taurinenſis an. 395. *pag.* 587. Ticinenſis an. 876. *pag.* 588. Germanica, ſive Liptinenſis an. 743. *pag.* 593. Aquiſgranenſis an. 860, *ibidem*. Triburienſis an. 895. *pag.* 594. Altheimentenſis an. 916. *ibidem*. Quintiliniburgenſis an. 1085. *pag.* 595. Tarraconenſis an. 465. *pag.* 596. Bracarenſis an. 560, *ibidem*. Toletana III. an. 589. *ibidem*. Cloveshovienſes an. 747, et 800. *pag.* 597. Calchutenſis an. 787. *ibidem*. Cantuarienſis an. 1072. *pag.* 598. Oxonienſis an. 1408. *ibidem*, et *ſeq.*

Synodicæ. Videſis V. *Litteræ*. Synodicus. Vide V. *Ceillierius*.

Syri Sedi Apoſtolicæ individue ſe addixerunt *pag.* 492. Vide V. *Orientales*.

T

Templariorum cauſſa in Concilio Viennenſi a Clemente V ex Concilii ſententia jure ſummo concluſa eſt *pag.* 300, et *ſeq.*

Tertulliani inſignis locus ab hæreticis de Eccleſiarum omnium æqualitate ſiniſtre acceptus rectæ ſuæ interpretationi reſtituitur *pag.* 93, et *ſeq.*

S. Theodorus Studites Apoſtolicæ Sedi ſtudentiſſimum, devotiſſimumque ſe exhibuit, & dedidit *pag.* 221.

S. Thomas Aquinas D. A. pertinere ad Pontificem, pro ſuo privilegio infal-

infallibilitatis, potiorisque in Eccleſia poteſtatis, Symbolum fidei procudere, ac fidelibus præſcribere docuit *pag.* 272. Ab intorta autem Natalis interpretatione defenditur *pag.* 275, & *ſeq.* A Pontifice perinde in ceteros Epiſcopos auctoritatem derivare dixit *pag.* 547.

Thomaſſinus Ludovicus ob æquum, optimumque, quo Romanos Pontifices proſequutus es animo, ſtudiumque obnixum, quo ipſorum prærogativas loco ſuo poſuit, laudibus promeritis cohoneſtatur *pag.* 115, 226, & 554. Appoſite in quædam Gerſonii parum æqua effata animadvertit *pag.* 314, & *ſeq.*

Tillemontius Synodi Romanæ ſub S. Felice III. inſignem locum de Pontifice decreta in Synodis proprio nomine proferente tam falſo quam fruſtra de Pontifice decreta Synodorum dumtaxat promulgante interpretatus eſt *pag.* 578.

Timotheus Tarſenſis Metropolita fidei profeſſionem juxta formulam ipſi præſcriptam ab Eugenio IV. emiſit, eidemque ſuo, Chaldæorumque ſuorum nomine obedientia ſe obſtrinxit *pag.* 492.

Tomi Occidentalium, cujus mentio in Concilio Conſtantinopolitano I. occurrit, nomine accipiendam fore fidei formulam a S.Damaſo adornatam demonſtratur *pag.* 156, & *ſeq.* Balſamon, Zonaras, Juſtellus, Andreas Rhodius, aliique hoc nomine fidei formulam a Synodo vel Antiochena, vel Nicæna elaboratam intelligentes exagitantur *pag.* 157.

Toſtatus Alphonſus ob privatum odium in Pontificem in opinionem de præſtantia Concilii ſupra Papam deſcendit, cui oppoſitum plane, dum mentis eſſet integer, docuit *pag.* 339.

Tournellius Bellarminum, ob aſſertam uni Petro ſupremam poteſtatem in ceteros derivandam carpens, ſemet correptione dignum præbuit *pag.* 50.

Tridentinum Concilium a quo Pontifice indictum: ſub quo inchoatum: a quo completum, & confirmatum *pag.* 507. Pontifici primas detulit, ac facile infallibilitatis præterea privilegium *ibidem*, et *ſeqq.* Adſtruitur iſthæc Synodi ſententia ex varia agendi ratione, quam eadem in Synodo ſive Pontifices, ſive Legati ab initio ad exitum invicte tenuerunt *pag.* 512, & *ſeqq.* De titulis, quibus inſcribi, inſignirique deberet Concilium, diſputatum eſt, qua in contentione vicerunt Legati *pag.* 514: Qui Legati pariter obnixe, invicteque obſtiterunt hæreticis depoſcentibus a Concilio decerni de Concilii poteſtate ſupra Papam *pag.* 516, & *ſeq.* De vocabulis, quibus exprimenda in decretis forent Pontificis privilegia decertatum a nonnullis in eo eſt: pro viribus a Pontificis partibus ſtetere, & obſtitere Legati, aliique *pag.* 518, & *ſeqq.*; 523, & *ſeqq.* Eodem in Concilio variemode opinatum eſt de communione ſub utraque ſpecie concedenda, vel deneganda *pag.* 526. Varia decreta elucubrata ſunt, quibus Pontifici ſuprema auctoritas delata ſignificabatur *pag.* 527, & *ſeqq.* Concilium Tridentinum ab Eccleſia etiam Gallicana admiſſum eſt: non item a Regia Aula, ac Regni Curiis *pag.* 529: Ab Eccleſia univerſa religioſe receptum eſt *ibidem*, & *ſeqq.* In Tridentinum Concilium iniquos ſe præbuerunt Sarpius, Le Courajer, Mo-

Molinæus, Gentiletus, Kemnitius, Wargas etc., qui propterea vapulant *pag.* 531, & *ſeq.*

Turrecremata Johannes Cardinalis Baſileenſe Concilium nec legitimi, nec œcumenici loco habendum ad oculum oſtendit *pag.* 436, 437, 449, 451, 462, 464, 469, & 494. A Romano Pontifice in Eccleſiam poteſtatem dimanare demonſtravit *pag.* 546, & *ſeq.*

V

Valeſius Henricus Origenem, Evagrium, & Didymum a Synodo V haud fuiſſe damnatos; bene vero in altera Synodo Conſtantinopolitana circa annum 538. habita multis conjecit *pag.* 202, & *ſeqq.*

Vicarii Apoſtolicæ Sedis cum in Oriente, tum in Occidente qui, a quo, & quando conſtitui cœperint *pag.* 252, & *ſeq.*

S. Victor I. Papa Paſcha poſt Lunam 14. celebrandum indixit; inque Aſianos decreto iſtiuſmodi obtrectantes anathematis jaculum demum intorſit *pag.* 573, & *ſeq.*

Viennenſe Concilium Pontifici Romano privilegia divinitus collata impenſe coluit *pag.* 299, & *ſeqq.* Vide V. *Clemens V.*

Vigilius auctoritatem ſuam ſupra Synodum V. erexit *pag.* 180, & *ſeqq.* Juſtiniano Imperatori ſe ſe in res Eccleſiaſticas ingerenti obſtitit imperturbatus *ibidem*. In Epiſcopos jus ſummum exeruit *pag.* 181. Synodo V. ſolus ipſe interceſſit *pag.* 182, & *ſeqq.* Synodi decreta ſola Apoſtolicæ Sedis auctoritate infringi affirmavit *pag.* 184. Synodo V. calculum ſuum demum adjecit, atque ad gradum, quo nunc eſt, erexit *pag.* 185, & *ſeq.* Vigilii epiſtola decretalis ad Eutychium genuina eſt, quam quod putaverit Garnerius, uti Petrus de Marca probavit *pag.* 186. Sapientis, prudentiſſque œconomiæ plena ratio agendi fuit, quam ipſe in cauſſa trium Capitulorum tenuit *ibidem*. Nequaquam Theodoræ Auguſtæ metu ad tria Capitula condemnanda motus eſt *pag.* 199. Vigilii libelli ad Juſtinianum, & Theodoram ab hæreticis conficti fuerunt *pag.* 200. Eo nomine quinam libelli veniant: variæ ſuper hac re eruditorum ſententiæ: veriſimilior exponitur, et vindicatur *ibidem*, et *ſeq.*

S. Vitalianum Papam excommunicare ſummo auſu, et ſcelere Maurus Epiſcopus Ravennas attentavit; ſed ingentis flagitii juſtas, dignaſque pœnas dedit *pag.* 589, et 591.

Urbanus IV. Græcos de Romani Pontificis infallibilitate, ſupremaque poteſtate erudivit *pag.* 291, et *ſeq.*

Uries Theodoricus, quo potiori haberi deberent loco Johannes XXIII, Gregorius XII, et Benedictus XIII. jure, graviterque hinc, inde a doctis, et piis dubitatum fuiſſe recte affirmavit *pag.* 407, et *ſeq.*

Waneſpenius, et Beveregius Concilii Conſtantinopolitani I. canones ad unum omnes ſubdititiis adnumerantes vapulant *pag.* 157. Pontificis Primatis, et Patriarchæ jura turbantes, pervertenteſque refelluntur *pag.* 244, et *ſeqq.*

Wicleffi, Hus, et Hieronymi Pragenſis hæreſes a Concilio Conſtantienſi confixæ fuerunt *pag.* 360, et *ſeqq.* Pontificis potius nomine ne, an Concilii configendæ eſſent, diſcepta-

ceptatum acriter eſt *ibidem*. In cenſura Theologica adverſus Wicleſſum adornata præclara multa de Romanæ Eccleſiæ præſtantia, ſupremaque poteſtate inſerta, et intexta ſunt *pag.* 361, et *ſeqq.*

Wonderhart Hermannus etſi e Proteſtantium grege actorum attamen Concilii Conſtantienſis accuratus, diligenſque compilator extitit *pag.* 304, et *ſeqq.*; 357, et *ſeqq.* Egregia ejuſdem de interpolato Conſtantienſi decreto ſeſſ.4. obſervatio *pag.* 378; obſervatio item de ſigillo Concilii ſuffecto ſigillo Pontificio *pag.* 413.

Z

Zabarella Cardinalis dubium Pontificem dumtaxat Concilio ſubmiſit; nec niſi maxima in anteceſſum cautela adhibita *pag.*355. In Concilio Conſtantienſi decretum ſeſſ. 4. publico in cœtu perlegens de induſtria particulam auctoritati Pontificiæ incommodam prætermiſit *pag.* 379. Pro ſuprema auctoritate Pontificis acriter, proque virili parte in Concilio pugnavit *pag.* 385.

ER

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA. *CORRIGE.*

		ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 3	Lin. 29	Criſt.	Chriſt.
ead.	31 & 32	Præsbi:	Presby :
4	9	mollitus	molitus
17	32	ulr.	ult.
21	27	Eeclſ.	Eccleſ.
28	12	Ppiſcopum	Epiſcopum
41	32	objicientum	objicientium
48	19	Chtiſtum	Chriſtum
76	5	eidem Eccleſiæ	eadem Eccleſia
88	29	Sphanhemius	Spanhemius
118	12	Infaillibiles	infallibiles
ead.	25	aſſentio	aſſenſio
126	17	rendu	rendue
128	7	Augnſtinum	Auguſtinum
130	2	ad	in
148	23	Tapſenti	Tapſenſi
ead.	35	ſcilieet	ſcilicet
149	9	ſcriprores	ſcriptores
170	25	magnificari	magnificari
178	3	iſtitutum	inſtitutum
198	18	remiſſus	remiſſius
220	33	incolentibus	excolentibus
243	5	appeliationi	appellationi
275	4	atttibuit	attribuit
384	24	auctorirate	auctoritate
409	11	pleriſque	plerique
ead.	34	provincim	provinciam
425	7	principio	principia
447	36	Henricum	Henricus
454	4	Baſiieenſibus	Baſileenſibus
455	21	Baſileæ	Baſilea
458	6	non deſieri , nec deſieri	non deſierit,nec deſierit
ead.	14	transferte	transferre
475	11	ſeria	ſerie
479	29	poſſediſſent	poſſediſſet
483	22	oco	loco
507	29	facere	facere autumabant
515	7	Concilum	Concilium
516	13	detractaret	detrectaret
525	33	ſuſpreſſus	ſuppreſſus
ead.	35	auctoritate	auctoritate
527	3	cetu	cœtu

Pag.

ERRATA CORRIGE.

Pag.	lin.	Errata	Corrige
557	20	llb.	lib.
ead.	24	de de	de
564	8	præſcripta	præſcriptam
565	14	auferre	auferte
570	4	Euſtahium	Euſtathium
ead.	28	exrarunt	exararunt
ead.	31	inſurgenbus	inſurgentibus
571	35	Pontificicibus	Pontificibus
573	13	hotum	horum
ead.	15	attentarum	attentatum
575	3	Synododo	Synodico
588	2	præſens	præſentes

MAG 633

Digitized by Google